NICOL. CRAGII

HISTORIA REGIS

CHRISTIANI III.

Cum Continuatione

STEPHANI JO. STEPHANII

&c.

ACH GOTT SCHAFF DEINEN WILLEN ZU GOTT MEIN TROST ALLEIN SONST ANDER KEIN

CHRISTIANUS III. D.G. REX
Daniæ Norweg. Vandal. et Gothor.
Dux Sleswic. Holsat. Storm. et Dithmarr. Comes in
Oldenburg et Delmenhorst.

Pius, Sapiens, Fortis, Magnanimus, Felix,
Pater Patriæ.

Sysang sc. Lips.



NICOLAI CRAGII

[illegible] VI.

Qvibus

RES DANICÆ

Ab Exceſſu

[illegible]

Ac deinde

A

GLORIOSISSIMO REGE

[illegible]

Geſtæ

Ad Annum usqve MDL.

enarrantur.

His additi

STEPHANI JO. STEPHANII

HISTORIÆ DANICÆ

LIBRI DUO

Qvibus reliqva Laudatiſſimi REGIS Acta

deſcribuntur.

Cum Præfatione, Indicibus, & aliis qvibusdam

[illegible]



HAFNIÆ,

Apud Viduam Hieronymi Chriſtiani Paulli

MDCCXXXVII.



AUGUSTISSIMO POTENTISSIMOQVE REGI AC DOMINO

DN. CHRISTIANO VI.

DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM GOTHORUMQVE REGI HEREDITARIO,
DUCI SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ AC DITMARSIÆ,
COMITI IN OLDENBURG ET DELMENHORST
PIO, SAPIENTI, FELICI,
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

istoriæ magni Tui Tritaui, DIVI CHRISTIANI TERTII, Majestatis Tuæ nomen ut inscriberem, poterat qvidem tum consvetudo & mos publicus, tum argumenti fiducia, tum deniqve Tua, Regum indulgentissime, bonitas me adducere. Verum & alia qvædam erat causa, qvæ in hoc ipso potius, qvam alio qvocunqve opere, religionem istius officii injungebat. Cum enim ad hoc unum parata habebam omnia ac intenta, ut qvodcunqve apud nos extaret, ad memoriam tantæ virtutis in mortalium animis redintegrandam aptum, collectum undiqve & exornatum, in æternitatis templo collocarem, Tuumne, AUGUSTE, nomen poteram præterire; unde qvantum accessionis proposito meo afferretur, næ summæ foret imprudentiæ non agnoscere? Eqvidem magna fateor & suspicienda esse merita præclarorum hominum, qvorum labores hic offero, qvod ab illis jam olim Regis gloriosissimi tum virtutes haud leviter adumbratæ, tum res pace belloqve gestæ fideliter dilucideqve sunt expositæ. Verum qvi Majestatem Tuam intuentur, qvanto illustrius existimabunt, qvod Tu illi monumentum statuisti, atqve in mentibus Tuorum aggressus es

per-

perpetua qvadam cura excitare? Qvippe qvod nobis non umbram qvandam, aut delineatam artificis manu picturam, non erutam ex annalibus & memoriis factorum commemorationem, qvasi è longinqvo ostendit, sed rem ipsam repræsentat, vivamqve & spirantem imaginem ante oculos nostros sistit. Augustius profecto & divinius laudationis genus, qvam qvod ulla historicorum diligentia, ullum oratorum ingenium concinnaverit. Neqve vero aliud, sed hoc ipsum est, qvod sanctum & beneficentissimum Numen a cultoribus suis poscit; qvandoqvidem nostra beneficiorum suorum memoria ista unice delectatur, qvæ in eorundem imitatione se exerit, eosqve præ ceteris laudatores sanctissimi sui nominis gratos acceptosqve habet, qvi se totos actionesqve suas omnes ad sanctitatis studium & exemplum conferunt. Ipsi in humanarum rerum fastigio collocati Heröes, publico mortalium bono & ornamento nati, qvorum nomina promeruerunt ut per gentium annales fastosqve evoluantur, si illis optio detur, utrum mortuos se malint disertissimorum scriptorum monumentis honestari, an progeniem sibi contingere, eadem, qva ipsi fuerunt, optime merendi cupiditate incensam, ac unde non tam sui nominis, qvam recte & sapienter constitutorum perpetuitatem sperent, haud dubitem, qvin hujus felicitatis

 decus,

decus, illius cupiditati ac illecebris ſint prælaturi. An vero qvicqvam vel illuſtrius, vel, inter morientium exempla, publicâ magis fama celebratum, qvam qvod de magno illo Tritavo Tuo refertur? Ejus nempe divini animi excellentiam nunqvam glorioſius eluxiſſe, qvam cum, qvemadmodum per omnem vitam honorum ac laudis deſpicientia prope incredibili fuerat, ita in extremo ejusdem actu, qvi toti humano generi tam admirabilem ipſum reddidit, non memoriam ſui, non gratam ingentium meritorum recordationem, verum illorum duntaxat, qvæ cæleſtibus conſiliis ductus, ad Divini Numinis gloriam, æternaqve civium ſuorum commoda ordinaverat, curam conſervationemqve commendaret? O excelſam mentem, ac ſupra terrena omnia evectam! O Regem ſeculorum prædicatione majorem! cui hæc ſola in terris, & poſt fatum, pulchra fuit & honorifica æſtimata curarum & benefactorum merces, non præcones virtutis ſuæ, ſed imitatores adipiſci! Itaqve Divina providentia eſt factum, ut, qvod in ſacra hiſtoria legimus ſapientiſſimo Iſraëliticorum Regum contigiſſe, cui nimirum non ea tantummodo, qvæ rogaverat, largiſſime impertivit Deus, ſed & inſuper ceterorum, qvæ tanqvam poſtulatu indigna nullo loco habuerat, inſignem affluentiam adjunxit, id pariter in iſto genere, de qvo agimus,

CHRI-

CHRISTIANO TERTIO acciderit. Namqve & vivus tantum ubiqve gentium amoris & venerationis collegerat, ut in omnium ore & prædicatione versaretur, & post obitum haud est passa pietas posterorum, ut immortali ejusdem gloriæ careret fructu. Ceterum qvodcunqve in hac desideratum, aut infra meritum & exspectationem fuit, abunde ipse retulit compensatum præstantia eorum atqve copia, in qvibus optimus maximusqve Deus castissimæ illius animæ votum ac desiderium omne impleuit. Etenim si cogitatione nostra velimus uniuersas orbis terrarum partes peragrare, an putemus ullam posse facile nominari, ubi pietatis, justitiæ & sanctitatis studia, non legibus constituta modo, verum ad exactissimam viuendi normam ipsorum Principum composita, tam constanter, qvam in his terris, in hac patria nostra viguerint? An credamus, aliam florere Domum Regiam, in qva justiore titulo conueniat hæc ornamenta appellare hereditaria? Siqvidem ea Filii omnes & Nepotes, ad laudatissimum illud Progenitoris sui instar, per longam annorum seculorumqve seriem, propagarunt: donec ad hæc tempora, qvibus Tua, REX AUGUSTISSIME, incomparabilis illuxit virtus, perventum est. Obscurauit hæc, qvicqvid anteactæ ætates in Majoribus Tuis prælustre, aut communem regnantium sortem egressum, suspexerunt; atque

ex omni Heroum numero, qvi propositam admirationi ac imitationi suæ vitam habuerunt CHRISTIANI III. unum Te ejus exemplar, qvale ante Te nullum, constituit. Argumento est ille Tuus felicitatis suæ intelligens animus, illa pura & ab omni labe splendida mens, excelsa & proxima cælo pietas, incredibilis & supra Principem divinarum rerum cognitio, perpetua denique solicitudo & cura de iis omnibus, per qvæ uniuersis imperio Tuo subjectis, cum cetera beatitatis affluant genera, tum præcipue, qva ad æternam illam præ omnibus expetendam itur, aperta usqveqvaqve via efficiatur. Adeo hucusqve in votis piissimi Tui Tritaui nihil penitus reliqvisti; nostra certe occupasti, imo jamdudum excessisti. Quis enim nostrum est, nisi aut Te aut illum minus, qvam fas ciui, aut pietatis studioso, nouerit, aut præ immani stupore nondum didicerit utriusque vitam inter Ecclesiæ bona numerare, cui non fidem fecerint actiones Tuæ, religionis illum reique publicæ statorem, a Deo majoribus nostris datum, in Te nobis certissime restitutum esse? hoc felici discrimine, quod iste bellis agitatus, crebrisque potentissimi toto terrarum orbe Principis minis lacessitus, qvæ velut procella adversum feriente impediverunt aliqvamdiu cursum tendentis in portum placidæ gubernationis, coactus sit ferro acquirere, qvod juri de-

bebatur,

bebatur, viamqve ad populi sui securitatem per victorias & triumphos patefacere: TIBI vero serentiora tempora obtigerint, iis amplificandis apta, qvibus de cetero fundandis & extruendis magnus CHRISTIANUS III. totum, qvod regnando confecit, ætatis suæ curriculum impendit. Atqve hæc qvidem tempora, in confesso est, non Illum, non qvemvis alium imperantium potuisse rectius dispensare, qvam Tu facis: utpote cujus nobile & jam olim ad superos compositum ingenium nullam laborum gloriam, a Divina sejunctam, respicit, nullis æque occupationibus, ac quæ in eandem intenduntur, se oblectat, nullum diem vacuum ab egregio aliquo facinore, parentibus sibi populis salutari, finit effluere. Talem vero cum Tibi animum, istamqve exaggeratæ mentis altitudinem insevit Deus, Tu autem ab ipsis regni Tui primordiis declarasti, ejus Te totam rationem habere ad sapientiæ, moderationis publicæqve utilitatis leges comparatam, cui mirum videbitur, quod in augusta Majorum Tuorum serie nullius memoria tanta Tibi veneratione colitur, qvam CHRISTIANI III. eandem omni vitæ tempore viam ac rationem persecuti? Cui etiam, qvod altero abhinc anno, in conspectu totius populi, imo Christiani orbis, edidisti pietatis erga illum maximæ documentum, festorum celebritate & sacrorum solennibus glorio-

ſum, non mirifice approbatum? Qvis mirabitur, ſi qvæ, Ipſius veſtigia prementi, ſeu, qvod idem eſt, Dei ductu progredienti, res magnæ, & cum ſalute populi Tui conjunctæ ſuſcipiuntur, ex ſententia Tibi ſuccedant? Neqve enim poteſt aliunde, præterqvam a Divino conſilio procedere, qvod, qvæ ille æterni Numinis auſpiciis, applaudente univerſo piorum cœtu, inchoavit & condidit, Tu perficias; Qvæ ille incredibili cura conſtituit, Tu confirmes; Qvæ ille, ſublatis erroribus, eliminata ſuperſtitione, emendavit, Tu nitere facias, deterſaqve omni rubigine perpolias; Qvæ ille de Divino cultu, ad ſanctiſſima Redemtoris inſtituta, & cæleſtium virorum, qvi hujus ſaluberrimæ doctrinæ majeſtatem per orbem diffuderunt, exempla revocando, ſancivit, Tu inviolata ſerves, ſartaqve & tecta cuſtodias; Qvæ eximia Illius religione, de ſementi virtutis & ſanctitatis in imperitorum facienda animis, proviſa erant, procurata a Te uberius accumulataqve animaduertantur; Qvæ ab Illo, ad profligandam barbariem, excitatæ fuerant bonarum artium officinæ, Tu admirabili & Te digna munificentia, non ſolum temporis diritate afflictas inſtauraveris, ſed refectas ampliterqve reconcinnatas novis fructibus locupletaveris, novo ſplendore circumfuderis; Qvæ deniqve, & qvis omnia fando enumeraverit?

pater-

paterna Illius fuit diligentia & solicitudo, in provehendis sibi subjectorum civium opportunitatibus, in augendis negotiantium commodis, in licentia luxus sumptuumqve immanitate refrænanda, in pauperum necessitatibus sublevandis, in eandem Tu tota mente omniqve cogitatione incumbas, nihil habens antiqvius, qvam felicitatis nostræ auctorem non appellari tantum, sed esse. Qvis itidem, his omnibus consideratis, admirabitur, aut ad inopinata referet, si, cum in oculis geris & in pectore circumfers Deum, severaqve & perpetua lege obseqvio ejus Te obstrinxisti, neqve ad populum duntaxat, sed domi Tuæ intimisqve in secessibus diversam a plurimorum Principum moribus vitæ rationem tenes, Rex castus, sanctus, continens, sobrius, omnibus voluptatum blandimentis, omnibus turpitudinis illecebris intactus, tam præsenti vicissim Deo uteris, Teqve ille ornamentis ac opibus, qvæ sunt iis Principibus constitutæ, qvi omnia vitæ consilia ad patriæ salutem contulere, accumulat? Adeo ut, consumtis in Te jamdudum votorum publicorum argumentis, possimus tum Ipsi Tibi, Regum felicissime, secunda qvævis ac prosperrima, fortunatum conjugium, florentem sobolem, populorum studia, verissimas laudes, famam, nomen, tum parentibus Tibi civibus, qvæ ceteris illis non inferiora præ-

mia Tuæ virtutis agnoſcis, pacem, otium, ſecuritatem, non optare amplius, ſed gratulari. Qvorum nihil eſt utiqve, non pariter de cæleſti Tuo Tritavo & a majoribus noſtris, & ab externis hominibus prædicatum, & in hoc præſertim memoriæ ejus conſecrato volumine eximia fide perſcriptum. Unde & in certiſſimam ſpem ingredimur, fore, ut qvæ hucusqve Tua incredibilis fortuna & ſors extitit in menſura virtutum ejus implenda, fructibusqve illarum conſeqvendis, eadem porro in iis, qvæ reſtent, cum in hac vita tum in æterna illa, potiundis, ad cunctorum, qvæ Regi, qvæ homini Chriſtiano fas concipere, votorum faſtigium, obtingat. Ita fiet, ut poſtqvam hæc ætas noſtra multiplicatam in terris ſatis iſtam gloriam propriamqve Tibi factam contemplata eſt, Tuqve jam, humanitatis legibus liber, inter exempla maxima numeraris; ventura ſit illa dies, qva apud poſteros natorumqve noſtrorum natos, ob alteram ſumme raram & ſingularem, vixqve alibi terrarum reperiendam, felicitatis partem, futuram qvoqve, ut auguror, cum CHRISTIANO Tuo TERTIO communem, celebraberis. Hanc dico, ut, qvemadmodum Eum inter progenitores ſuos univerſæ, qvibus populus Chriſtianorum paret, Regiæ Domus, (ne jam ceteras iſtas memorem Principum pene innumerorum,) ſuſpiciunt, ita

TU

Tu ex illis, qvos Tibi incomparabile Reginarum decus SOPHIA MAGDALENA peperit, excelsissimæ indolis Principibus, FRIDERICO & LOVISA Tuis, aliqvando non minore succinctus Regum & Reginarum multitudine, qvam qvæ in subjectis tabellis cernitur, repræsenteris. Ac deniqve, qvod primum omnium atqve maximum, ut, qva Tu illum dexteritate Tuo seculo, multoqve melius, qvam vel in his chartis, vel in omnibus historicorum libris, descriptum expressumqve reddidisti, eâdem & heredes Tui ac posteri ad utriusqve imaginem sese componant; Neqve unqvam in Vestro solio desiderentur Vestra illa prognati stirpe regnatores, & qvibus nunqvam non tanta nomina, & hæc decora imitari, excellens, & admirandum, & vere Regium ducatur, & fulgori omnium orbis terræ diadematum anteferendum. Sic voveo, ex subjectorum Tibi civium & servorum numero,

REX AUGUSTISSIME,

SACRÆ TUÆ REGIÆ MAJESTATI

devotissimus, omniqve fide, obseqvio
& religione devinctissimus

Joannes Grammius.

STEMMATA
REGIARUM DOMUUM
IN
CHRISTIANO ORBE HODIE IMPERANTIUM,
A
GLORIOS. MEM.
CHRISTIANO III.
DAN. NORVEG. VANDALOR. GOTH.
REGE
DEDUCTA.

POTENS IN TERRA ERIT SEMEN EJUS: GENERATIO RECTORUM BENEDICETUR. Psal. CXII.

I.
STEMMATA REGIS DANIÆ ET NORVEGIÆ.

I.
CHRISTIANUS III.

FRIDERICUS II.

CHRISTIANUS IV.

FRIDERICUS III.

CHRISTIANUS V.

FRIDERICUS IV.

CHRISTIANUS VI.

II.
CHRISTIANUS III.

FRIDERICUS II.

AUGUSTA, nupta JOH. ADOLPHO Duci Slesv. Holſ.

FRIDERICUS, Dux Sl. Holſ.

MAGDALENA SIBYLLA, nupta GUST. ADOLPHO Duci Megap.

LOVISA, Regina Dan. Norv.

CHRISTIANUS VI.

III.
CHRISTIANUS III.

ANNA, nupta AUGUSTO, El. Sax.

CHRISTIANUS I. El. Sax.

JOH. GEORG. I. El. Sax.

MARIA ELISABETHA, nupta FRIDERICO, D. Sl. Holſ.

MAGDAL. SIBYLLA, nupta GUST. ADOLPHO, D. Megap.

LOVISA, Regina D. N.

CHRISTIANUS VI.

IV.
CHRISTIANUS III.

DOROTHEA, nupta WILHELMO, Duci Brunſv. Luneb.

GEORGIUS, Dux Br. Luneb.

SOPHIA AMALIA, Regina D. N.

CHRISTIANUS V.

FRIDERICUS IV.

CHRISTIANUS VI.

II.

II.
STEMMA REGINÆ DAN. ET NORVEG.

CHRISTIANUS III.

JOHANNES, Dux Slesv. Holſ.

PHILIPPUS, Dux Slesv. Holſ.

MARIA ELISABETHA, nupta GEO. ALBERTO March. Brand.

CHRISTIANUS HENRICUS, March. Brandenb.

SOPHIA MAGDALENA.

III.
STEMMA IMPERATORIS ROMANORUM.

CHRISTIANUS III.

ANNA, Conjux AUGUSTI, Elect. Sax.

CHRISTIANUS I. Elect. Sax.

JOHANNES GEORGIUS I. El. Sax.

SOPHIA ELEONORA, nupta GEORGIO II. Landgr. Hass. Darmst.

ELISABETHA AMALIA, Conjux PHIL. WILHELMI, El. Palat.

ELEONORA MAGDALENA, nupta Imperat. LEOPOLDO,

CAROLUS VI.

IV.

IV.

STEMMA IMPERATRICIS ROMANORUM.

CHRISTIANUS III.

|

JOHANNES, Dux Slesv. Holſ.

|

FRIDERICUS, Dux Slesv. Holſ.

|

ELISABETHA JULIANA; nupta ANTON. ULR. D. Brunſv. Lun. Wolff.

|

LUDOVICUS RUDOLPHUS, Dux Brunſv. Luneb.

|

ELISABETHA CHRISTINA.

V.
STEMMA REGIS GALLIÆ.

CHRISTIANUS III.

FRIDERICUS II.

ANNA; Regina M. Britanniæ.

CAROLUS I. Rex M. Brit.

HENRICA MARIA, nupta Duci Aurelian.

ANNA MARIA, nupta VICTORI AMADEO, Duci Sabaud.

MARIA ADELHAIDIS, nupta Duci Burgund.

LUDOVICUS XV.

VI.

VI.
STEMMA REGINÆ HISPANIÆ.

CHRISTIANUS III.

|

ANNA, AUGUSTI Elect. Sax. Conjux

|

CHRISTIANUS I. Elect. Sax.

|

JOHANNES GEORGIUS I. El. Sax.

|

SOPHIA ELEONORA, nupta GEORGIO II. Landgr. Has. Darmst.

|

ELISABETHA AMALIA, Conjux PHIL. WILHELMI, El. Palat.

|

ELEONORA MAGDALENA, nupta ODOARDO II. Duci Parm.

|

ELISABETHA.

VII.
STEMMA PRINCIPIS ASTURIÆ.

CHRISTIANUS III.

|

FRIDERICUS II.

|

ANNA, Regina M. Britanniæ.

|

CAROLUS I. Rex M. Brit.

|

HENRICA MARIA, nupta PHIL. I. Duci Aurelian.

|

ANNA MARIA, nupta Duci Sabaud.

|

MARIA LOVISA GABRIELA, Regina Hisp.

|

FERDINANDVS.

VIII.

IIX.
STEMMATA CONJUGIS PRINCIPIS ASTURIÆ.

I.

Vid. Stemma REGIS Portugalliæ.

II.

Vid. Stemma REGINÆ Portugalliæ.

IX.
STEMMA REGIS PORTUGALLIÆ.

CHRISTIANUS III.

ANNA, AUGUSTI Elect. Sax. Conjux.

CHRISTIANUS I. Elect. Sax.

JOHANNES GEORGIUS I. El. Sax.

SOPHIA ELEONORA, Landgr. Hass. Darmst.

ELISABETHA AMALIA, Conjux PHIL. WILHELMI, El. Palat.

MARIA SOPHIA, nupta PETRO Regi Portug.

JOANNES V.

X.

X.
STEMMA REGINÆ PORTUGALLIÆ.

CHRISTIANUS III.

|

ANNA, Conjux AUGUSTI Elect. Sax.

|

CHRISTIANUS I. Elect. Sax.

|

JOHANNES GEORGIUS I. El. Sax.

|

SOPHIA ELEONORA, nupta GEORGIO I. Landgr Hass. Darmst.

|

ELISABETHA AMALIA, nupta El. Palat.


|

ELEONORA MAGDALENA, Imperatrix Rom.

|

MARIA ANNA.

XI.
STEMMATA REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ.



I.
CHRISTIANUS III.

FRIDERICUS II.

ANNA, Regina M. Brit.

ELISABETHA, Regina Bohem.

SOPHIA, Conj. ERN. AUGUSTI. Eleᴄt. Brunſv. Luneb.

GEORGIUS I. Rex M. Brit.

GEORGIVS II.

II.
CHRISTIANUS III.


DOROTHEA, Conj. WILHELMI jun. Ducis Br. Luneb.

GEORGIUS, Dux Br. Luneb.

ERNESTUS AUGUSTUS, Eleᴄtor Br. Luneb. Hannover.

GEORGIUS I.

GEORGIVS II.



III.
CHRISTIANUS III.

DOROTHEA, nupta WILHELMO, Duci Br. Luneb.

GEORGIUS, Dux Br. Luneb.

GEORGIUS WILHELMUS, Dux Br. Luneb. Cell.

SOPHIA DOROTHEA, nupta GEORGIO I. R. M. Brit.

GEORGIVS II.

XII,

XII.
STEMMATA PRINCIPIS WALLIÆ.

I.
CHRISTIANUS III.

FRIDERICUS II.

ANNA, Regina M. Brit.

ELISABETHA, Règina Bohem.

SOPHIA, El. Hannov.

GEORGIUS I.

GEORGIUS II.

FRIDERICUS.

II.
CHRISTIANUS III.

ANNA, Conj. AUGUSTI, El. Sax.

ELISABETHA, nupta JOH. CASIMIRO. Com. Pal. Simmer.

DOROTHEA, Conj. JOH. GEORG. I. Princ. Anhalt Deff.

ELEONORA DOROTHEA, nupta WILHELMO, Duci Sax. Vinar.

JOH. GEORGIUS, D. Sax. Ifenac.

ELEONORA ERDMUTH SOPHIA, nupta JOH. FRID. March. Brand.

WILHELMINA CHARLOTTA. Regina M. Brit.

FRIDERICUS.

III.

Vid. Stemma REGIS M. Britanniæ II.

IV.

Vid. Stemma REGIS M. Britanniæ III.

XIII.
STEMMATA CONJUGIS PRINCIPIS WALLIÆ.

I.
CHRISTIANVS III.

FRIDERICUS II.

ELISABETHA, nupta HENR. JULIO, Duci Br. Luneb.

ELISABETHA, nupta JOH. PHILIPPO, D. Sax. Altenb.

ELISABETHA SOPHIA, nupta ERNESTO PIO, Duci Sax.

FRIDERICUS, Dux Sax. Goth.

FRIDERICUS, Dux Sax. Goth.

AVGVSTA.

II.
CHRISTIANVS III.

ANNA, Conj. AUGUSTI El. Sax.

CHRISTIANUS I. El. Sax.

JO. GEORG. I. El. Sax.

AUGUSTUS, Dux. Sax. Hall.

MAGDALENA SIBYLLA, nupta FRIDERICO, D. Sax. Goth.

FRIDERICUS, Dux Sax. Goth.

AVGVSTA.

III.
CHRISTIANVS III.

ANNA, Conj. AUGUSTI El. Sax.

CHRISTIANUS I. El. Sax.

JOHANNES GEORG. I. El. Sax.

AUGUSTUS, Dux Sax. Hall.

SOPHIA, nupt. CAR. WILH. P. Anh. S.

MAGDALENA AUGUSTA, nupta FRIDERICO, D. Sax.

AVGVSTA.

XIV.

XIV.
STEMMATA REGINÆ SVECIÆ.

I.

CHRISTIANVS III.

FRIDERICUS II.

CHRISTIANUS IV.

FRIDERICUS III.

ULRICA ELEONORA, Regina Sveciæ.

VLRICA ELEONORA.

II.

CHRISTIANVS III.

FRIDERICUS II.

AUGUSTA, nupta JOH. ADOLPHO Duci Slesv. Holſ.

FRIDERICUS, Dux Sl. Holſ.

HEDWIGIS ELEONORA, Regina Sveciæ.

CAROLUS XI. Rex Svec.

VLRICA ELEONORA.

III.

CHRISTIANVS III.

FRIDERICUS II.

ANNA, nupta AUGUSTO, El. Sax.

CHRISTIANUS I. El. Sax.

JOH. GEORG. I. El. Sax.

MARIA ELISAB. nupta FRIDER. D. Slesv. Holſ.

HEDEWIGIS ELEONORA, Reg. Svec.

CAROLUS XI.

VLRICA ELEONORA.

IV.

CHRISTIANVS III.

DOROTHEA, nupta WILH. Duci Br. Luneb.

GEORGIUS Dux Brunſv. Lun.


SOPHIA AMALIA, Regina Dan. Norv.

ULRICA ELEONORA, Regina Sveciæ.

VLRICA ELEONORA.

XV.

XV.
STEMMATA REGIS POLONIÆ.



I.
CHRISTIANUS III.

FRIDERICUS II.

CHRISTIANUS IV.

FRIDERICUS III.

ANNA SOPHIA, nupta JOH. GEO. III. Elect. Sax.

AUGUSTUS II. Rex Pol.

AUGUSTUS III.

II.
CHRISTIANUS III.

ANNA, nupta AUG. El. Sax.

CHRISTIANUS I. El. Sax.

JOHANNES GEORGIUS I. El. Sax.

JOH. GEORGIUS II.

JOH. GEORGIUS III.

AUGUSTUS II. Rex Pol.

AUGUSTUS III.

III.
CHRISTIANUS III.

DOROTHEA, nupta WILHELMO, Duci Brunsv. Luneb.

GEORGIUS, Dux Br. Luneb.

SOPHIA AMALIA, Regina D. N.

ANNA SOPHIA, nupta JO. GEO. III.

AUGUSTUS II. R. Pol.

AUGUSTUS III.

IV.
CHRISTIANUS III.

JOHANNES, Dux Slesv. Holst.

PHILIPPUS, Dux Sl. Holst.

DOROTHEA, nupta FRID. WILH. Elect. Brandenb.

ELISAB. SOPH. nupta CHRIST. ERNESTO, March. Brand. Bar.

CHRISTIANA EBERHARDINA, Conj. AUGUSTI, Regis Pol.

AUGUSTUS III.

XVI.

XVI.
STEMMATA REGINÆ POLONIÆ.

I.
CHRISTIANUS III.

ANNA, El. Sax. AUGUSTI Conjux.

CHRISTIANUS I. El. Sax.

JOHANNES GEORGIUS. El. Sax.

SOPHIA ELEONORA, Landgr. Hass.

ELISABETHA AMALIA, El. Pal. PHIL. WILHELMI Conjux.

ELEONORA MAGDALENA, Imperatrix Rom.

JOSEPHUS I. Imperator Rom.

MARIA JOSEPHA.

II.
CHRISTIANUS III.

DOROTHEA, D. Br. Luneb.

GEORGIUS, Dux Br. Luneb.

JOHANNES FRIDERICUS, Dux Brunsv. Luneb.

WILHELMINA AMALIA, Imp. Rom.

MARIA JOSEPHA.

III.
CHRISTIANUS III.

FRIDERICUS II.

ANNA, Regina M. Brit.

ELISABETHA, Regina Bohem.

EDVARDUS, Com. Pal. Simmer.

BENEDICTA HENRICA, nupta JOH. FRID. D. Br. Luneb.

WILHELMINA AMALIA, Imp.

MARIA JOSEPHA.

*** XVII.

XVII.
STEMMATA REGIS BORUSSIÆ.

I.

CHRISTIANUS III.

FRIDERICUS II.

ANNA, Reg. M. Brit.

ELISABETHA, Reg. Bohem.

SOPHIA, Conj. ERN. AUG. El. Hann.

SOPHIA CHARLOTTA, Reg. Bor.

FRIDERICUS WILHELMUS.

II.

CHRISTIANUS III.

DOROTHEA, nupta WILHELMO jun. D. Br. Luneb.

GEORGIUS, Dux Br. Luneb.

ERNESTUS AUGUSTUS, El. Hann.

SOPHIA CHARLOTTA, Regina Borussiæ.

FRIDERICUS WILHELMUS.

XVIII.

XVIII.
STEMMATA REGINÆ BORUSSIÆ.

I.
CHRISTIANUS III.
FRIDERICUS II.
ANNA, Reg. M. Brit.
ELISABETHA, Regina Bohem.
SOPHIA, El. Hannov.
GEORGIUS I. Rex M. Brit.
SOPHIA DOROTHEA.

II.
CHRISTIANUS III.
DOROTHEA, D. Br. Luneb.
GEORGIUS, Dux Br. Luneb.
ERNESTUS AUGUSTUS, El. Hann.
GEORGIUS I. R. M. Brit.
SOPHIA DOROTHEA.

III.
CHRISTIANVS III.
DOROTHEA, nupta WILH. Duci Br. Lun.
GEORGIUS, Dux Br. Luneb.
GEORGIUS WILHELMUS, Dux Br. Lun. Cell.
SOPHIA DOROTHEA, El. Hannov. GEORG. LUDOV. Conjux.
SOPHIA DOROTHEA.

XIX.
STEMMA REGIS NEAPOLIS ET SICILIÆ.

CHRISTIANUS III.

ANNA, nupta AUGUSTO El. Sax.

CHRISTIANUS I. El. Sax.

JOHANNES GEORGIUS I. El. Sax.

SOPHIA ELEONORA, nupta GEORGIO II. Landgr. Hass. Darmst.

ELISABETHA AMALIA, nupta PHIL. WILH. El. Pal.

DOROTHEA SOPHIA, nupta ODOARDO II. Duci Parm.

ELISABETHA, Regina Hispan.

CAROLUS.

XX.

XX.
STEMMATA REGINÆ NEAPOLIS ET SICILIÆ.

I.
Vid. Stemma REGIS Polon. I.

II.
Vid. Stemma REGIS Polon. II.

III.
Vid. Stemma REGIS Polon. III.

IV.
Vid. Stemma REGIS Polon. IV.

V.
Vid. Stemma REGINÆ Polon. I.

VI.
Vid. Stemma REGINÆ Polon. II.

VII.
Vid. Stemma REGINÆ Polon. III.

XXI.
STEMMA REGIS SARDINIÆ.

CHRISTIANUS III.

|

FRIDERICUS II.

|

ANNA, Regina M. Brit.

|

CAROLUS I. Rex M. Brit.

|

HENRICA MARIA, nupta PHILIPPO I. Duci Aurel.

|

ANNA MARIA, nupta VICTORI AMADEO II. Duci Sabaud.

|

CAROLUS EMANUEL.

XXII.

XXII.
STEMMA REGINÆ SARDINIÆ.

CHRISTIANUS III.

FRIDERICUS II.

ANNA, Regina M. Brit.

ELISABETHA, Reg. Bohem.

CAROLUS LUDOVICUS, Elect. Pal.

CHARLOTTA ELISABETHA, nupta PHILIPPO I. Duci Aurel.

ELISABETHA CHARLOTTA, nupta JOSEPHO LEOPOLDO, Duci Lotharingiæ.

ELISABETHA TERESIA.

ANIMA EJUS IN BONIS DEMORABITUR: ET SEMEN EJUS HEREDITABIT TERRAM. Pſal. XXIV.



AD LECTOREM.



Si cujus unqvam boni Principis res geſtæ, vitæ morumqve exemplar, & in populum ſuum beneficia efflagitant, ut ſeculorum venerationi, perenni conſecrata opere, exponantur, ea laus eſt propria CHRISTIANI III. incomparabilis olim Daniæ Norvegiæqve Regis, ut nullius potius hiſtoria cognoſci & verſari in publico mereatur. Cum enim ſummorum hominum hiſtoria præcipue duo habeat ſpectanda, unum, ut illuſtria eorum facta meritæ laudis perpetuitate donet; alterum, ut erectos ad virtutem legentium animos inſtituat; iiqve demum auctores præclare exiſtimentur officio ſuo fungi, qvi utrumqve accuratiſſime exeqvantur; haud memini profecto, qvos in magno illo numero. Regum Principumqve res exponentium, oporteat præferre illis, qvos nunc edimus. At qvem nobis illi Principem deſcripſerunt? Nempe talem, de cujus immortalibus & divinis meritis qui commemoratum videbit, nullum facile deſiderabit eorum, in quæ veræ gloriæ amatores defigant oculos intendantque: in permulta vero incidet, dubitationem relictura, poſſitne ex omni ætatum, temporum, & regnorum memoria quicquam glorioſius, vel ſanctius, vel perſona illa, qvam dominator rerum DEus miniſtris in terra ſuis impoſuit, dignius, quod quidem ad hiſtoriæ fidem ſcriptum ſit, inveniri. Sive enim imperatorias illas laudes volumus, ſive cœleſtis animi virtutes ac pietatem ſummam & conſtantiſſimam, ſive ſalutem populi, incredibilibus modis & ſucceſſibus procuratam, ſeu deniqve univerſa, quæ cum publice ſapientem, tum familiari ac interiore vita ſanctum abſolvunt Regem, cognoſcere lubet, extant hic omnia & comparent. Ea quippe copia & magnitudo, is ſplendor admirabilium actionum in tota CHRISTIANI III. vita excellit ac eminet, quæ lectores non tantum inuſitata quadam pulchritudine alliciat, ſed etiam a multorum, quos benignior nobilitavit fama, Heroum exemplis ad unius hujus admirationem traducat. Nihil hic nimium affirmamus, nihil inani

ni

ni prædicatione extollimus, securi reprehensionis omnis & censuræ, si quis forte, ex præjudicato, nobis suspicionem intemperantis illius studii, quo non raro homines ad exageranda domestica impelluntur, excitaverit. Potest quidem ista solicitudo interdum, ad patriæ gloriam incumbentes afficere, quatenus magnificentius quædam, ac sine auctoritate idonea, exornata immodicæ laudis opinionem vix effugiunt. Tunc omnino non potest, quum ad præstandam dictorum fidem auctores graves, sinceri, omnique parte incorrupti proferuntur. Talesque omnino esse, quotquot hic collecti exhibentur, ita credimus, ut de multis etiam magnæ celebritatis scriptoribus idem affirmari æque certo posse dubitemus. Quanquam enim non ii sumus, qui nostratium amore inducti, obterere aliorum laudes volumus, quas summas ex hoc ipso scribendi genere multi retulerunt, id tamen concedi nobis arbitramur, haud uniuscujusque esse, eandem diligentiam declarare, quam suspicere licet in his nostris. Quippe quorum apertæ dilucideque explicatæ narrationes non secundis rumoribus sunt innixæ, non ad populares auras respexerunt; sed ex veris probatissimisque memoriis erutæ, nullis æque ornamentis, atque simplicis rectique cura commendantur. Et vero, sicut ad ipsorum fidem infirmandam difficile erit quicquam excogitare, etiam iis, qui perraro ad res patriæ hujus nostræ animum attendentes, nihil magnum putant, nisi quod in magna jam pridem fama collocatum sit; ita apud nos ipsos infelix profecto error vixque excusandus foret, non inter primos, quorum immortalitati consulendum, scriptores egregios æstimare. Inprimis, cum, quæ eisdem impendatur, opera non possit ullo modo sejuncta esse a pietate. Pietatem vero quum dicimus, non eam tantum nominamus, quæ in amore patriæ sita, quæcunque ad gloriam ipsius pertinent, omnibus studiis complectitur, verum & hanc cum maxime, quæ religiosa & grata adversus optimum Numen justitia continetur, quaque ad beneficia ejus agnoscenda cunctisque concelebranda modis obligamur. Si enim a DEO in terras commodati veniunt Reges; si castus & sanctus & populi sui amantissimus Princeps singulare DEI munus est, atque in eis, quæ dare mortalibus solet, summum & utilissimum, relinquitur, ut qui hanc gratiam, hujusque muneris laudem senescere in animis posterorum & obscurari patiuntur, neque eam, quocunque pote studio, ab oblivione hominum silentioque vindicatum eunt, in istis utique neglectæ pietatis crimen hæreat. Quod in aliis quidem, quibus benefici & salutares principes obtigerunt, gravissimum & neutiquam ferendum, in nobis vero, supra quam dici potest, detestandum foret; nimirum si Regis, omnium, qui populis unquam imperitarunt, optimi dignissimum æternis memoriis nomen honore suo fraudaremus. Præsertim, quando in promtu nobis sunt monumenta, unde non solum externi, sed & nostrates, multo plenius ac luculentius, quam per ea, quæ in popularium manibus versantur, edoceri queant, qualis quamque admirabilis Rex fuerit CHRISTIANUS III. quantisque regna sua ac ditiones tum sanctitatis exemplis, tum justitiæ opi-

opibus, tum clementiæ & moderationis commodis, tum invictæ virtutis ornamentis affecerit. Proferamus igitur, quæcunque de rebus ejus consignata, atque in publico, vel nunquam plane, vel rarius, (ita ut quædam vix amplius apparerent,) visa, fatum ætati nostræ non invidit. Neque committamus, ut nobis valeat imputare posteritas, parcius de tanto Principe dictum esse memoriæve proditum. Et quoniam postulari exigique a nobis credimus, non modo ut rationem consilii nostri explicemus, sed etiam ut, quod ad cognoscendos facere possit auctores, quos constipavimus in hoc volumen, aperiamus, ad istud quoque persequendum nunc accingimur.

Primus, jureque ac merito suo præcipuus est NICOLAVS CRAGIVS: ille ipse, cui Respublica Lacedæmoniorum, quatuor libris illustrata, jam olim apud doctos nominis celebritatem peperit. Is, cum historiæ rerum Danicarum scribendæ munus suscepisset, haud rectius se illud posse præstare atque sustinere credidit, quam si a rebus sub CHRISTIANO III. gestis auspicaretur. Cujus consilii num alias habuerit rationes, quam quæ cuique facile, virtutis & patriæ amantissimo, à summa ejus Regis meritorum altitudine suggererentur, haud dixerimus. Potuit enim, antequam ab eo susceptum ac propositum, de quo in sequentibus dicetur, approbatio Regis consecuta est, singulare quoddam incitamentum accessisse. Hoc certum, illustrissimum Arnoldum Hvitfeldium, regni Senatorem atque Cancellarium, in præfatione commentariorum, quos de rebus CHRISTIANI III. patria lingva composuit, ac eodem ipso anno, quo Cragius provinciam illam accipiebat, in lucem emisit, diserte & graviter fuisse questum de ætatis suæ negligentia, ista scilicet, quod in tanto apud nos doctorum & sapientum virorum numero nemo esset aggressus laudatissimi Regis gesta enarrare: se vero eas sibi partes sumsisse, non quidem pro dignitate peragendas, verum ut suo exemplo alios ad plura investiganda, quæ ad nobilissimum facerent argumentum, atque ad meliorem perfectioremque historiam latina lingva elaborandam, excitaret. Vnde propemodum non licet dubitare, quin tanti viri auctoritas nostro Cragio, si non primam illam cogitationem injecerit, saltem stimulos tam acres admoverit, ut ad nullam prius scriptionem, quam hanc ipsam, studium & laborem omnem suum conferret. Verum, ut ut illa sint, optaremus sane, ut, quod magno animo vir doctissimus, luculentoque instructus apparatu, occepit, perfectum ejus manu & fine suo conclusum extitisset. At quo minus ista felicitate poliremur, intercesserunt fata, quibus intra paucos annos & ipse, & tanta cum eo spes, non hoc solum, sed etiam plura alia, in historia nostra, perpolita atque exornata videndi, est extincta. Neque enim, ex quo istud agere ingressus esset, is fuit vitæ ipsius status, qui ad ejusmodi multa, tam brevi conficienda tempore, adjunctum satis haberet otii: quippe quod, præter Academici officii munus, graviora multo, & magni momenti negotia, variæque obitæ legationes interpellabant. Et quoniam in istorum omnium mentionem nunc incidimus, haud ingratam

gratam putamus rem lectori nos esse facturos, si quæ de egregio viro comperta habemus, plura utique & copiosiora, qum quæ in Vindingii *Academia Hafniensi* narrantur, commemorata hoc loco proferamus. Tametsi minime profitemur, in omnibus nos posse illorum desiderio satisfacere, qui minutatim cognoscere volunt singula. Nam ne annum quidem, quo in hanc lucem noster editus, penitus licuit explorare: &, nisi fratris Andreæ Kragii, Medicinæ professoris haud incelebris, vita in laudato libro paulo uberiore filo texeretur, ex programmate Academico repræsentata, ne parentes ejus quidem hodie scirentur. Hos vero dicto loco nominatos legimus Petrum Kragium, honestum Ripis Cimbrorum civem, & Catharinam Clyniam. Atque Andrea fratre, qui anno MDLVIII. natus, nostrum fuisse aliquot annis majorem, hinc aperte putamus colligendum esse, quod, cum ille anno MDLXX. a D. Paulo Matthiæ, qui orphanum, & e paternis bonis fere ejectum, in familiam suam receperat, ad scholam Hafniensem deduceretur, Nicolaus biennio ante in civium Academicorum numerum esset adscriptus, atque octavo post anno, qui fuit MDLXXV. ipsis Calendis Martii in Academia Wittenbergensi, Magisterii, quod vocant, philosophici honores consecutus sit. Est in manibus nostris carmen græcum, heroici generis, impressum Wittebergæ typis Joannis Cratonis, anno MDLXXV. cujus auctor, M. Nicolaus Laurentii Ripensis, honores istos, & Cragio, & alteri una civium, qui fuit Christiernus Michaëlis Coagius, collatos, celebravit. Cumque ibidem Nicolai Cragii nomen constanter loco digniore collocatum, cum in inscriptione tum in versibus, observetur, possumus existimare, quod ætate etiam antecesserit Christiernum illum Michaëlis, cujus natales apud Vindingium referuntur ad annum MDXLIX. Fuit enim & iste Christiernus in Vniversitate hac professor, docendique græcas litteras spartam, ab excessu laudati jam Nicolai Laurentii Ripensis, ornavit ad annum usque MDXCII. quo & ipse extinctus, successorem nactus est Nicolaum Cragium nostrum. Vt & eo nomine videri queat carmen, de quo loquebamur, singulare quiddam continere; quod nempe uno tempore, tres ejusdem nationis, ingenio & eruditione florentes juvenes, in eadem extra patriam Academia constituti, ei studiorum generi darent operam, quod in patria aliquando singuli, inque eadem cathedra, unus post alterum, cum laude essent professuri; & quod, qui primus officium aditurus esset, ceteris duobus, eadem lingva, in cujus tradendæ ac propogandæ munere habiturus ipsos foret successores, gratularetur. Ceterum a quo tempore in exteris noster versatus sit, quasque in hac prima sua peregrinatione regiones aut Academias, præter Wittebergensem, accesserit, nobis adhuc incompertum. Reversus sane est in patriam vergente anno MDLXXVI. tuncque uni & alteri procerum, in quibus Cancellarius erat Nicolaus Kaas, magnus ille præ ceteris ingeniorum æstimator, ita eruditionem suam probavit, ut sponte benevolentiam suam offerrent, seque de commodis ejus & ornamentis omnem curam suscepturos esse pollicerentur. Desiderabat forte Hafniæ ludus literarius virum,

qvi

qvi in rectoris, ante aliquot menses defuncti, locum succederet. Ad hoc muneris cum noster idoneus & sibi & aliis crederetur, neque tamen ulla in spe esset ejusdem obtinendi a professoribus, penes quos judicium omne & auctoritas erat rectorem constituendi, quique jamdudum alteri, adhuc peregrinanti, (erat hic Christiernus ille Michaëlius, cujus nuper mentio injecta,) provinciam reservabant, litteras ad eos regias imperravit, die XXXI. Decembris scriptas. His vero edicebatur, ut Academia quamprimum loco illi prospiceret, ne juventus, tanto jam tempore moderatore suo orbata, majus caperet detrimentum: atque, ut Nicolai Cragii, cujus eruditionem commendari Rex audivisset, ante alios haberetur ratio. Nihilominus in aliquod tempus res dilata, excusantibus professoribus cessationem, quod de illius, cui ludum regendum destinassent, & cujus reditus brevi exspectaretur, constaret nondum voluntate: addito, in juventutis institutione nihil esse per negligentiam peccatum, binis Academiæ professoribus per vices quotidie in ludo docentibus. Verum, cum alter ille neutiquam rediret, admittitur tandem ad officium Cragius. Qvi, ut eidem haud imparem se ostenderet, sequenti anno *Grammaticam Latinam* in lucem edidit, novis suisque observationibus multo ampliorem ea, cujus usus ad id temporis obtinuerat. Discessit ex hac provincia post quinquennium. Quam vero alteram ejus loco receperit, nondum mihi exploratum. Memini quidem traditum audivisse a non nemine, qui utrum ex fama acceperit, an certis documentis hoc didicerit, equidem nescio, in aulam fuisse evocatum, ut Principem CHRISTIANUM, qui postea gloriosissime regnavit, primis litterarum elementis imbueret. Sed cum in hunc diem, quamvis studiose perquirenti, nusquam mihi aliquid oblatum sit, unde indubitata res fieret; contra vero M. Johannem Michaëlium unum ac solum, cui ista cura, CHRISTIANUM IV. adhuc puerum instituendi, demandata fuerit, complura monumenta nominent, non ausim incertæ narrationi fidem atque auctoritatem meam adjungere. Asservatur quidem in bibliotheca regia parvum volumen, manu Cragii nostri scriptum, in quod brevium quarundam illustriumque sententiarum, ex latinis auctoribus selectarum, insignem numerum conjecit, atque in hunc usum, ut a Principe puero edisceretur, litterarum ordine disposuit; docente hoc etiam inscriptione, in libelli involucro conspicua. Ex eo itaque famam, de qua locuti sumus, primum fuisse ortam, suspicamur. Sed quam debile sit & infirmum hoc argumentum, nisi potiora accedant alia, nihil opus ostendere. Solum, quod affirmare nunc possumus, est, quod in patria Cragius, ac, ni fallor, in hac urbe restiterit adhuc anno MDLXXXIV. & quod peregrinatus demum, summos, qui in Juris peritos ab Academiis conferuntur, honores extra patriam consecutus sit. Hoc vero apud Bituriges, aut in alia quapiam Galliæ Vniversitate factum esse, perquam nobis verisimile. Etenim, quicumqne consideraverit, quanta istis temporibus celebritate per universam Galliam florebant juris consultorum scholæ, quantaque apud plerosque existimatione erant, qui decorati do-

ctoris titulo ab illis revertebantur, ut jam nihil dicam de nostratium more, etiam isto ævo in Galliam, cum lingvæ tum severiorum studiorum causa, itantium, is neque dubitare potest, quin hac etiam parte Cragius, ut qui nihil humile spirabat, suo nomini consultum voluerit. His adde, quod non facile videamus, qua alia idem potuerit opportunitate aditum habere ad amicitiam Scaligeri, de qua in *Republ. Laced. lib. II. c.* 4. gloriatur; cum sane, quando scribebantur ista, necdum licebat Scaligerum alibi terrarum, præterquam in Galliis convenire. Possetne vero, ad idem stabiliendum, etiam ex adversario, ut solent rhetores, hoc est, ex calumnia Keckermanni, nulli fere litteratorum ignota, & de qua pluribus posthac agemus ipsi, argumentum duci? Etiamsi enim illam in sese credimus a veritate tam esse alienam, quam quæ maxime; nihil tamen obstat, quo minus ex vero nonnulla eandem accepisse, quæ deinde, fundamenti loco, ad construenda falsissima usurparit, quemadmodum sæpenumero usu venit in mendaciis, putemus. Ita nempe, dum nobis est persuasissimum, id quod de *Reipubl. Lacedæmoniorum* opere quondam Keckermannus sparsit, quasi illud non Cragium nostrum, sed Cujacium haberet parentem, haud aliud, quam maligni invidique animi suspicionem continere, licebit nihilo minus arbitrari, commentum ex eo profluxisse, quod animadvertissent multi, nostrum magno illo viro usum aliquando esse familiarius, atque in amicitia ejus singularem quendam locum ingenio & eruditione sua acquisivisse. Verum hæc parum explorata relinquamus, certiora, etsi non æque grata & amœna, narraturi. Dum scilicet noster apud exteros ita honoribus & augendæ nominis claritati dat operam, relicta domi uxor, quam anno MDLXXVIII. duxerat, Kœnna nomine, diversam vivendi viam ingressa, ea in se admisit, quæ pudica matrefamilias indigna, maritum dolore, ipsam vero dedecore & infamia cumularunt. Quam ille indignitatem, ne sibi aliqua inde labes aspergeretur, minime æquo tulit animo, sed statim, ut erat reversus, actionem adulterii ei intendit, convictamque judicio, ejecit e domo sua, una cum duobus filiis, quos nunquam ex eo tempore pro suis voluit agnoscere. Id factum esse anno MDLXXXIIX. ex actis Academicis didicimus. Atque, ut eadem nos docent, appellatus subinde, etiam multis post annis, de alimonio filiis istis suppeditando, constanter recusavit. Illorum alterum postea in manus Jesuitarum incidisse, & cum eorundem commendatione in Hispaniam missum esse anno MDCIV. testis nobis est Vindingius. Qui etiam alterius meminit conjugii, quod noster inivit cum honestissima matrona Elisa Mulenia, nobilis in Fionia viri Joannis Mule Domini de Nisleugaard filia. Hanc prius in matrimonio habuerat M. Jvarus Bartholinus, quondam professor, postea cœnobiis Sorensi ac Ringstadiensi præfectus; cujus vitam & singularia admodum fata ex parte describit laudatus Vindingius *Acad. Hafn. p.* 100. Ex ista conjuge, quam semper obsequentissimam expertus est, liberos suscepit aliquot: inter alios Ivarum Cragium, albo Vniversitatis anno MDCI. a patre, tunc Rectore, inscriptum, postea ludi literarii Slangendorpii rectorem, ac deinde

inde in Fionia ecclesiæ alicujus rusticanæ pastorem: filiamque Mariam, M. Jacobo Jacobæo, lectori theologiæ in Gymnasio Otthiniensi, nuptam. Quæ quidem de utroque viri matrimonio atque liberis placuit conjuncta hoc loco tradere. Reliqua, de muneribus gestis & negotiis quæ tractavit, non tantum plenius quam alii, sed distinctius persequemur. Illi enim & doctoratum, ut vocant, juris, & professionem Academicam, & regii historici officium in uno videntur anno collocare, atque post rectoratum demum, quem gessit anno MDCI. referunt varias legationes obiisse. Quorum tamen singula tempore fuere disjunctissima, longeque aliter ordinanda sunt. De doctoris quidem titulo jam actum; quem adunctum Cragii nomini primum animadvertere nobis licuit anno MDLXXXVIII. in causa illa divortii cum priore uxore. Hinc omnino quatuor anni intercesserunt, antequam in Vniversitate docendi provinciam capesseret: quæ obtigit ei demum ab obitu M. Christiani Michaëlii; ejusdem scilicet, cui olim, ut diximus, assignatum a professoribus munus in ludo Hafniensi præripuerat. Iste Christiernus ultimis annis græcam eruditionem professus erat; easdemque noster partes, quantum temporis dabatur hic exigendum, sustinuit. Nullæ vero in historicis adhuc mandatæ; quippe quæ tandem post triennium accesserunt. Ac dubitari profecto non potest, quin pergratum inprimis acciderit Cancellario Nicolao Kaas, constantissimo, qui unquam vixit, eruditorum patrono, quod clienti tantis ornamentis instructo honestum in Academia locum invenisset. Neque vanis compertum mihi indiciis, eundem excellentem virum, non illas tantummodo nostri dotes, quarum in schola est usus, fructusque ad juventutis pertinet emolumentum, respexisse, sed etiam in amplioris momenti rebus solers hominis ingenium antea habuisse exploratum. Mos consuetudoque erat isto seculo, cum hujus regni, tum & plerorumque omnium, ut, quoties inter Principes & Reges gravia quædam magnique ponderis negotia peragenda essent, ad quæ insignis cura & prudentia requireretur, non soli mitterentur ii, qui natalium splendore fortunæque bonis civium aliis præstarent, verum & aliquis præterea adsciseeretur e literatorum ordine, facundia rerumque agendarum dexteritate pollens, ac in scribendo inprimis exercitatus, cique utplurimum, quicquid suscipiendum esset laboris, imponeretur. Tales vulgo oratores nuncupati, haud raro etiam legatorum vocabulo honestabantur. Cum ergo mittenda legatio esset in Scotiam, ad quam nominatus erat vir primariæ nobilitatis, Steno Bilde, ac de ejusmodi collega ipsi adjungendo deliberaretur, proceres, qui minore annis CHRISTIANO III. gubernacula tenebant regni, oculos conjecerunt in Nic. Cragium. Legationis autem, cui decretæ quidem anno MDXCII. nescio quarum rerum interventu protractum est tempus usque in sequentem annum, hic finis erat, ut jura Reginæ Scoticæ vindicatum irent, Regemque & proceres ad præstanda, quæ ipsi per stipulationem, dotis ac redituum annuorum nomine, promissa fuerant, inducerent. Cum enim anno MDXCIX. Anna Regis Daniæ & Norv. FRIDERICI II. filia in manum

num conveniret Jacobi Scotorum Regis, in illa, quæ per nuptiarum dies facta solenni more fuit, donatione certas quasdam possessiones acceperat, cum prædiis fundisque amplissimis, quorum ab ea quotannis fructus perciperentur, certa pecuniæ summa æstimati, atque in ipsis donationis tabulis diserte verbis declarati. Verum, cum ex his duntaxat quædam portio, sane haud magna, Reginæ rationibus inferretur, deprehensum fuit, alios jamdudum in potiorem possessionum partem irrepsisse, Regemque insigni dolo à Cancellario Mætellano circumventum. Iste enim vir cum donationis tabulas conficeret, nonnulla fortasse amicis, ac eis, qui ad tegendam fraudem adjuvarent, sibi vero ipsi luculentiora prædia attribuerat. Quod iniquissime ab illo factum esse, Scotorum præcipui, in quibus aliquid fidei justitiæque erat, agnoverunt. Arduum erat negotium, multisque difficultatibus implicitum; ad quas autem inspiciendas Cragius non minore sagacitate, quam ad perrumpendas industria solertiaque erat. Et quanquam elevare quodammodo famam rei & magnitudinem videtur Jacobus Malavillius, in fine *commentariorum* suorum, de hac Danica legatione loquens; tamen haud veremur dicere, mirabile cuivis futurum esse visu & consideratu, cui daretur, quemadmodum nobis, perlustrare, quot fuerint quantique ponderis negotia a legatis nostris transacta, quantos intra unius alteriusque mensis spatium labores in ea insumserint, quantas molestias devorarint; usque eo, quoad, Reginæ in memoratas possessiones jure, cum per publicas ipsorum, qui invaserant, abrogationes, tum per parlamentaria, ut vocantur, aliaque varii generis acta, in integrum restituto & confirmato, nec non augustæ Principis aula ministeriis omnibusque necessariis ordinata, mandata legationis exhausta viderent singula. Verum, in quo magis adhuc enituit alta Cragii nostri indoles animique magnitudo, erat illud perquam insigne studium erga salutem Regis Reginæque, turbulento inprimis & periculoso tempore præstitum, quo utriusque libertati & vitæ à Francisco Bothuelio insidiæ parabantur. Nam & caput suum periculis objectavit, Comitique, in palatium conanti per seditionem irrumpere, fortiter se opposuit; & auctor Jacobo Regi fuit consiliorum, ex quibus deinceps cum Bothuelio actum, quorumque, summa moderatione susceptorum, hic exitus fuit, ut factiosum istum Comitem, cujus indomita & effrænata audacia non parvum aulæ terrorem injecerat, prostratum ad pedes suos Rex videret, supplicemque ad omnes conditiones descendere, quæ a legatis Danicis consignatæ, ipsi imponerentur. Hujusque rei testes excitare possumus, ex monumentis autographis, inter cetera legationis acta repertis; in quibus & libellus extat ipsius Bothuelii manu subnotatus, quo delicti veniam orat, Regisque se potestati, dummodo sibi de imposito veneficii crimine æquum reddatur judicium, permittit. Sed nescio an amplius insigniusque ullius memorabilis rei afferri possit testimonium, quam quod de hac ipsa, quam exposuimus, a Jacobo Rege post aliquot annos impertitum est, quodque eandem extra dubitationem omnem collocat. Habetur id in litteris ad Regem glor.

mem.

mem. CHRISTIANUM IV. scriptis: quas, quia totæ ex laudibus Cragii sunt compositæ, ac nihil quicquam illis præterea continetur, non dubitamus hoc loco, in honorem nostri, inserere:

„JACOBUS Dei Gratia Rex Scotorum, Serenissimo Principi Domino CHRISTIANO QUARTO, Daniæ, Norvegiæ, „Vandalorum Gothorumque Regi, Duci Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ, Dithmarsiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorst, Consanguineo, affini, fratri & compatri charissimo, salutem & continuum „felicitatis incrementum.

„Serenissime Princeps, consangvinee, affinis, frater, & compater charissime. Cum nobis in mentem venit, qua fide & diligentia Nicolaus Cragius, Serenis Vræ subditus, legationem in regione „nostra obiuerit, non potuimus non ejus reminisci, & gratum nostrum erga eum animum his nostris literis palam facere. Si nihil „aliud, fortunatus certe successus, qui in charissimæ nostræ conjugis „rebus, dicti Nicolai maxime opera & consilio, sapienter constitutis „apparet, ejus fidem prudentiamque abunde testatur. His accedit „insignis animi magnitudo, qua turbulento & periculoso tempore „seditiosis aliquot, qui in palatium nostrum per insidias tum forte irruperant, Sertis Vræ nomine sese fortiter opposuit, quod nobis magno usui fuit. Quocirca eum, ut virum doctum & prudentem Sti „Vræ enixe commendamus: Rogantes ut Stas Vra ejus studia foveat, „& benevolo animo tueatur. Gratissimum certe nobis erit, si commendationem hanc nostram sibi honori & emolumento fuisse intelligat; paratique erimus, Stem Vram omnibus fraternis officiis vicissim „demereri, quam ut DEus opt. max. quam diutissime incolumem „conservet, ex animo precamur. Datæ e regia nostra Falcolandiana, quarto die mensis Augusti MDXCVII.

„S. V. frater amantissimus,
„Jacobus R.

Reversus ex Scotia noster, priora studia resumsit Hafniæ, & ad curandum, quod in Academia habebat, officium totus aliquamdiu incubuit. Accidit autem, ut non adeo multo post, vere scilicet anni MDXCIV. in hanc urbem accederet illustris vir Petrus Junius, à Jacobo Rege missus, ut de nato illi primogenito filio lætum ad aulam Danicam perferret nuntium. Atque iste vir, quem singularis & eximia virtus, cum præstanti eruditione conjuncta, venerabilem cunctis fecerat, non parvus vero usus, ex variis, quibus apud nos functus erat, legationibus, meliori gentis nostræ parti conciliarat, quemadmodum nuper in Scotia multis Cragium honoribus officiisque erat complexus, ita &, dum hic fuit, congressum ejus & sermones fere quotidie requirebat. Aderat iisdem sæpe etiam alii docti homines, quos ad patriæ nostræ gloriam insignes istud ævum protulerat:

inter eos Jonas Jacobus Venusinus, acerrimi ingenii vir; (in cujus epistola quadam, olim inspecta, memini hoc, quod refero, mihi observatum.) Erant autem urplurimum colloquia ista de utriusque gentis historia; de ea præcipue, quæ tum ante haud multos annos edita, ac a Georgio Buchanano, Junii quondam in Jacobo Rege erudiendo collega, fuerat de rebus Scoticis, præclaro studio divinaque & incredibili eloquentia conscripta. In qua cum nonnulla nostri animadverterent, de Danicis Norvegicisque rebus, secus quam veritati conveniret, tradita, ita ut simul neutiquam inficiarentur, magnam culpæ istius partem in nostris hominibus residere, quippe quibus neglectum hoc nimis fuisset scriptionis genus, diuque aliquis desideratus, cujus industria, si non similes, ejusmodi saltem commentarii in publico conspicerentur, unde, in posterioribus præsertim seculis, lux aliqua nostræ historiæ affulgeret: hortari eos Junius, ut in hac parte ipsi aggrederentur dignitati & gloriæ patriæ suæ servire, neve committerent, ut de eodem aliquando neglectu apud posteritatem rei fierent. Inprimis autem non destitit Cragium impellere & urgere, ut, quoniam suppetebant ei omnia, ex quibus comparatam esse oporteret boni historici facultatem, eo studium suum cogitationemque omnem conferret. Quod a Junio quidem dictum, ceterorum, a quibus exceptum fuit, facile approbationem meruit. Et sane haud multis opus erat stimulis ad incitandum nostrum; quippe cui nequaquam animus deerat ad hanc gloriæ laudisque viam ingrediendam, deerat autem illorum, penes quos esset eandem aperire scilicet, auctoritas. Sed neque diu hæc desiderata. Vix enim ad aures procerum, qui pro Rege cuncta administrabant, res pervenerat, quum hi ipsi, laudato impense nostri studio & erga patriam pietate, omnia ea facerent, ex quibus quantum proposito ejus faverent, quantumque a facultate ejus & industria expectarent, perspiceretur. Etenim de historiographi munere ei deferendo, Regis nomine, amplissimum ornatissimumque decretum fecere: Cujus tabulam, pridie Cal. Sextil. perscriptam vidimus,in hanc sententiam:ut à describendis proximorumRegum CHRISTIANI III. & FRIDERICI II. rebus, (siquidem hoc ipse prior proposuerat,) initium faceret, absolutisque iis, ad superiora tempora aggrederetur; ut ad Frothonem usque ascendendo, cuncta, quæ in Saxonis Grammatici libris vel præterita, vel parum diligenter enarrata observaret, tum & quæ a Saxonis ævo relicta essent, suppleret; ut latino sermone omnia, summa fide summaque veritatis cura exequeretur, neque in momentis rerum aut negotiorum causis & rationibus quicquam memoria dignum omitteret; ut toti operi perficiundo haud plus temporis quam sexennium impenderet, diligentissime vero daret operam, ut illud, quantum fieri posset, breviore spatio absolveret;ut in mercedis locum sexcentos unciales nummos perciperet, singulis annis ex ærario regio numerandos; ac denique, ut liberum ad tabularia regni haberet accessum, nihilque ipsi, unde ad instruendos annales aliquid posset erui, occlusum foret. Ceterum in annuis postea aliquid immutatum, sic tamen, ut haud quicquam ex

emo-

emolumentis noſtro detraheretur, quod aliunde non reciperet certius. Nam quod Ripis Cimbrorum habebatur apud eccleſiam cathedralem ſacerdotium amplum & opulentum (Decanatum appellabant,) & ab Andrea Severini Vellejo fuerat, ſub ea conditione, ut hiſtoriam ille Danicam perficeret, ultra XX. annos poſſeſſum, Cragio ſequenti anno, qui fuit MDXCV. litteris regiis tranſcribitur, eadem lege, atque ut de pecuniæ, antea conſtitutæ, ſumma quingenti unciales decederent, reliquum vero quotannis ex ærario ſolveretur. Simul & injungitur Vellejo, ut quodcunque apud ſe eſſet ſcriptorum ad res patriæ ſpectantium, noſtro omne mitteret. Quod & ſine mora præſtitiſſe, ex ejusdem ad Senatores regni litteris, de ea re diligentiſſime ſcriptis, cognovimus. At non magno certe fuerunt adjumento, quorum indidem noſter compos factus. Uberiorem multo omnique modo ampliorem ſibi materiam propria diligentia comparavit; utpote quam non tantum ex ſecretis tabularum excerptam, verum etiam, ex cunctarum fere gentium annalibus monumentisque, quotquot in publico tunc extabant, incredibili ſtudio conquiſitam, in adverſaria ſua referebat. Horum adverſariorum pars quædam in bibliotheca Academiæ aſſervabatur, priusquam ferales eam flammæ ante paucos annos deſtruxerunt. Inter iſtas chartas cum nonnulli forte offendiſſent diſſertationem admodum memorabilem, quam per epiſtolæ modum ſcripſerat eadem ætate Andreas Foſſius, Bergenſis in Norvegia epiſcopus, vir inſigniter doctus, & admiranda hiſtoriæ omnis ſcientia conſpicuus, eaque ipſâ de Saxone Grammatico peracre judicium fecerat, neque adſcriptum veri eſſet auctoris nomen, in eam devenerunt opinionem, eſſe opus Cragianum; ita ut deinceps deſcripta a ſtudioſis exempla, ſub hujus nomine ſpargerentur: Quale etiam unum ipſe poſſideo. Sed non, ita qui opinati, diligenter epiſtolam perlegerunt. Eſt vero eadem, cujus partem aliquam Stephanius in *prolegom. ad Sax. cap. XXI. pag. 36.* protulit. Quamvis non dubitem, Cragium noſtrum, in ferenda de parente hiſtoriæ Danicæ ſententia, haud adeo multum a Foſſio diſceſſiſſe.

Atque ad iſta dum noſter aſſidue eſt intentus, dum in iis totus eſt, omnique cogitatione & cura hanc unam artem perſequitur, de aliis ſolicitus eſſe rarius, parumque oppido ad negotia, quibus diverſi aliquid ineſſet, mentem aduertere; ita ut neque græcas illas amplius obiret ſcholas, neque profeſſorum cœtus frequentaret, neque in ulla, quæ quidem ad Academiam pertineret, officii parte eſſet diligens. Quæ res, quoniam abhorrere a majorum conſvetudine & conceſſis apparebat, & ſpectare nimis ad licentiam credebatur, homini vehementer inuideri cœptum eſt. Et quidem muſſare inter ſe primum collegæ ejus, ii maxime, quos jamdudum publicus ille favor & gloria fulgore ſuo urebat. Deinde & palam in conſiſtorio, id enim profeſſorum conventus nomen habet, de neglecto ipſum munere admonere; imo etiam rectorem increpare, quod in re tanta, ubi fama Academiæ agebatur, tamdiu non vereretur connivere. Ad

quæ

quæ noster, nihil tam acerba reprehensione dignum admisisse, neque in eo tam graviter a se peccatum, quod aliquando valetudine impeditus, nonnunquam mandatis procerum evocatus, ut plurimum vero in colligendis atque excerpendis, quibus opus ad anualium regni confectionem foret, laboriosissime occupatus, haud eadem, qua ceteri, diligentia, ejusmodi rebus nullis districti, Academicas leges observasset. Etenim perfacile sibi futurum, illam, quæ a collegis suis tanta verborum asperitate denegabatur, a supremo magistratu veniam impetrare. Neque aliud hoc dicto jactabatur, quam quod effectum iri noster certo confidebat. Et re ipsa brevi post effecit, allato ad professores diplomate regio, Aarhusii d. XVI. Octob. MDXCV. scripto, de partibus suis in Academia, quoties vel abesset, vel aliis negotiis distineretur, alteri cuidam imponendis. Attamen, quod mireris, nihilo illi magis præbere se indulgentes; quin potius rigidius multo præfractiusque adversati, nimis iniquum hoc dictitare, si ejusmodi edicto eis, quæ lege sancita essent, & ad juris omnium æquabilitatem facerent, obrogaretur. Nihilque ægrius factum est multo rectoris labore, quam ut a consilio desisterent ad proceres rem omnem deferendi, & cum eisdem de iniquitate mandati expostulandi. Erat autem, qui, hoc consilium suggerebat maximeque urgebat, Ivarus Stubæus: homo doctus quidem, sed pervicacis ingenii, quique aliorum plerumque fortunæ secundæ invidebat, dum sibi ipse moribus & vivendi ratione fabricabat pessimam. Verum pervicit tandem noster, ut in schola, quoties sibi ex urbe egrediendum foret, officium suum alius collegarum fungeretur: hocque ut fieret, non paucis diebus post dictam altercationem, cum in Scaniam proficisceretur, obtinuit. Spectabat illud iter ad colligenda & inspicienda, quæ per Scaniam vicinasque provincias reperirentur, sive scripta historica, sive alia antiquitatis monumenta. Præcipue vero, ut cum Magno Matthia, doctissimo Lundensium antistite, sermones & consilia sua conferret, & cujus generis essent, quibus egregius iste vir instructus, varia in patria historia exorsus esset ac moliretur, memoriæ, præsens cognosceret. At, ne in alias regni partes ejusmodi profectionem instituerer', tum valetudo obstabat, quæ per sequentem annum subinde ei infirma, tum, quod credimus, haud æque necessarium judicatum. Et præterea, quod supra omittebamus dicere, provisum negocio illi erat per mandata regia, quæ jam anno MDXCIV. perlata erant ad cunctos regnorum Daniæ Norvegiæque cives, tum equestris, tum literarii & sacri ordinis, tum etiam magistratus urbium: quibus, quodcunque ipsis foret cognitum, alicujus in re historica nostrate usus, indicare Cragio, aut descriptum ad eum mittere, imperatum. Acceperunt deinceps etiam ejusdem generis mandata Islandi, de quorum monumentis magna semper nostris opinio fuit: seorsim vero Arngrimus Jonas, cujus diligentiæ hæc potissimum cura ab ipsis proceribus commendata. Et quidem ad eundem jam anno antea scripserat Cragius, nec non ad Gudbrandum Thorlacium, Islandiæ australis præsulem, rogans inprimis eos obtestansque, ut in parandis, emendis & ex-

exponendis historiarum, quæ apud ipsos inquirerentur, monumentis institutum suum adjuvarent. Extant hac de re epistolæ ad Arngrimum Cragianæ: quas ille, una cum quibusdam aliorum, evulgavit in libro, *Apotribe calumniæ* inscripto, & Hamburgi an. MDCXXII. typis excuso. Qui liber, quoniam in paucissimorum hodie est manibus, fortassis nihil abs re facturi sumus, si eorum in gratiam, qui quo noster fuerit ingenio ad unamquamque rem existimandam, quantaque in studio antiquitatum apud animum suum proposuerit, avebunt scire, nonnulla ex dictis litteris excepta, ad paginæ hujus oram adscripserimus. (a)

(a) In epistola anno 1596. d. 24. Aprilis scripta sic ad Arngrimum Cragius: *Impetravi a gubernatoribus regni mandata ad Islandos vestros & seorsim ad te, de inquirendis & exhibendis historiarum monumentis quæ apud vos extant. Subscripsere iis, qui aderant, Steno Brahe & Huitfeldius, ut vides. Nam Rosæcrantzius extremo fato defunctus est; Pasbergius & Sefeldius in Jutia erant. Spero te jam aliquid operæ pretium allaturum, ut propositum nostrum adjutes. Chronicon illud Norvagicum, cujus postremis literis mentionem facis, nimis quam concisum & breve, præsertim initio, ubi de originge & propagatione gentium septentrionalium agit. Quæcunque igitur haberi poterunt, vel de hisce, vel de Regum historiis, communicari mihi cupio. Adjungas etiam Baronum & Comitum Hetlandiorum, Orcadensium, aliorumque res gestas, ex quibus emendari & locupletari historiæ Norvagicæ possunt, utpote his immixtæ. Nec contemnenda puto Apophthegmata & Scita magnorum virorum: ut suo quæque loco in Historia Regum inserantur. Horum omnium, quam fecisti spem, ut præstando sustentes, rogo. Potissimum vero in id elabores, si forte Danorum aliqua reperire erit, quæ vel cum Norvagis, vel cum Scotis, aut etiam cum vestratibus, Hetlandis, Orcadensibus, intercesserunt.* Et in aliis litteris, seq. anno, Hafniæ Nonis Maji datis: *Gratissima mihi fuit opera tua, quam præstitisti in rebus historicis gentium nostrarum septentrionalium, & eam spero magno mihi adjumento futuram &c. - - Id modo age, ut tum de Danicis rebus, tum de Norvagicis, Sveticis, & inprimis de vestris certa & luculenta documenta habeamus. Omnes nostros spes habet, in veteri historia nusquam certiora & veriora, quam apud vos extare; propter ea quæ Saxo de vestris scripsit. Et supersunt tum apud alios, tum apud me libri MSS. in membrana, vestræ linguæ, qui fidem ei rei faciunt. De gentibus septentrionalibus earumque ortu præcipuo, mibi semper aqua hæsit. Invenio in Scythis, Neuros, Gelones, Budinos, Melanchlænos, multa habuisse communia in moribus cum Norvagis & vicinis insularibus. Invenio etiam* Οὐίτας *apud Strabonem, & Vitas latine, quo nomine Juti nostri Anglicis scriptoribus appellantur. Hinc ego de nostris aliquam conjecturam facio, quam tamen non evulgo, antequam a te & aliis doctis viris firmetur. In Geographicis etiam multa desidero, & de gentium migrationibus, quæ omnia ignorantiæ crassa caligine involuta. A te aliquam lucem expecto, quæ hanc discutiat. Et quæ fortassis videntur maxime fabulosa, huc aliquid conferre possunt, ut ipsi eruamus, quod verum est. Itaque quicquid de his penes te est, feras tecum ad nos, ut ne jota quidem tibi reserves, nisi autographa, &c.*

Interea, quantumcunque erat, quod in istis collocabat temporis, tunc haud amplius tamen id videtur professorio muneri nimis offecisse, aut collegis ejus ansam præbuisse ad idem, quod prius, reprehendendum. Certe jam multo frequentior conventibus ipsorum consiliisque interfuit. Atque, ut alia omittamus, in una re præcipue insignem Academiæ navavit operam, cujus magna semper comprobata fuit utilitas & adhuc existit. Hæc vero fuit, quod, cum antea nimis sæpe inciderent inter professores novos, & decessorum viduas aut heredes, de partitione redituum, (vocant peculiari vocabulo *annum gratiæ*,) contentiones graves & permolestæ, easdemque raro contingeret, nisi ad longum tempus pertinacia partium extractas, aut sine aliqua alterutrius partis querimonia dirimi, tandem Cragio annitente effectum, ut de ea re certi aliquid lege præscriberetur. Et sane nihil æquius prudentiusque excogitari potest, quam quod hic ipse deinceps scivit, & ad tollendas omnes de *anno gratiæ* lites brevi scripto dilucideque comprehendit: quod &, postquam illud ratum habuissent ceteri, perpetuæ sanctionis vim obtinuit. Circa eadem tempora decanus philosophici ordinis designatus est; hocque ad calendas Jul. anni MDXCVI. acta nostra referunt.

Anno autem MDXCVII. exeunte, legationi novæ destinatur ad Regem remque publicam Polonorum. Erat in Senatorum regni Danici numero Henricus Ramelius, Dominus de Beckeskow, Regi CHRISTIANO IV. percarus, cujus etiam regundæ pueritiæ formandisque moribus præfectus fuerat. Huic cum Sigismundus Augustus. Poloniæ olim Rex, grandem pecuniam debuisset, de qua & ipse, & successor ejus Rex Stephanus, & nepos Sigismundus III. frustra fuerant appellati, tandem a suo domino Ramelius id gratiæ beneficiique loco impetravit, ut mitteretur eo Cragius, tentatum, an ad dissolvendam ejus nominis obligationem posset Regem & Senatores, congregandos in comitiis Warsawiensibus sequenti vere, adigere. Sed & præter hæc, alia in mandatis nostro data, quæ cum ad Svecica solum, non vero Polonica, attingerent, erant seorsim cum Sigismundo agenda: nimirum inter alia instandum, ut, quod sæpius fuerat flagitatum, in controversos illos fines, quibus Finmarchia Norvegicæ, & Lapponia Svecicæ ditionis, discerminandæ, delecti quam primum arbitri mitterentur. In utroque negotio, tam hoc ultimum memorato, quod præcipuum erat scilicet, quam Rameliano illo, diligenter laboravit noster, neque improspero, ut videtur, successu. Quantum enim apparet ex iis, quæ Regi nostro Sigismundus rescripsit, de utroque, intra breve tempus finiendo, magnam spem secum domum retulit. Reversus ex Polonia adulto vere ann. MDXCVIII. otium non nisi semestre est sortitus: antequam enim ad finem annus decurreret, in Angliam ablegatur. Ad hanc vero missionem optimum Regem permoverant querelæ plurimorum civium, aliorumque, qui in ditione ejus erant, mercatorum, qui, cum superioribus annis, per exardescens inter Anglos & Hispanos bellum, infestum haberetur mare,

re, a præfectis navium Anglicis vexati graviter miserumque in modum spoliati, sæpius deinde tentaverant apud Anglos causas suas in judicium deducere; sed successu semper irrito. Ut igitur finis tandem aliquis statueretur tot injuriis & querimoniis, quibus undique e Dania Norvegiaque Regis aures obtundebantur, consultissimum est visum, istud Cragio negotium imponere; ut nempe, in Angliam profectus, causam afflictorum ageret, ac eo usque in petitione insisteret, donec obtineri posset, Reginæ auctoritate, ut extremum juris auxilium adhiberetur. Quam autem & studiose egerit, & acriter institerit, oratio docet, quæ ab eo in Westmonasteriensi aula, coram Regina ipsa, Senatu & compluribus nobilibus præsentibus, est habita, die XVII. Decemb. an. MDXCVIII. atque non tantum apud nos, inter cetera dictæ legationis acta occurrit, sed etiam in Rymeri Sylloge *Tom. XVI.* ex bibliotheca Cottoniana legitur evulgata. Verum, quod fortassis non multi exspectarent ab umbratico homine & in scholis contrito, quam eleganti factoque ad aulam ingenio fuerit, brevis illa & arguta declarat epistola, quam eidem orationi, cum Reginæ postea descriptam, ex iterata ipsius flagitatione, mitteret, adjunxit. In qua nimirum, inter alia, videre licet *florentis ætatis venustatem & gratiam*, in Heroina jam vetula & sextum ac sexagesimum agente annum, collandari, quod utique à venusto oratore & perito de aliis prædicandi, quæ ipsis essent optatissima, nemo, qui modo Elisabetham nôrit, inficiabitur. Interim ab incomparabili eadem Regina haud levia in nostrum exstiterunt honoris & gratiæ documenta. Neque enim tantum ad colloquia ejus admissus est sæpe, in quibus solebat illa latinitatem suam excusare, multaque non verebatur festiva sermonibus istis immiscere; sed &, eadem jubente, multo digniore loco, quam ei fuerat a proceribus destinatus, habebatur. Attamen in negotio, quod agebat, haud eapropter ad voluntatem fluxerunt cuncta, adversantibus inprimis, ex optimatum numero, qui jampridem in partem spoliorum, quæ scilicet repetebantur, venerant. Ita ut, quantumcunque noster adlaboraret, judicesque ad eam rem delectos urgeret assidue, tamen spoliatorum perpauci aliquid ad recuperanda sua profecerunt. Quodque ad alterum mandatorum caput attinebat, in quo de piscatu Anglorum prope Norvegiam, ab omni tempore, edictis nostrorum Regum pactisque inter Daniam & Angliam, vetito, disceptabatur, etiam in aliud tempus hoc rejectum. Atqui Cragius sibi Reginæ animum ad ultimum usque benevolum expertus, cum discessum ex Anglia pararet, torque aureo insignis pretii donatur. In reditu autem ei accidit, ut, cum in Belgium pervenisset, ac Lugdunum Batavorum a. d. III. Non. Maji an. MDXCIX. ingressus esset, sequenti die ulterius in viam se daturus, a consulibus urbis, honoris & benevolentiæ ergo accedentibus, totum diem retineretur, magnificoque exciperetur convivio: cui rector Academiæ pluresque docti & illustres viri interfuere. Meminit etiam hujus diei, in erudita Batavorum urbe actæ, Jo. Meursius, qui tunc admodum juvenis, nec facie quidem nostro, sed ex scriptis & clarescente supra ætatem

fama

fama notus, uno alteroque post mense particulam *Exercitationum Criticarum*, quas eodem anno publicavit, ad ipsum in Daniam misit, hac, quæ & in impressis exemplaribus legitur, epistola exornatam:

„Nobilissimo Viro NICOLAO CRAGIO, Sereniss. Daniæ Regis Consiliario, & in Angliam Exlegato Joannes Meursius S.D. Cum „nuper hic esses Vir Nob. meique videndi perquam cupidus, ut ex „amico utriusque nostrum Paullo Merula intellexi, vehementer do„lui fortunam ejusce diei colloquium mihi tuum invidisse. Eidem „tamen gratias ago, quod viam mihi straverit ad amicitiam tuam, „quam ego Crassi divitiis potiorem habeo. Amo autem (& quis non „doctorum?) atque colo te plurimum: ita insignis eruditio tua me„retur, quam editis de Rep. Lacedæmoniorum libris præclare decla„rasti. Amoris mei observantiæque testimonium hic signare visum. „Tu hæc pauca ad Epidicum discure, & miniata tua cerula nota.

Ceterum hæc ipsa Anglica est legatio, de qua mentionem in *Annalibus* suis facit Guil. Camdenus, ad annum MDC. (b) ubi Cragium elogio *Viri literatissimi* exornat. Etsi de primario ipsius negotio nusquam is commemorat, contentus exaggerasse, quæ de piscatu Norvegico & Islandico contra libera maris jura, vult credi, a nostris fuisse disputata; quorumque componendorum causa, conveniebat deinceps, ut delegati utrimque Emdam mitterentur. Quemadmodum e diverso idem auctor iniqvus sane, ac nimius deprehenditur in extenuanda Anglorum culpa, quod illorum legati non ad statum diem Emdæ comparuissent. Qvum vel ex ipsis Danicorum ad Angliæ Reginam literis (c) constet apertissime, nostros ista mora indigne ludificatos, postquam Emdæ integrum hæsissent mensem, neque vel literis aliquid vel nunriis ad ipsos esset de Anglorum adventu allatum, credidisse longiorem expectationem parum Regis sui dignitati convenire: haudquaquam vero, quod futiliter ille subjicit, quia res annonaria defecerat, domum properasse. Idque ipsum aliis literis ad CHRISTIANUM IV. quæ, dum hæc scribo, in manibus meis sunt, declararunt, in quibus nulla annonariæ, nec pecuniariæ rei, sola vero Anglicanæ insolentiæ extat mentio. Ac in eo legatorum numero a nostra parte etiam fuisse Nic. Cragium, iisdem litteris edocemur. Ceteri fuere Christianus Frisius Cancellarius, Manderupius Parsberg, Henricus Ramel, & D. Jonas Charisius. Cum his una Hafniam rediit noster mense Majo anno MDC. brevique post fratri Andreæ Kragio, Med. D. Physicesque professori, exequias ivit.

Et, quasi fatum ita cum eo decrevisset agere, ut nullum videret annum domi quietum indulgeri, denuo circa calendas Januarias mandatum de revisendis Polonis accipit. Neque tamen solus nunc eo

(b) *Pag.* 825. *edit. Th. Hearne*, in 8vo.

(c) Vid. Th. Rymeri *Acta & Fœdera Vol. XVI, pag.* 396.

eo proficiſcitur, ſed Henrico Luckio, illuſtri viro regnique Daniæ Senatori, adjungitur. (Fuit Henricus iſte, ut hoc obiter injiciamus, filius inclyti illius Georgii Luckii, qui, antequam & ipſe in Senatum Danicum cooptaretur, in militia atque in aula Franciſci I. Galliarum Regis perdiu vixerat, ejusque nomine, minimum quater, (d) in Daniam legatus ad CHRISTIANUM III. iverat.) Hujus etiam legationis cauſam, quoniam idem in prioribus a nobis factum, indicabimus. Conqueſtus plus ſemel apud CHRISTIANUM IV. fuerat Elector Brandenburgicus Joachimus Fridericus, de iniquitate Polonorum, quibus jamdudum id agebatur, ut illum a jure, quod in Boruſſiam hereditarium habebat, excluderent, aut, ſi interverti omnino hoc non poſſet, adeo tamen duræ Brandenburgicis leges impingerentur, ut potiſſima pars beneficii, quo Albertus I. filiusque ejus uſi fuerant, ceteris ex eadem domo deperiret. De quibus conditionibus ac legibus cum ſubinde ab Electore eſſet recuſatum, Rex Poloniæ Sigiſmundus III. hanc detrectationem in ſuum convertere commodum, inſtigatusque a ſatraparum nonnullis, omnem conferendi beneficii, ſive, ut loquuntur, inveſtituræ ſpem adimere, usque adeo, ut in literis etiam ad Electorem, inter ditionum uomina, ad titulum adhiberi ſolita, Boruſſiæ mentionem omitteret. Itaque Joachimus Fridericus, excelſi Princeps animi, poſtquam nihil precibus miſſionibusque ſe proficere, ſed eludi jam tertium in annum expectationem ſuam videret, conſtituit alia via rem aggredi, atque jus illud ſuum armis vindicare & perſequi. Id conſilium cum cognatis Principibus, præcipue vero cum genero ſuo, Rege CHRISTIANO IV. communicat, ſimulque ab eo CCM. nummorum uncialium in belli uſum expetit. At id neutiquam comprobatum CHRISTIANO. Qui potius, ut molliori via res tentaretur; cum maxime vero, ad Polonorum animos expugnandos, officia preceſque amicorum adhiberentur, auctor extitit. Hocque, ut periculo magis vacuum, ſecutus Elector, non ſolum plures exoravit alios, ut ad comitia Warſawienſia legatos ſuos deſtinarent, ſed & Regi noſtro, idem ut faceret, perſuaſit. Quo vero plus ponderis ac auctoritatis ineſſet legationi, placuit quendam Senatorum regni, cum oratore eumprimis idoneo, qui Brandenburgicis fideliter ad omnia præſto forent, mittere. Equidem perlecta nobis ſunt diurna iſtius legationis acta, Cragii manu exarata; nec non oratio, qua coram Rege & Senatu Polonico, in magna frequentia recitata d. XVI. Febr. an. MDCI. jus domus Brandenburgicæ in Boruſſiam meritaque ejus erga Polonos luculenter, nec vulgari facundia expoſuit; &, quam parum Regi reique publicæ conſuleretur ab iis, qui contraria ſuadere non veriti, tot amicorum Principum petitiones & deſideria nullo eſſe habenda loco cenſerent, demonſtravit. Atqui certe nihil in oratione iſta, quantum judicare poſſumus, vel exaggeratum nimis, vel minaciter ita expoſtulatum, quemadmodum

(E) Rein-

(d) Vid. *Annall.* Nic. Cragii, ad an. 1535. *pag.* 111. ad ann. 1537. *p.* 164. ad an. 1538. *p.* 184. &c.

Reinholdus Heidensteinius in historia sua scripto prodidit. (e) Neque, ut ibidem additur, aliquid ejusmodi culpæ derivare in Cragium jure poterant Brandenburgici; utpote quibuscum jam ante tota ratio dicendorum fuerat deliberata, quique sibi in mandatis datum esse, *si nihil impetraretur, Regi & Senatui Polonico denunciare, Illustrissimum Electorem causam tam justam deserere non posse, ac sperare ab amicis auxilia haud defutura*, (f) coram Legatis Danicis erant falsi. Sane hunc eventum res habuit, ut, quæ noster in eam sententiam, ac ex mente Brandenburgicorum, etsi lenissimis verbis & quodammodo tecte, protulerat, tanta tamen vi & efficacitate illaberentur in Senatorum animos, tot pariter ex diversis locis legatorum adventu, qui operam eidem rei omnes darent, perculsos, ut paucis post diebus decreverint, negotium haud longiore deliberatione producere. Attamen, cum deinceps ad id, quod caput erat, veniretur, controversiæ eædem fere, quæ antea, renascebantur, de conditionibus. Et cum ad eas descendere, quales ferebantur a Polonis, minime Brandenburgicis esset integrum, & hi, & nostri, (quibus interea temporis peculiaria quædam, Regis sui nomine, cum Sigismundo fuere transacta,) domum reditionem pararunt. Redierunt autem Luckins & Cragius Hafniam circa medium Aprilem, atque, (quod ipsis eorum verbis liceat ex scripto, superius laudato, referre,) „ita fuerunt accepti, ut „legationem cum fide & diligentia obitam, non ingratam Regiæ Ma„jestati fuisse appareret.„

Et Cragius, cui jam ultimo triennio, ne quid de superioribus annis dicamus, divisæ inter Academiam & aulas Regum curæ fuerant, nunc totum sese ad illam denuo vindicare. Rectorisque munus, ex ordine sibi quod obtingebat, suscipere. Factum vero, ut, cum rector inauguraretur, antiquis ritibus, ipse Rex maximus CHRISTIANUS IV. celebritatem illam præsentia sua illustrarit, una cum fratre ULDARICO, ac in amplissima procerum & aulicorum corona solennes istas pompas duxerit: quod quidem totum honori datum Cragio. Quemadmodum etiam, cum haud multis post diebus, (erat VII. Cal. Julii,) nova Academiæ basilica dedicaretur, qua auditoria professorum omnia, tam superius, quam inferiora tria continebantur, idem augustus Rex, Senatus regni & nobilium multitudine stipatus, ad festivas ceremonias accessit, & facientem verba Cragium, cum magna favoris testificatione, audivit. Ceterum eodem anno alia indulgentissimo Regi occasio Cragii augendi atque honestandi se obtulit. Cum enim Johannes Michaëlius, scholæ Soranæ præses, is, quem antea fuisse Regi a studiis memoravi, diem suum idibus Decembr. obierat, noster protinus in ejus locum sufficitur. Erat

(e) Histor. *rerum Polonicar. ab excessu Sigism. Aug. lib. XII. p.* 371.

(f) Sunt ipsa eorum verba, ex actis legationis desumta. Et præterea Brandenburgicis communicata fuit ad perlegendum oratio Cragii pridie, quam recitaretur.

Erat autem Soranæ scholæ præfectura, antequam in eo loco Academiam CHRISTIANUS IV. erigeret, cum eximiæ dignitatis, tum locupletissima provincia omnium, ad quas isto seculo aditus literato homini, nullis majorum imaginibus claro, pateret. Itaque nihil facile reperiebatur, quod Cragio fructui majori gloriæque esse, nihil, quo melius commoditati consuli ejus posset, in scribenda præsertim historia occupati. Eidemque numquid putamus optatius contingere potuisse, quam a desultoria illa, multisque & itineribus distracta, & negotiis operosissimis implicata vita, ad ejusmodi locum se recipere, ubi in amœnissimo secessu, sedata magis & tranquilla studia exerceret, satisque deinceps consequeretur otii ad perficiendum, quod omnino magni interesse ad patriæ honorem existimavit, nempe ut res ipsius memoria dignas insigni quodam opere enarraret? Et hoc ipsum fuisse, cujus cum maxime rationem Rex habuerit, quando eum istuc amandabat, pro certo existimatur: quod & Vindingio in *Academ. Hafn.* animadversum. Sed quæ in eodem libro occurrit notatio temporis, quo Cragius præses Soranus factus sit, nescio quomodo accipienda: cum sane in commentariis actorum regni exemplum vidimus litterarum, diem XXI. Decembris præferentium, quibus Rex mandarat nobilibus viris Jacobo Windio & Holgero Gagge, ut Soram irent, ibique D. Nicolao Cragio, *jam constituto liberæ & regiæ scholæ præsidi* (hæc enim verba sunt,) præfecturam loci traderent, cum ædificiis, sylvis, rusticis, rationumque libris & indicibus, quicunque eo pertinerent. In actis autem Academicis legitur, ipsum die XXII. Februarii anni MDCII. sese rectoris munere abdicasse, quod tunc Joanni Pauli Resenio demandatum: ac ultimum die X. Aprilis in professorum cœtu adfuisse, hereditariæ litis cum fratris vidua componendæ causa. Unde apparet, ne tantillum quidem ei temporis, quod ad ordinandas res suas sufficeret, Soræ adhuc obtigisse, cum a morte opprimeretur. Obiit enim ibidem die XIV. Maji, id recte annotante Vindingio; quanquam idem superius *pag. 153.* scripserat, successorem ejus, D. Andream Christiani, *Calendis Majis an. MDCII.* ad præfecturam Sorensem admotum esse. Ubi rescribendum haud dubie *Calendis Junii:* siquidem in iisdem, quos nuper citavi, commentariis simile mandatum legitur, de scholæ rebus D. Andreæ tradendis, cui adscriptus dies IV. Junii. Sed hæc levia profecto, & facillime excusanda. At, quod omnino fieri oportuerat, ut nimirum memoria tanti viri, qualis fuit Nicolaus Cragius, monumento quodam publico, aut saltem programmate Academico ex more celebraretur, unde non pauca de ipso addiscere, quæ ignorari supra diximus, licuisset, id vero ab illis, quibus maxime officium incumbebat, fuisse neglectum, quomodo excusationem invenerit, non videmus.

Scripta Cragiana, quotquot adhuc mihi se obtulerunt, eo ordine, quo in lucem publicam sunt edita, enumerabo. Primum, quantum constat, quod prodiit, fuit *Grammatica Latina*, in usum scholæ Hafniensis concinnata, & anno MDLXXVIII. impressa; de qua in præceden-

cedentibus mentionem feci, plura fortassis additurus, nisi exemplum ejus, post ultimum scilicet incendium, quo & unum penes me, & alterum in biblioth. Reseniana periit, nunc frustra desiderarem. Alterum, *Titi Livii Patavini sententiose dicta, ex libris historiarum ejus, qui supersunt, excerpta studio NICOLAI KRAGII PETREJI, Ripensis. His accesserunt sententiæ Sallustianæ ab eodem adjectæ. Hafniæ, impressit Laur. Benedictus* 1582. *in* 12. Libellus Principibus Regiis inscribitur, CHRISTIANO IV. & fratri ejus HULDERICO, Regis FRIDERICI II. adhuc superstitis filiis, quos haud ineleganti præfatione, de utilitate ex historiarum lectione capienda, alloquitur. In dicta inscriptione CHRISTIANUM nuncupat *Electum Regem Daniæ & Norvegiæ:* Quod quidem accepimus visum fuisse nonnullis singulare & animadversione dignum, existimantibus eo nomine appellari non nisi post annum MDLXXXIV. potuisse. Qui tamen debuerant meminisse, electionem CHRISTIANI jam anno MDLXXX. in comitiis Othinianis a Senatu regni decretam, ac ab eo tempore pro rata approbataque habitam, etiamsi anno demum MDLXXXIV. plena eidem confirmatio, per solenne ab universis regni civibus sacramentum, accessit. III. *Differentiæ Ciceronis, seu quæ verius a Grammatico quodam in Dania olim conscriptæ sunt, nuper ex Bibliotheca quadam erutæ, & ex fide V. M. S. in lucem evulgatæ, edente NIC. CRAGIO Ripensi. Hafniæ impr. Laur. Benedictus*, 1589. *in* 8. Hunc, si nihil aliud, librum insignis certe raritas commendaverit. Paucissimis enim, etiam in his terris, visum esse nobis persuasum. Omiserunt eum, sicut & *Grammaticam* jam laudatam, Vindingius in *Acad.* & Alb. Barthol. *de Scriptis Danorum.* Sed hos sæpe fugerunt inventu non æque difficilia: Lipenio tamen nominari videas in *Bibliotheca Philos.* inter eos, qui de *Differentiis* scripsere. Et qui duntaxat ex *Catalogo Reseniano* habent cognitum, vix aliter opinari poterunt, quam ipsius Cragii opus esse, eumque in enotandis è Cicerone verborum differentiis laborasse: cum tamen editoris duntaxat partes egerit, & membranas, ex quibus descripsit, satis inepte præferre Ciceronis nomen, ipse agnoverit. Pertinet nempe libellus ad scriptores medii ævi, in quorum ordine tanto ei minus locum invidebimus, quanto pauciores obscurioribus istis seculis scriptores nostra ostendendos habet patria: Modo primum hoc certum fuerit, ac extra dubitationem positum, auctorem illum in Dania vixisse; de quo nihil videmus Cragium, præter conjecturam, aut nescio quam animi persuasionem, afferre. Neque enim ex eo, quod in Dania repertus, vel quod codex librarii ex nostra gente fuerit manu exaratus, res conficitur. Argumentum, quod facile colligas, est grammaticum: idem scilicet, quod tractarunt veteres illi, a Geo. Fabricio, Vulcanio, Dion. Gothofredo & Putschio quondam editi, *de proprietate & differentiis latini sermonis*, Cornelius Fronto, Nonius, Agrætius, aliique. Et sane haud pauca cum iisdem habet noster hic communia, iisdemque pene verbis expressa; hoc vero solum peculiare, quod dispositas litterarum ordine voces repræsentet; quemadmodum in Ammonio Græco, atque iis, qui Servio Honorato & Pompejo Festo adscribuntur, similibus libellis conspicimus.

In-

Inscripsit Regi Cragius præfationem suam, memorabilem sane illam, ipsique libro oppido præferendam. Exque ea, inter alia, edocemur, tunc temporis ipsum in manibus habuisse præstantius quoddam opus hominis Dani, Esberni nomine, de *bistoria Romana* scriptum, quod sibi ab Erico Langio, viro nobili communicatum, decreverat ad editionem adornare. Verum cur promissis non steterit, & quid postea de Esberniano codice sit factum, æque nobis ignoratum.

IV. De Republica Lacedæmoniorum Libri IV. &c. apud Petrum Santandreanum cIↄIↄxcII. *in* 4. Hoc vero insigne illud est opus, quod Cragianum nomen æternitati famæ inseruit, ac optimæ eorum parti, qui interiores illas litteras colunt, reddidit perjucundum. De quo ineptum foret, quicquam hoc loco addere, librumque nulli non doctrinarum studioso cognitum, supervacua laude ornare, nisi ad nonnulla de eo dicenda nos adigerent iniquiora unius alteriusque scriptoris judicia. Horum primus est Bartholomæus Keckermannus, celebris olim apud Gedanenses professor, qui in *Systemate* suo *Systematum*, illa, qua politica tractavit, parte, non contentus methodum atque ordinem, quo usus Cragius, reprehendere, etiam totum ab eo scriptum abjudicat, & ad Cujacium, ex ficto & commentitio rumore, quem ab aliis se ait inaudivisse, refert. In priore accusatione parum utique est, quod nos moveat: Qui etiam lubentes eam laudem relinquimus Keckermanno, quod, quæ ex Cragii aliorumque scriptis levi opera corrasit, tali deinde methodo disposuerit, qualem, qui philosophantur, scholis suis judicarint convenientissimam; præsertim postquam in Cragii opere nihil istiusmodi desideratum a primariis viris, & quorum in republ. litteraria auctoritas Keckermanniana longe major est. Et eorum sane nonnullos novimus, in argumentis id genus occupatos, sese nihilo magis, quam Cragium, existimasse ad severas illas dialecticorum leges astringi; modo utilia neque alibi temere quærenda lectores suos docerent. Sed bonum factum: ne quis philosopho Gedanensi succensere velit, in Cragio methodi neglectum culpanti; siquidem hoc ipsum vitium objecit Sigonio; at quanto viro! Sic enim in præfatione *Reipubl. Athen.* loquitur: *Inter recentiores eminet Carolus Sigonius, magnus æque politicus & historicus, qui de republica Atheniensi insignes libros scripsit. Insignes dico, materia & rebus, nam formam & methodum, qualis esse debuit, frustra ibi quæras.* Posterius in Cragium illud, nempe de plagio, ad mentita manifesteque falsa pertinet: ad quæ constanter etiam ab universo eruditorum senatu rejectum fuit. Sane usque adeo omnes fabulam despicatui habuerunt, ut fortassis haud alia excogitata fuerit calumnia, cujus eventus majis auctorem suum sit frustratus. Pene ut hoc addamus, nunquam minus necessariam susceptam defensionem esse, quam quæ eo nomine ab Henrico Ernstio (g) instituta est. Quod & ipsi clarissimo huic viro non potuit non animadverti, quando ex Cujacii familiaribus, in quorum plures se ait incidisse, neminem unum inveniebat, qui librorum *de Republ.* (F) *Lace-*

(g) *Variar. observat. lib. II. cap.* 27.

Lacedæm. scriptorem esse Cujacium, non prorsus abjuraret. Et qui credas hoc persuaderi cuipiam posse de summo illo viro, ullam ipsum in argumento, de quo sermo est, operam collocasse; quum etiam haud dubitem affirmare, in universis Cujacii operibus, tanta eorum, qui ultimis editionibus præfuerunt, cura conquisitis collectisque, nihil ex tota antiquitate esse, cujus rarior parciorque extet mentio, quam quod Lacedæmoniorum leges remque publicam attingit? Verum, qui Nic. Cragium norunt, ejusque studiorum rationes quodammodo perspectas habent, his neque poterit obscurum esse, eum, postquam ad juris studium animum appulisset, magnorum virorum, Sigonii, Postelli, Perionii, exemplis excitatum, non solum illam, quam diximus, Græcarum antiquitatum partem sibi elaborandam sumsisse, sed & de aliis urbium Græciæ institutis, nec non Persarum, Ægyptiorum, Carthaginiensium, Massiliensium rebuspublicis, simili labore illustrandis, cogitasse. Et hoc erat scilicet, quod jam aliquot annis, antequam illud de republ. Spartanorum opus exiret, in præfatione libelli *de Differentiis Ciceronis* prodidit, quanquam nomine suo tunc quidem dissimulato. Ubi & inter consilii rationes hanc professus est, quæ ad Danicæ reipublicæ constitutionem, qualis ista ætate erat, ab externorum calumniis defendendam, pertineret. Quem locum, quoniam, ut supra diximus, summe rarus est liber, lectori totum dabimus expendendum: *Non desunt* (in patria nostra,) *qui studio latine dicendi delectantur: Non desunt, qui* κριτικῆς *rationem didicerunt: Non desunt, qui antiquitates, cum alias, tum etiam politicas, quibus illi* (ex aliis nationibus) *merito primas tribuunt, tractare possent, & fortean non minore dexteritate, quam vel Sigonius, vel Bodinus, vel Postellus, vel Perionius, vel alii qui a litteris nomen gerunt. Multa enim ab illis perperam tradita possunt emendari, multa omissa suppleri, puta de legibus, de judiciis, de præmiis & pœnis, atque alia quædam, quæ illi aut prorsus prætierunt, aut levi manu, ut ajunt, attigerunt. Nam quid de iis dicam politiis, quarum antiquitates, non cuivis obviæ, justis quodammodo commentariis illustrari possunt, Spartanorum, inquam, & Græcorum aliorum, itemque Persarum, Ægyptiorum, Carthaginensium, Massiliensium, & plurium, de quibus illi nihil fere literis prodere ausi, certe quod constat non sunt aggressi? Quas omnes & alias qui describet, passim poterit, tanquam ἐκ παρόδου vel aliud agendo, iis respondere, qui non secus ac jurati nominis Danici hostes, reipubl. nostræ constitutionem quavis ratione impudenter traducunt. Ac conveniens admodum, ut arbitror, nostræ modestiæ ea ratio convicia in auctores regerendi, si demonstrare possumus, in laudatissimis illis antiquis rebuspublicis usurpata & approbata fuisse, quæ in nostris moribus tantopere sugillant.* Ultima verba quo respiciant, ignorare non possunt, qui Bodini libros legerint: quem etiam, ut hoc pariter indicemus, tangunt ista in *Rep. Laced. lib. I c. 4. Nec enim ex unius aut alterius seculi consideratione, prorsus de tota Republ. judicium ferri potest, quod quidam confidenter nimis, ut fere omnia, facit.* Ceterum & plura, quam enumeravi, in civili doctrina nostrum fuisse meditatum, videbis hinc inde in laudatissimo opere patefactum. Inter ea commentarium pollicetur in Platonis libros de Legibus, quando, de poëtis agens Spartana e civitate ejectis, *lib. III. p. 172. Plato*, inquit, *videtur hanc legem a Spartanis sumtam in*

suam

suam νομοθεσίαν retulisse, quos & in multis aliis imitatus, quod prolixe demonstrasse potui, nisi animus esset, alio huic rei dicato commentario, id argumenti persequi. Ad summam, non fuit Cragius ex illorum numero, qui ignavi tanquam fuci aliorum laboribus insident, & quicquid eximium arbitrantur, surripientes, in gloriam suam vertunt. Et qui vel unam alteramque ejus epistolarum legerit, quales illæ ad Nic. Kaasium, & utrumque Rosencrantzium, agnoscent eo virum ingenio eaque eruditione fuisse, ut posset e sua ipse penu depromere, quæ propriam sibi laudem vindicarent. Gedanensem autem philosophum quid induxerit, ut fabulæ de Cujacii scriniis compilatis, si modo talem unquam audiverit, fidem haberet, non inquirimus. Certe qui sapientiam profitebatur, ac virtutum præceptis adolescentum animos imbuebat, illo utique indignum erat fallacissimis rumoribus credere, iisque ad detrahendum famæ hominum abuti. Veruntamen plurimum absumus ab ea suspicione, quam fovebat Thomas Crenius, in libello *de furibus librariis*, sectæ nempe ac patriæ diversitatem Keckermanno causæ loco fuisse, ut tam facile aures suas, & deinde operam calumniæ commodaret. Quam enim non modo amarulentum hoc, sed putidum, docto viro tam abjecti animi vitium, sine clarioribus indiciis affingere? Sed de plagii insimulatione ista plus satis actum. Nam quæ alias in nostri opere de Reipubl. Spartanæ forma tradita, minus arriserunt Keckermanno, nunc sponte præterimus; utpote refutata jam olim ab Henningo Arnisæo *Relect. Polit. lib. II, cap. 6.* cujus erudita disputatio multa in eam rem habet, atque his verbis concluditur: *Neque tamen eo inficias, si de statu Reip. Laced. ex historia & rebus gestis judicium ferendum sit a posteriori, quin inde a momento reformationis Lycurgi illic prædominata fuerit democratia, ut recte tradit Nic. Cragius lib. I. de Rep. Lac. cap. 3. & immerito reprobat Nicolaus Semicius, seu Keckermannus lib. II. de Rep. Spartana, cap. 1.* Nempe Keckermanniani scripti de Rep. Spartana usus fuerat Arnisæus editione prima, quæ Nicolai Sennicii nomen præfert, nobilis ex Polonica gente adolescentis, & quæ Dantisci anno MDCIX. prodiit, una cum *Politia Atheniensi*, cui Clementis Colmeri Dantiscani nomen præfixum. Quod in transcursu ideo monere libuit, quia in istis nonnunquam errasse deprehenduntur, qui catalogos librorum historicorum concinnarunt, Struvius, Menckenius, Langletus Fresnoyus, alii. In quibus, quem ultimum nominavi, haud tantopere necesse habuit mirari, cur Jacobus Gronovius nullum in *Thesauro Antiquitatum Græc.* locum Siennicii libro dedisset, (h) quum, si a methodo discesseris, liber nihil fere contineat, cujus ratio a Gronovio habenda esset. Sunt enim ex Cragio transcripta tantum non omnia, alio vero ordine digesta, atque primum sub juvenis istius Poloni nomini, qui eisdem erat thesium lo-

co

(h) Sic enim in nova edit. Parif. MDCCXXIX. in 4to. Tom. III. pag. 213. Fresnoyus scribit: *Nicolaus Sienicius de Politia seu Rep. Spartana, in 4to. Dantisci MDCVI. Livre curieux & peu commun. Je m' etonne que M. Gronovius, qui a mis dans sa collection tant de traitez communs, n' y ait pas mis celui-ci.*

co ad disputandi exercitationem usus, evulgata, sed postea inter auctoris sui, Keckermanni, opera, atque in grandi illo *Systematum Systemate* demum Hanoviæ impressa.

Id denique etiamsi leve non prætermittendum, vocari plerumque Keckermanno nostrum, non Cragium, sed Crajum, errore facile ad librariorum menda referendo, nisi & sæpius occurreret, & in Arnisæi quoque libris, & in Reinholdi Heidensteinii Polonica historia (i) esset conspicuus; ut idcirco ex pronunciatu ortum censeamus. Interim, qui scripta nostri versarunt, eos neque latere potest immutatio unius litteræ, ab ipso in gentilitio cognomine suo facta, quippe quod ad annum usque MDLXXXIII. Kragium, quemadmodum semper etiam frater D. Andreas Kragius, scribebat: a C. vero maluit postea incipere, huncque morem constanter, dum vixit, retinuit. Porro, (ut obiter & hoc addamus,) de altero viro cognomine, qui itidem in Dania vixit, sed gente Germano, ut a nostro distinguatur, non multum opus monere; cum ille, etiam ante natum Nicolaum nostrum, ut puto, senex, CHRISTIANO III. aliquando fuerit â concionibus aulicis, etiam in *Annalibus* nostri ad an. MDXLIV. *pag.* 272. nominatus, nihilque in lucem, quantum comperi, ediderit. Ac de isto quidem homine, cujus ceteris dotibus & insigni præsertim eloquentiæ vita & mores haud plane respondebant, unde etiam aula jussus fuit exire, prodita leguntur nonnulla apud Hamelmannum in *Historiis renati Evangelii apud Hoyenses & Mindenses*, *Operum pag.* 798. & 1313. *seqq.* & apud Ubbonem Emmium *Rerum Frisicar. Hist. lib. LVII. pag.* 891.

Dimisso Keckermanno, alter nobis restat haud paullo doctior illo celebriorque, æque vero inconsideratus censor. Quod enim aliud, quam inconsiderantiæ & temeritatis vocabulum merebitur ea, quam de nostri opere sententiam tulit vir alioqui magnæ famæ excellentisque doctrinæ Hermannus Conringius? Extat illa in libro ejus *de Civili prudentia cap. XIV. pag.* 308. ubi recentiores illos enumerat, qui in describendis antiquis Rebuspublicis singularem industriam adhibuere. De quibus sic judicare ipsi placuit: *Græcas potiores, ille paulo ante memoratus civis meus Ubbo Emmius, eximio simul prudentiæ civilis lumine illustravit. Jam ante vero remp. Atticam Guil. Postellus, & Car. Sigonius egregie, hic cumprimis, descripserunt: & circa Laconicam nonnihil, quamvis minus feliciter, tentaverat Nicolaus Cragius.* Diceres, ne lectum quidem viro, aut perlustratum fuisse Cragii laborem, quando ista in chartam conjiciebat; sed ex aliis ita accepisse. Cujus moris Conringium haud magis fuisse insolentem, ac nonnullos alios doctos viros, qui censuram volunt peragere quam latissime, & judicium de pluribus libris fere, quam pernoscere uni homini est datum, in facile esset, etiam aliis exemplis, ostendere. Ita vero fit, ut quod apud

(i) *Loc. supr. cit. p.* 371. ubi & elogium additur, hac occasione non reticendum: *Legatus Regis Daniæ Crajus erat, elegantis doctrinæ vir.*

apud unum legas, pluribus sæpe imputandum sit. Quid? quod, dum alter alterius exscribit dicta, tam secure nonnunquam id faciant atque oscitanter, ut corrumpant eadem, verbaque illis adjiciant vel demant, quorum sensus primis judiciorum auctoribus in animum nunquam venerat. Atque hoc est, quod in sententia jam allata à Conringio perpetratum. Nempe censuram de Nic. Cragio, quam apud Ubbonem Emmium deprehenderat, suam cum facere institueret, non dubitavit de suo affingere & adjicere ea, quæ cum a doctissimi Emmii verbis, tum a veritate ipsa diffident. Audiamus Emmium: *Ætate nostra Atheniensem remp. Carolus Sigonius Italus, antiquitatis sagacissimus indagator & felicissimus illustrator, bono rei litterariæ prolixe quatuor libris descripsit. Spartanam Nicolaus Cragius Danus, pari ausu & industria, utinam pari quoque felicitate.* Scilicet, quod comparate ab eo dictum, ac de utriusque scriptoris meritis judicatum fuit, Conringius simpliciter extraque comparationem accepit, omnique illo omisso, quod cum Cragii laude aliqua conjunctum, non descripsisse Spartanam rempubl. sed nonnihil circa eam *tentasse*, & quidem *minus feliciter*, pronunciavit. Fatemur equidem, videri posse in Emmiano elogio aliquid inesse obliqui: iis vero tantum videri, qui negligenter intuentur, vel qui nihil putant laudari, nisi quod simul perfectissimum omnibusque absolutum numeris vocetur. Nam quod omnino non illiberalis fuerit in commendando, agnoscimus ex eo, quod citra ullam exceptionem cum Sigonio nostrum industria exæquarit, inferiorem tantum felicitate arbitratus: quod de summa Sigoniani operis perfectione intelligimus. Hæc enim si spectetur, quo minus professori Groningano candidus & peritus lector adstipuletur, neutiquam intercedimus. Quamvis, qui considerare velit, quid in eadem palæstra Emmius, adjutus, ut ibidem profitetur ipse, Cragii laboribus, præstiterit, nihil adeo magnum sint inventuri, quo superari ab ipso nostrum dixerint. Ordinem sane immutavit, & tractandi modum: sed eandem quoque in Sigonianis viam tenuit. Interim neminem præterea novimus, quem, si laudatum Emmium excipias, feriant illa Casparis Barthii, ad Claudianum *pag. 149. Opus Nicolai Cragii de Rep. Laced. cur contemnant, qui post eum meliora non invenerunt, nondum nos docuerunt.* Justissime hæc quidem, si eadem in Emmii verbis contemtus haberemus signa, quæ in Conringio. At quis erit, cui non liquido apparebit, plurimum inter se distare hæc duo: illud scilicet, *in negotio, magnis ausibus suscepto, laudatissima industria versari*, & hoc, *tentare in eodem nonnihil, sed infeliciter?* Neque vero, quia non universas Cragius virtutes magni illius Itali expresserit, sequitur statim, licere Conringio de laboribus ejus abjectius iniquiusque sentire, quam judicavit is, quem secutus est, vir certe, quantuscunque etiam in aliis studiis Conringius fuerit, ad talia censenda haud parum aptior peritiorque. Cui si nonnulla fuerint in nostri opere animadversa, non adeo ad perfectum unguem castigata, atque Sigonii illa sunt pleraque, sciendum, multum Cragio adhuc apparatus atque subsidiorum defuisse, quando scriptionem illam suscipiebat, quemadmodum & ipse haud uno in loco fatetur. Sed quærat aliquis, unde istud affirmari

tam certo queat de Conringio, quod sententiam suam non propriæ cognitioni, sed Ubboni debeat, siquidem iste inter eos reperitur dissensus? Cui respondemus, injuriam majorem fieri Conringio, si putemus eum, perlecto demum Cragii libro, tale judicium protulisse, quam si existimetur alterius illius verbis, animo parum attento lectis, confisus. A me profecto nemo hoc obtinebit, ut crediderim, si modo temporis aliquid sui dedisset vir magnus perlustrandis atque expendendis nostri de rep. Laced. libris, tam inconsultum quid ei scribi potuisse, aut cogitari saltem. Quod vero auctoritate inductus civis sui, viri cumprimis docti, & cui in rebus ad eruditionem pertinentibus diffidere nullus poterat, a recta via declinaverit, id neque mirum nobis, neque, si utriusque verba comparemus, ambiguum habetur. Uti neque hoc mirandum, si & aliis deinde pluribus Conringii auctoritas imposuerit. Quidni enim faceret; præsertim si & virum intueamur, & illam, quæ jamdiu regnavit, præjudicandi consvetudinem, ac censendi aliena fide quodcunque etiam nunquam visum aut lectum, consideremus? Quanto autem æquiores alii, ac ii quidem, tum Conringio, tum civi ejus, hoc certe, quod ad rem attinet, eruditionis genere, præferendi? Ex quibus unum sufficiat appellare Joan. Meursium, quandoquidem in his ipsis studiis nullius unquam diligentia progressa est longius. Cujus candidissimi judicii testimonium facile potest quemvis, diversa opinione imbutum, nisi Musis iratis natus sit, confundere ac in ruborem dare. Is nimirum, præterito Emmio, cujus neque alias unquam meminit, suos *Miscellaneorum Laconicorum* libros a laudibus Cragii exorditur: *De republica Lacedæmoniorum egregium opus scripsit Nicolaus Cragius, magnum Daniæ ornamentum. Ego, quæ neglexit ille, ceu minuta, ut sunt certe, nec ad institutum suum pertinentia, hic proponam: quædam etiam, quæ exposuit, pluribus illustraturus.* Ac ejusdem operis *lib. II. cap. 2.* sic incipit: *De ephoris, senatoribus, & harmostis, legibusque, multa accurate Cragius, uti cetera: ego pauca, seu indicta, seu auctorum aliorum testimoniis confirmata &c.* quæ & ipsa verba in alio ejusdem *libro*, illo nempe, quem de *Regno Lacedæm.* scripsit, *capite XXIII.* repetuntur. Ut taceamus quamplurima loca alia, quibus mentionem de nostro, nunquam fere nisi honorificam, nisi plenam æquissimi judicii, facit. Denique cum in ea Meursius incidit, quæ noster ille, conjectando, ut solet nonnunquam, hallucinatus est, videre est, quam & molliter eum excipit, & castigat modeste. Cujus rei, quod eodem *cap.* (est hoc ultimum de *regno Laced.*) habetur exemplum, itidem adscribemus: *Sed, priusquam finem imponam, de Regum quoque ædibus aliquid hic dicendum puto: quia Cragium falli video, ubi de regibus illi sermo, lib. II. cap. 2. Ait, domos regias fuisse Spartæ publicas quasdam, ubi semper habitarent, qui ad id honoris fastigium evecti essent. Ego contra edocebo, errare virum eruditum; ac privatim sibi unumquemque habuisse. &c.* Hæc ille, & ex vero quidem, cujus & probationes adfert minime inficiandas. Dormitavit ergo Cragius: Neque vero is tanta cura, vel pari attentione animi vigilantiaque, atque Meursius, auctores omnes triverat, ut oculatum satis se ostenderet in argumenti sui hac particula. Quid vero in eadem

ipsa

ipsa Ubbo Emmius? is, qui tam lynceus fuit in Cragii nævis detegendis, (quorum tamen nullum nominatim potuit ostendere,) qui videri etiam voluit maturiore consilio & meliore ordine rem absolvisse, quique a Conringio supra quoscunque alios, qui lumen istis rebus intulerunt, laude attollitur, vidit ne is errorem nostri, ac evitavit? Falleris. Ne suspicatus quidem est scopulum hic latere. Itaque secure in eundem impegit, & quamcunque alias infelicitatem in Cragiano opere deprehenderit, heic saltem partibus suis felicissime functum credidit, & auctorum verba, quæ errorem istum pepererunt, dextre interpretatum. Ita enim de Spartanis Regibus loquitur: (k) *Erant omnium sacrorum administri, quasi sacerdotes. Ad hæc habitabant domo publica.* Quemadmodum quando ephororum magistratum scribit durasse non nisi ad Cleomenem (l), itidem videtur Cragium secutus, non satis in eo accuratum, ostendente pariter Meursio, *Miscell. Lac. lib. II. cap.* 4. quamvis non dissimulandum, hanc de sublato illo magistratu sententiam pluribus communem fuisse, de quo inprimis consulendus Scaliger *Animadv. ad Euseb. MCCLVII.* (m) Non libet, neque hujus loci est, plura accumulare, unde cognosci queat amplius, quam inique ab iis agatur, qui censura sua præcipites ac cæci, libros *de rep. Laced.* Cragii vilipendunt, atque infra aliorum labores deprimunt. Sufficere enim potest, illis omnibus, ad quos jure pertinet hæc cognitio, & qui, in judicando studiorum id genus, exercitatos usu rectosque animi sequuntur sensus, Cragium in magna existimatione habitum, visumque, cujus testimonia in monumentis æterni nominis uterentur, dignissimum. Ad quorum numerum referendi, præter Jo. Meursium jam laudatum, Seldenus in opere *de Synedriis Hebræorum*, Ezechiel Spanhemius, *in notis ad Orationes Juliani*, ac *de Præstantia & usu Numismatum*, Barthius in *Adversariis*, nec non in *commentariis ad Statium* & *ad Claudianum*, Perizonius *ad Ælianum*, Potterus *ad Clementem Alexandr.* Olearius *ad Philostratos*, Humphr. Prideaux *ad Marmora Oxon.* Fabricius in *Biblioth. Græca*, ac in *Bibliotheca Antiquaria*. Andr. Schottus, multique alii, quos brevitatis causa nunc omittimus.

Editiones tres omnino extant. Prima Heidelbergensis, apud Petrum Santandreanum an. MDXCIII. in forma quarta. Secunda Lugd. Batav. an. MDCLXX. in 8vo. ex officina Joannis a Gelder; qui raros jam tum fuisse libros illos, nec nisi carissimo pretio comparandos, in præfat. ad lectorem testatur. Tandemque in magno *Antiquitatum Græc. Thesauro* eisdem locum dedit celeberrimus Jac. Gronovius. Is etiam, acerrimus talium, sed aptus inprimis idoneusque censor, quam dignationem crederet operæ Cragii assignandam, non tantum in præfatione, *utilem & præclaram* appellando, sed & elogio Casparis Barthii

(k) Emmius *de Rep. Laconum*, edit. primæ ap. Elzevir. in 8vo *pag.* 119.

(l) *Pag.* 118.

(m) *Pag.* 72. *b.*

thii apposito, coram erudito orbe declaravit. Ceterum, quod in syllabo scriptorum *Tomi V. Thesauri Gronoviani* promittitur, exhiberi nempe ibidem libros istos *emendatiores & auctiores*, quam in prioribus editionibus legebantur, cave sic accipias, quasi eisdem sit quicquam additum, præter capitum lemmata; utili quidem accessione, quis enim neget? atque etiam latinam eorum, quæ ex græcis auctoribus repræsentantur, versionem, quam Cragius non curavit, nisi admodum raro, apponere. Cetera omnia editioni primæ ita perfecte consonant, ut ne verbum quidem vel additum reperiatur, vel mutatum, typographi menda si excipias. Tametsi maxime fuisset optandum, ut isto tempore, quo Gronovio hæc cura susciperetur, nostratium aliquis cogitasset de subministrando ipsi exemplari, quod aderat in bibliotheca Hafniensi publica, inter libros Academiæ olim donatos ab egregio illo Joanne Georgio Mulenio (n): quippe quod auctoris proprium, plurimisque ab ipsius manu supplementis ac emendationibus ad paginarum oras refertum, fuerat novæ editioni destinatum. Nunc illud, cum tot aliis raris atque caris, nulloque unquam pretio redimendis, frustra lugemus a feralibus flammis absumtum. Supersunt duo tantum epigrammata, quæ olim, dum forte codicem evolvebam, e fronte ejus, cui ipsis auctorum manibus adscripta erant, excepi, & quæ, ut porro ab interitu vindicentur, hic apponam:

„Ad auctorem.

„Cur antiqua adeo, cur tempore dissita, & orbe,
„Nunc Lacedæmonium, Cragie, jura novas?
„Et cur non potius patriæ mage cognita gesta,
„Vel, quam nunc habitas, Urbis, aperta facis?
„Tutius est forsan veterum monumenta referre.
„Nostra, ut scire juvat, sic meminisse nocet.

„Tycho Brahe f.

„Ad eundem.

„Quod fuit, hoc soli debebat Sparta Lycurgo.
„Quod nunc est, tota est gloria lausque Cragi.

„Joh. Isacius Helsingius.

Temporis nulla erat nota addita. Videntur tamen scripta esse anno MDXCV. aut eum secuto. Nam & in Tychonis illo animadvertuntur, quæ ad exulcerati animi indicia referas; adeoque tempori ascribenda, quo erumpere iste jam cœperat ejus invidorum livor, isque de patria relinquenda cogitare. Et iisdem annis in familia magni viri vixisse novimus Joannem Isaacium Pontanum. Is enim est, qui sese natali ab urbe Helsingium appellavit. Erat autem Tycho, ut

(n) Vid. *Catal. Biblioth. Muleniana pag.* 298. *num.* 83.

ut aliis plerisque popularium, aliqua eminentibus doctrina, familiaris, ita a longo tempore inter fautores Cragii præcipuos: atque hic vicissim illum colebat perpetuo, sæpeque Uraniburgi invisebat. Accessit, quod in familia Muleniana, ex qua alteram suam conjugem noster duxerat, erant quidam Tychoni amicitia conjunctissimi. Quod in transitu non prætereundum duximus. Nam de utriusque epigrammatis elegantia nihil quidem opus addere, in qua haud multum, credo, desiderabunt censores, etiam minime indulgentes, & ad hoc genus deliciarum gustu non plane hebeti. Etenim ad laudes illustrissimi Brahéi & hoc spectat, non tantum in sapientiæ studiis naturæque arcanis supra seculum suum excelluisse, sed & in politiore literatura pulcerrimos fecisse progressus, ac sæpe carmine lusisse culto & profluenti. Pontanus etiam, quamvis in epigrammatis habitus plerumque frigidiusculus, in hoc uno disticho incaluisse videtur haud infeliciter. Ac nescimus equidem, qui factum, ut hoc ipsum postea in poëmatum suorum editione (o) non adjecerit.

Eodem anno, quo *Respublica Lacedæmoniorum*, eademque ex officina, noster in lucem emisit *Heraclidis Pontici de Politiis* libellum, vel fragmenta potius, & ex *Nicolai Damasceni universali historia*, seu *de moribus gentium libris excepta Joannis Stobæi Collectanea*. Utrique operi versionem latinam addidit, ac prodire tali curavit forma, ut commode majori illi operi subjungerentur; unde & ejusdem exemplaribus semper fere videbis adhærere. Suntque eapropter ad calcem librorum de *Republ. Laced.* recusi à typographo Leidensi Jo. a Gelder; de quo supra meminimus. Sed dudum ante hanc editionem auctores isti, & græce & latine, quemadmodum a Cragio conversi erant, in publicum, & bis quidem, exierant. Anno enim MDCXIII. Tornæsius eos publicavit, usus ad hoc sine dubio docti alicujus viri opera; cui quantum eo nomine debeatur, atque num ille pluribus in latina illa Cragii animadversionibus, quam una illa a Jacobo Gronovio memorata, paginarum oras distinxerit, haud promtum nobis est dicere, utpote exemplari, dum hæc scribimus, destitutis. Saltem dissimulatum in ea Cragii fuisse nomen, vix credimus. At dissimulavit profecto Daniel Heinsius, cum anno MDCXXI. eosdem libellos subjiceret Aristotelis *Politicis*, *paraphrasi* sua illustratis; neque tamen alia eis latina adjungeret, quam Cragiana, eaque in nullo uspiam loco, ne apice quidem, immutata, sive emendata. Quod silentium nescio an eis probari possit, qui candorem & ingenuitatem etiam in minimis doctorum hominum actionibus volunt conspici. Notum præterea, in Constantini Porphyrogeniti excerptis, Nicolai Damasceni illa *de moribus gentium* esse collocata, eodem modo atque ordine, quo legenda jam olim dederat Cragius. Quod ex consilio Hug. Grotii esse fa-

(o) Hanc ipse curàvit, impressam *Amstelod. apud* J. *Jansson*. 1634. *in* 12. ub ad Tychonem, Venusinum, aliosque eo ævo nostratium non pauca, nulla vero Cragii mentio.

factum, (neque enim in codice Constantini penes cetera Nicolai excerpta reperiebantur,) discimus liquido ex epistola summi illius viri ad Peirescium (p). Unde & ibidem Cragii latina verba retinuit editor, paucisque admodum locis castigatiora reddidit. Quid? quod interpretem nominavit semel; in notis scilicet: occasione sumpta ab iis, quæ haud procul ab initio de Aritonis memoratur, quod nempe *τὰ κεράμεα τῶν χρηστηρίων ἐν χρυσοῖς ἐλύτροις φυλάττουσι.* Quum enim hæc erat interpretatus Cragius: *Oracula sua testis inscripta habent, quæ in aureis involucris custodiunt*, Valesius corruptum esse censuit τὸ χρηστηρίων, ac legendum τῶν γρυταρίων, aut quid simile. *Quid enim*, pergit, *ineptius, quam oracula hic interpretari, ut fecerat N. Cragius, cujus versionem cum hic, tum alibi emendavimus.* Equidem video in *Excerptis* locum a Valesio expositum verbis aliis, quibus nimirum *figulina vasa, ad quotidianum usum parata* indicantur, non *oracula*. At per ejusmodi versionem omne istud dubium sublatum esse, certamque aliquam loco emendationem accessisse, non video. Præterea, si ineptivit Cragius, si in loco tenebricoso offendit, quid hic solus culpam sustinebit & luet; quando in eodem ante eum errore deprehenditur Conrad. Gesnerus, qui similiter, ac eisdem pene verbis, reddiderat in Stobæo? Nobis sane, etiamsi non abnuimus, alio ea verba sensu accipienda esse, quam Gesnerus nosterque ille intellexerunt, nondum tamen persuasum, vitii aliquid latere in vocabulo χρηστηρίων, uti neque hoc: Valesium, quamvis magna eruditione virum, quid sibi ista de Aritonis dicta velint, vel penitus perspexisse, vel declarare ad liquidum potuisse. De quo nihil nunc attinet disputare; cum res alium locum postulet, neque alio, si fors ita tulerit, nobis negligenda. Vellemus quidem, nonnihil ex suæ doctrinæ penu Jac. Gronovius attulisset ad Nicolaum Dancascenum, quemadmodum ad alterum illum fecit, in Præfatione *Tomi VI. Antiquitatum*, ubi non solum de Heraclidæ fragmentis, quam a librariis male essent tractata, indicavit, sed & latinæ versioni nostri Cragii, (cujus nihil, ex utroque opusculo, ne dedicationes quidem, prætermisit,) unam alteramque maculam abstersit. De Nicolao vero Damasceno haud quicquam monuit, usque adeo ut oblitus etiam videatur, in laudatis ejus excerptis Valesium aliquando desudasse.

V. Panegyricus CHRISTIANO QUARTO, *Daniæ, Norvegiæ Vandalorum Gotorumque Regi &c. dictus, in dedicatione augustissimæ Basilicæ seu novæ Academiæ, DEo & Musis consecratæ A. D. VI. Calendas Julii Anno* cIↃIↃcI. *a Nic. Cragio Acad. Haf. R. Hafniæ, typis Henrici Waldkirchii in 4.* In qua oratione si non eadem ubique dictionis cura animadvertitur, qua cetera viri scripta sunt expolita, de brevitate temporis cogitandum, qua scilicet a præstando jam pari ornatu fuit exclusus. Nam inter auspicia rectoratus, quem, ab ultima legatione quodammodo recens, aggressus est, & hunc actum pauci admodum dies intercesserunt. Attamen nemo diffitebitur, apte illam congruenterque

(p) *Epist. 264. pag. 89. edit. in Fol.*

enterque fcriptam effe, varioque cum eloquentiæ artificio diftinctam, tum fapientiæ & eruditionis apparatu inftructam. Subjunguntur ei duo ad Regem epigrammata; quæ, ut judicium haberi poffit de poëtica noftri facultate, præfertim cum alias nihil ab ipfo vidimus profectum in ifto genere, non dubitamus, cum bona lectoris venia hic adjicere:

Ad

CHRISTIANUM QVARTUM,

Novam Bafilicam in Academia Hafnienfi DEO & Mufis exftruentem.

„Erigis excelfas magno molimine turres,
„Martiaque æthereos mœnia ad usque polos.
„Ædificas arces; armamentaria condis:
„Suntque opportunis oppida ftracta locis.
„Singula miramur, quæ tantis aufibus urges.
„Fallor ego, aut laude hac exfuperantur avi.
„Cuncta tamen cedunt Mufarum & Palladis ædi;
„Unum hoc præ reliquis fama loquetur opus.

Nicol. Cragius.

Ad eundem.

„Magnus Alexander dum paucas exftruit urbes,
„Idem armis vaftat plurima regna fuis.
„Utra fit, in facili eft decidere, gloria major:
„Humanum hinc perdit, fervat at inde genus.
„Nempe ergo CHRISTI referens de nomine nomen.
„O REX, o generis fpesque decusque tuæ,
„Quam vaftare alios, tu propria condere mavis.
„Macte efto; Auctorem res habet ifta DEUM.

Nicol. Cragius.

Atque hæc illa funt, quæ defcripta effe typis ex operibus noftri conftat. Neque, an aliis plura, in lucem edita, fe obtulerint, certo adhuc licuit explorare. Nam *Thefes Phyficas*, quarum Erafmus Vindingius meminit, haud credere poffumus, recte Nicolao Cragio attribui, fed potius ad Andream fratrem pertinere, Phyfices profesforem, & multarum ejus difciplinæ thefium auctorem; Cum, fi aliquæ Nicolao fcriptæ fint, fuerint haud dubie vel juridici argumenti, vel philologici aut hiftorici. Ceterum videmus in magno *univerfæ hiftoriæ Lexico*, ut infcribitur, Lipfiæ germanice edito, nec non in minore altero, quo *docti viri* commemorantur, noftro præterea adfcribi

ſcribi *Jus feudale*, atque illud opus ſingulari laude efferri. Citanturque ibidem teſtes Wittenius & Alb. Bartholinus; quorum tamen neuter hujus craſſi erroris particeps. Certe, quisquis erroris auctor, confudit Nicolaum noſtrum cum Thoma Cragio IC. Scoto, cujus illud tantopere æſtimatum *Jus feudale* Londini editum eſt anno MDCLV. *in Fol.* ac denuo, cum præfatione Luderi Menckenii IC. Lipſiæ anno MDCCXVI. in 4to.

Tandem, ordine ſic ferente, ad reddendam operis, quod nunc præſens in manus damus, rationem progrediamur. Nihil vero repetemus eorum, quæ de propoſito ſcriptoris, poſtquam in rebus patriæ ex auctoritate publica verſari cœpit, in præcedentibus expoſuimus. Sed nec opus, amplioribus verbis cauſas ac impedimenta illa ennarrare, quæ non identidem aut ex intervallo, ſed continuo fere laboribus viri moram injecerunt. Unde factum, ut intra ſexennii ſpatium, quantum ei ſcilicet fuerat ad elaborandam regni Regumque univerſorum hiſtoriam præfinitum, nec quidem hoc, quod exhibere primum decreverat, mandati operis ſpecimen abſolveret. Etenim, qui, his conſideratis, nihilominus virum promiſſi reum agi, pluraque ab ipſo, quantumvis aliis occupato, potuiſſe exigi contenderit, næ ſeveram nimis cenſuram alienæ diligentiæ inſtituit, idquid agit, ut ſanis hominibus videatur, quid ſit bonam ſcribere hiſtoriam, ignorare, quantumque in eam operæ & ſtudii inſumendum, ut præclari aliquid exurgat, nondum ſatis intelligere. De eo utique dolendum, quod, poſtquam iſtud, ei omnibusque aliquid cum cura ſcripturis, tam neceſſarium obtigerat otium, tantopere feſtinarit Parca filum vitæ ejus incidere, neque ſiverit, ut in ſuſcepto *Annalium* opere, a morte FRIDERICI I. Regis deducto, ſeptendecim annis, quos elaborarat, novem illos, qui ex regno CHRISTIANI III. reſtabant, adjiceret. Unde factum, ut poſtea nullus egregio labori honos haberetur, nemine eorum, qui poſt auctoris fata, hiſtoriæ condendæ munus obiverunt, aliquam famæ Cragianæ curam ſuſcipiente: cum unusquisque propriæ mallet, quam alienæ gloriæ ſtudere. Non tamen, etſi neglectum ita jacebat, latere præſtantia ejus potuit ipſos illos, qui occultabant. De Jona tamen Venuſino nihil affirmare licet, proximo noſtri ſucceſſore. Etenim huic viro, quantum indagare potuimus, totus animus, omnisque diligentia in antiquitatibus ponebatur; ut ne quidem cogitaſſe ipſum putemus de recentiore hiſtoria. Verum, ab exceſſu Jonæ, qui contigit anno MDCIIX. tranſivit, cum ceteris omnibus, quæ collegerat Cragius, vel adverſariis ſuis inſeruerat, etiam hoc Annalium opus, primum ad Claudium ChriſtophoriLyſchandrum, ipſoque fatis functo, ad Joan. Meurſium: ut ſcilicet inde in demandata ſcriptione adjuvarentur. Uſos vero eſſe, ſi nihil aliud teſtaretur, nonnullis utriusque manus veſtigiis, in exemplari autographo, quod ſolum ſupereſt, (ab eo, qui Nic. Cragio a manu fuit, exaratum, & ab auctore hinc inde correctum,) adhuc conſpicuis, deprehenditur. Sed & longe alia nobis indicia prodiderunt, quam uterque

que parum fuerit solicitus de Cragii nomine, dummodo ex ipsius laboribus suo possent consulere, & quæ ille magno studio, monumentis instructus ad gestorum notitiam necessariis, conscripserat, ad suos usus, haud admodum difficili opera, transferre. Quæ quidem res, utrique haud eodem modo suscepta, Meursio multo felicius atque elegantius, quam Lyschandro cessit. Atque de hoc, quoniam tempore antecessit, primum dicemus. Erat Claudius Christophori Lyschander in pago Herfoglensi in Sælandia divini verbi minister, ac Præpositus Biefuerskovensis, vir mediocriter doctus, nec indiligens, patriæ inprimis rerum studiosus. Dum vero in his exquirendis supra modum curiosus, sæpe minus veritati, quam gloriæ Danici nominis daret operam, ac præterea nulla propemodum facultate in discernendo vera a falsis uteretur, effecit, ut nullus vel ante eum, vel postea, ad hoc munus ineptiorem se præstiterit. Nam quod ad vetustas res attinet, primus ille fuit, qui in justo opere, genealogiam Regum complexo, signum extulit ad sequenda monumenta Gothlandica, & ad Nicolai istius Petreji (seu quicunque alius eorum auctor) somnia adoptanda. Eviluerunt nunc illa penitus; neque unquam apud nos commentitiæ istæ fabulæ gravibus & emunctæ naris hominibus imposuerunt, prius etiam explosæ, quam futilitatem earum sive Ol. Verelius (q) sive Thormodus Torfæus (r), ut de Jo. Mollero Flensburgensi (s) nihil dicam, demonstrarunt; qui sane pluribus quam necesse erat ad rem adeo putidam ac spernendam, argumentis usi. Verum nec levia erant, quæ Lyschander, nisi occupassent fata, ausus fuisset in historia recentiore. Et audaciæ jam permulta dederat in genealogiis, seu *Synopsi*, ut vocat, *Historiarum Danicarum*, speciminа, quorum partem viventi adhuc & spiranti ob oculos posuit Jo.Isac.Pontanus (t). Inprimis autem acerrimus fuit plagiarius, qui a suppilandis aliorum laboribus nulla religione aut verecundia repellebatur. Atque solebat eis, quibus manus intentabat, hominum jam defunctorum scriptis, nonnulla de suo nunc præmittere, nunc attexere, pauca etiam hinc inde inserere; sine dubio ad melius contegendam fraudem, quæ tamen eo ipso manifestabatur. Neque enim ita stylum valuit attemperare, ut saltem ad similitudinem auctoris accederet, quem expilabat. Quod facinus, aliquando in quodam Erasmi Læti opere perpetratum, de quo luculentos citare testes possumus, Olaum Wormium & Steph. Stephanium (u), etiam non dubitavit suscipere, postquam Annalium Nicolai Cragii se compotem videret factum. Asservatur adhuc in bibliotheca regia iste inter manuscriptos codex, quo posteritati fidem facere destinaverat, historiam Regis CHRISTIANI III. suopte studio elaboratam esse. In isto titulus fronti

 appictus

(q) *In notis ad histor. Gothrici & Rolfi pag. 6. &c.*

(r) *Ser. Regum Dan. lib. I. cap. 8.*

(s) *Isagog. ad histor. Cimbr. P. I. pag. 44. seq.* & alibi.

(t) *Epistol.* 101. & 102. in Sylloge Ant. Matthæi, *a pag.* 274. - 284.

(u) In epistolis mutuis, nondum editis.

appictus est a manu Lyschandrina, quemadmodum ab ejusdem stylo ingenioque non solum ea, quæ in prioribus quatuor pagellis leguntur, pleraque, sed & nonnulla hinc inde alia interspersa, quibus diducere scilicet amplificareque opus studuit. Longe vero maximam partem ad verbum descripsit a Cragio; neque tamen optima fide, verum ea libertate, qua apertissime, quantum illo esset inferior, prodidit. Sæpe enim in voces incidens aut dicendi formulas, quarum vim ac elegantiam non satis assequeretur, homo nullis propemodum literis tinctus, ac doctrinæ quidem nonnihil, perpaululum autem eruditionis habens, eas non verebatur inducere ac immutare, atque ut plurimum optimis eque medio petitis Latio, inficera nescio quæ & plebeja, aut ex deteriore ævo hausta, substituere. Unum tantummodo dicemus egisse laudandum: hocque est, quod a suscepto opere destiterit, fatone interceptus, an aliis impeditus causis, non dixerimus. Nam quod illius extat, in paginis circiter centum exaratum, in verba desinit, quæ in hac Cragii editione nostra *pag. 57.* leguntur, quæque incipiunt ab hisce: *Tum Christianus regni certus &c.* Istaque versus mediam abrupta paginam, quam plures scriptura vacuæ sequuntur, indicio nobis sunt, haud ulterius progressum in compilando. Ceterum nacti sumus volumen *Adversariorum*, ut inscribitur, ipsius Lyschandri manu perscriptum, quo indices & capita rerum, quarum rationem in historiis utriusque Regis CHRISTIANI III. & FRIDERICI II. habendam duxit, enotata, ad annorum seriem redegerat, adscriptis ad omnia ista nominibus & signis, ubi & in quo scilicet auctore quærenda essent, indicantibus. Atque in eo nobis non tantum hoc animadversum, fuisse Lyschandro eundem codicem Cragianum, quo nos ipsi modo usi sumus, adhibitum, convenientibus ubique paginarum numeris: verum & præterea observatum, alias ei ad manum extitisse memorias, quas idem Cragius noster, pro materia historiæ suæ, porro continuandæ, collegerat, etiam ultra tempora CHRISTIANI III. deductas. Verum, quin hæ ultimæ fuerint indigestæ, ac stylo nondum explicatæ, nullum nobis dubium.

Quod deinde Jo. Meursium nominavimus, absit ut a nobis credatur factum, quod ad hunc tantæ eruditionis, tamque excellentem virtute, meritis & scriptorum celebritate hominem, comparandum ullo modo censeamus illum, de quo nunc egimus. Quid enim, quæso, hoc foret, nisi judicio tam iniquo non illi quidem summo viro, atque etiam supra laudes nostras posito, sed nobis ipsis ignominiam imponere? Atque levius sane multo is peccat,

Qui confert fulicas cygnis & aëdona parræ,
Castaneis corylos æquat, viburna cupressis.

Id vero tantummodo omittendum haud erat, indicare, eos quos nunc edimus, Cragianos annalium libros, in quos occœperat Lyschander nimis indigne grassari, Meursio postea omne illud atque totum suppeditasse, quod in suam historiam, a morte FRIDERICI I. Regis usque ad annum MDL. contulit; atque, si Lyschandrinum illud,

lud, de quo loquebamur, fragmentum excipias, nihil quicquam aliud adfuisse, unde ipsam amplius instrueret ac adornaret. At, quamvis ita videri possit laborem non magnum subiisse, tamen in eodem versatum esse, quemadmodum virum doctum decebat, hoc est, caste, continenter ac honestissime, haud fas est dissimulare. Nihil enim Cragio debere, præter materiam & res, voluit. Quas quidem suo scribendi genere, quod ipsi simplex fuit & candidum, & concinna quadam æquabilitate decorum, sic tractavit, ut nihil fere ejus, quod necessarium esset, prætermiserit, interdum autem nonnulla pressius, quam ille, & breviore verborum ambitu sit complexus. Igitur, qualem in ceteris, qui in publica luce versantur, historiarum libris se præstitit Meursius, talis etiam hic agnoscitur. Hoc vero nescio quomodo excusari debeat, quod tam parum solicitus fuerit de supplenda & continuanda hac historia, cum perspicere nequeam, quid admodum ipsi potuerit ad negotium desiderari, subsidiorum præsertim, quæ a Lyschandro fuerant, in *adversariis* supra dictis, enumerata, & quorum nihil tum temporis, sive Meursio, sive aliis, in hoc studio laudis se exercentibus, subtractum, jampridem potito. Nam certe, quum totum istud, quod in historia Danica ipsi elaboratum, & a primo nostrorum Regum usque ad exilium CHRISTIERNI II. perductum, ex officinis typographorum prodiit, integris quatuor annis ante mortem viri paratum fuerit, (quamvis, quæ operarum lentitudo fuit, multo serius evulgatum.) atque hoc cum aliunde, tum ex ipsius ad Ger. Jo. Vossium epistolis constet; quumque præterea auctor anno MDCXXXII. à quo septenas æstates vidit, aperte profiteretur, se prope metam antiquioris historiæ, quæ Reges Oldenburgicos præcedit, jam tum constitutum, in eo mox futurum esse, ut quæ in Domo Oldenburgica inchoarat, persequeretur, oportet alia ipsi omnia, quam tempus ad hoc pensi defuisse. Nisi dicendum fortassis, pertæsum istiusmodi laboris, cui jam satis datum crederet, totum se philologicis suis deliciis immersisse: neque, nisi extremo vitæ anno, ad pertexendum illud, ut vocabat, *auctarium rerum Friderici I. Interregni, & Christiani III.* serio animum convertisse. Cumque hoc ipsum etiam ex ultima ejus ad Vossium epistola, Cal. Junii MDCXXXIX. scripta, quodammodo verisimile reddatur, nolumus contradicere Johanni Svaningio, operis Stephani Stephanii, quo Meursianum illud supplevit, editori, quando in præfatione ait, fuisse magnum virum istud, quod imperfectum reliquit, *felicissime absoluturum, modo fata illum superstitem voluissent.* Quicquid vero sit, id quod solum superesse novimus exemplum tamdiu desiderati monumenti, illud ipsum scilicet, quod olim penes Laurentium Wlfeldium servabatur, Wlfeldiique propria manu, ad mediam fere partem, descriptum est, nunc in nostram possessionem transivit, ex bibliotheca nuper defuncti amplissimi viri Nicolai Slange, ære modico redemtum. Sed & antea ego ab laudato viro, pro insigni ejus non tam in me, quam historiam & res patriæ affectu, descriptum idem opus obtinueram, ut Florentiam ad egregium & celeberrimum Joan. Lamium, professorem ibidem & biblio-

bibliothecæ Riccardianæ præfectum, destinarem, operum Meursianorum editioni, quæ jamdudum felicibus auspiciis præla exercere cœpit, inserendum. Itaque, cum brevi sit proditurum, integrum cuilibet posthac futurum erit, examinare & contendere, uter melius ac luculentius de memoria rerum CHRSTIANI III. Cragius noster, an, qui eum, suo scribendi genere usus reformavit, Jo. Meursius, sit promeritus.

Cum vero, ut indicavimus, tota, quantacunque fuit, industria Meursiana, totusque labor, quem in dictum opus insumsit, ex stylo spectari debeat, (nam quod ex Lyschandri chartulis unius alteriusque facti mentio accesserit, pro nihilo fere habendum,) non videmus tamen, quid ei in hac parte gloriæ à Cragio concedendum. Quamvis enim, ut in his opiniones valent haud raro, fieri vix possit, quin plurimum nostratis hujus nomini perampla alterius illius gloria & celebritas officiat, vix tamen possumus dubitare, futuros esse, queis videbitur, satis fuisse facultatis Cragio, ut bene erudireque scriberet, quique adeo haud leviter ferent, si audiverint omnem elegantiæ laudem ab ipso abjudicari. Sane diligenter eum veteres illos in historia Romana principes, Sallustium, Livium, Tacitum legisse, nec infeliciter imitatum esse, justissimus quisque æstimatorum agnoscet. Nihilo minus nolumus inficias ire, posse in ipso interdum styli & dictionis latinæ intelligentes quædam offendere, haud æque tersa aut perpolita, & quibus ultima illa manus non accessit. Hic vero obsecro & vos rogo, qui æqui estis, mirumne id videri potest in opere, cujus auctor, dum in prima illa scriptione desudat, & antequam possit de intentanda lima cogitare, multum adhuc viæ & itineris decurrendum habet, ab occupante fato opprimitur? Neque tamen eo esse numero arbitramur, qui nunc pulcro corpori inhærent, nævos, quin plures etiam a cordato, ac non nimis iniquæ mentis lectore veniam impetraverint. Quod si in ipsis Thuano, & Famiano Strada, (ne nunc alios illos memorem,) a quorum manibus, cum adhuc vita fruebantur, nihil nisi longo studio conceptum, & meditatum, & extrema perpolitum cura, exiit, tam multa tamen deprehendit Scioppius, quæ critico suo obelo configeret; profecto dura ultraque modum rigida foret censura, quæ, ob non multa, hinc inde, in labore interrupto, paullo negligentius tractata loca, sævire vellet inclementer, scriptionique, quam tot alia ingenii, solertiæ insignisque literaturæ specimina exornant, grandem dicam impingere. Nos sane, quanto attentius in imperfecto hoc opere egregias auctoris virtutes intuemur ac consideramus, tanto majores nobis dari causas arbitramur admirandi eos & laudandi, quorum excellenti judicio commendatus noster, istam provinciam acceperat. Quemadmodum contra, ut eadem provincia tam impari homini, ac Lyschander fuit, traderetur, nunquam potuimus intelligere qui effectum: nisi usque adeo valuisse dicamus auctoritatem & commendationem Chytræi, ad FRIDERICUM II. olim

per-

perfcriptam (x). De cetero novimus, magnum quendam e veteribus illis fcriptorem pronunciaffe, hiftoriam quoquo modo fcriptam delectare (y). At fi alicui non obefæ naris ad manus iftiusmodi quædam veniret, quæ à Lyfchandro condita ejusque ftylo elaborata effet, non veremur dicere, perparvum quiddam fore, quod inde delectationis perciperet, & quo tædium in ea certiffime devorandum penfaret. Quid? quod magnopere dubitem, annon præftaret, nullam prorfus latina lingva habere noftrarum rerum hiftoriam, quam fic fcriptam. Quod ne acerbe nimis dictum videatur iis, qui in mortuorum magis, quam viventium famam indulgentes, quamcunque ejusmodi animadverfionem interpretantur ad meram detrahendi de aliorum gloria libidinem pertinere, dabimus elegantiarum Lyfchandri guftum, atque illud totum fere, quod in principio operis immanibus fuis furtis præmittendum duxit, lectorem impertiemus.

Poftquam autem Fridericus humanæ imbecillitatis penfum abfolviffet, & terrena ac temporanea hæcce regna pro cœleftibus & æternis commutaffet, variæ & graves deliberationes, in religionis, regni & reipublicæ negotiis inciderunt, quæ aquilonaris hujus mundi & præcipue Danici imperii provincias multis ac periculofis motibus ac turbis totum triennium involverunt. Quod illuftriffima Regina & Chriftianus, adhuc Dux Holfatiæ, (quamvis in recenti & acerbiffimo luctu verfarentur,) facile præfagientes, eo omnes conatus & confilia direxerunt, ut mature hoftibus ac turbulentioribus quibusvis ingeniis, fimultatum ac feditionis occafionem atque viam intercluderent. Cœperuntque cum Johanne *Frifio, qui tum in aula aderat, & Regni Regisque fecretiora negotia & confilia apprime omniumque optime noverat, & judicio ac authoritate plurimum pollebat, cumque nonnullis aliis procerum, Domino Claudio Bille & Truedero Ulftandio, qui paucos dies ante Regis obitum, e Norvagica legatione (ubi feliciter omnibus peractis, Regno cum pacem & Regi incolarum obedientiam & fidem reftituiffent,) ad referenda Domino refponfa, Gottborpiam acceſſerant, confilia communicare, & prolixe ac prudenter de periculofo & quafi vacillante moderno Regni ftatu deliberare, quam ille externis internisque hoftibus & æmulis expofitus, quam tempora, negotia totiusque regni incolumitas magnopere requireret, ut eminentibus hifce malis omni cura & diligentia inprimis peffulus objiceretur, ut infidiantibus movendi ac promovendi anfa, prudentia potius quam armis, cæde vel fangvine mature præfcinderetur. Et quamvis res magnæ inter magnos principes & proceres agebantur, non tamen fine totius fenatus omniumque ftatuum confiliis & fuffragiis aliquid ferio vel tuto conftituendum duxere. Vafras autem & contriviatas dilatationes cum magnis, ut plurimum, rebus & imperiis noxias & exitiofas fuiffe fatis compertum: Conftitutum tandem, illos pariter concito curfu in Daniam redituros, Magnates, potiffimum in præfidio Hafnienfi, a Rege in Cimbriam deflectente, relictos, & quosque alios ex vicinis feudis ac aulis pro temporis ratione convocatos, de Regis morte certiores redderent; de publicis ac neceffariis, inter ipfos perplexe ventilatis negotiis, ferio fedulo que edocerent; illuftriffimæ etiam Reginæ & Ducis concredita negotia curiofe exponerent; & ante omnia in memoriam revocarent Regis modo fatis*

(K)

(x) Extat in *epiftolis Dav. Chytræi, pag. 12. feq.* conf. & Pontani epift. ad Lyfchandrum, in *Ant. Matthæi Sylloge, pag. 271.*

(y) Plin. *lib. V. epift. VIII.*

fatis functi præclara merita, quibus periculis, curis & ærumnis turbulentum Regni ac Reipublicæ statum a Christierno profugo relictum, è mediis quasi Cerberi & omnis calamitatis faucibus eripuisset &c.

Ac talis cum eruditio hominis fuerit, iisque oratio ejus floribus & pigmentis ornata, quid mirum, si in illis, quæ Cragio sublegebat, & quibus ita totum opus suffarcinatum, ut vix septimam ejus partem vere Lyschandrinam dixeris, non pauca animadverterit limam suam exposcentia, atque aliis & melioribus commutanda; sive obscura illa nimis, sive parum polita arbitraretur, sive etiam solœcismi haberet suspecta. Neque hoc fortassis nonnulli ægre ferent lectores, si & quædam ex istis delibemus. *Pag.* 2. scripserat Cragius: *Senatus, qui nec Johanni quicquam decedere, nec Christiani potentiam augescere voluit, ut utrumque horum vitaretur, in parte gubernationis, Johannis nomine, hærere satagebat.* Ubi postquam priora verba Lyschander, plurimosque eadem præcedentes versus descripserat, ultimam phrasin, quamvis optimam, repudians, hanc reponit: *Johanni fidem & tutelam non denegandam statuerunt.* Atque ita neque sensum verborum Cragii, neque mentem Senatorum plane est assecutus. *Pag.* 3. Cragius *decora* dici. *Christiani, viro principe digna, in perniciem suam antistites accepisse.* Sed Lyschander, quasi obscurum foret, quid per *decora* significaretur, licet omnino hoc satis ex antecedentibus pateret, intrusit eo loco *vota*, sensumque ex elegantissimo reddidit inelegantem. Mox *ead pag.* in Cragio est: *Neque aliud quicquam sibi arrogabat, integer omnis ambitionis atque injustitiæ.* Sed & tantus hic alterius fuit stupor, ut rescriberet: *Neque aliud quicquam sibi arrogabat interea ambitionis.* Post paucos deinde versus, hæc: *quam grave autem sit, sub ipsorum ditione degenti, eos inimicos capere, haud ignotum*, sic immutat: *quam grave autem & periculosum sit, sub eorum ditione quiescere, quorum gratia & favore exciderat, haud ignotum*: cum tamen nusquam legatur, nec dici possit, Principum gratia Slesvicensem antistitem excidisse. *Pag.* 8. legitur in nostro: *Æquum quidem, merita parentum suffragari liberis oportere; sed iis potissimum, qui parentum quam simillimos se præstant.* Quibus verbis quid pulcrius? quid itidem clarius & apertius? Verum non ita ad palatum fuerunt expilatori, ut præferret suis hisce: *Æquum quidem, ut merita parentum in liberos refundantur, in iis potissimum &c.* Porro ibidem: *Nec delictum juventutis insigne ad notitiam venisse, vel si quod fuerit, haud dubie in majus, quam par est, fama auctum*; variavit perbelle scilicet h. m. *Nec delictum ullum juventutis notorium ad notitiam venisse; vel si quod fuerit, haud dubio, famæ vanitate, veritatem longè excedat.* Fit etiam, licet perraro, ut, post integram paginam ad verbum bona fide transcriptum, incidat ei, unum alterumque versum fastidire, totumque suo stylo refingere. Cujus exemplum habemus, ubi Cragius *pag.* 10. scripsit: *Sed neque hoc Senatusconsultum in scriptum redactum, a Goyæo & Bannero est signatum.* Nihil enim hujus retinuit Lyschander, qui, si omnia sic egisset, neutiquam habendus esset plagiarius. Audi eum: *Sed cum hæc ad evidentiorem fidem in libellum essent redigenda, Dn. Magnus Gbye & Ericus Bannerus annulos recusarunt.* Ubi per-

persuasum mihi, multos, nisi adhibito textu Cragii, ægre divinaturos, quid rei potissimum ista phrasi, *annulos recusare*, plusquam unum vitium complectente, designetur. *Pag.* 17. in eorundem, Goyæi & Banneri, oratione posuit Cragius: *Videre se nihil a patribus agi, quod in rem publicam pertineat.* Lyschander autem, verens fortassis, ne ultima haud satis forent intellectu facilia, illustrat hisce: *Videre se n. a. p. a. quod ad confirmandam reipublicæ incolumitatem concernat.* Ac ne quis putet præpositionem *ad*, verbo satis ipsi improbato adjunctam, semel per errorem excidisse offendimus eundem loquendi modum postea, ad *pag.* 25. ubi hæc legas: *Comprehensa eo* (fœdere) *omnia, quæ præcipue ad regnorum conservationem & mutuum incolarum excolendam necessitudinem & sinceritatem concernerent*, quando scripserat ibidem Cragius: *Comprehensa eo omnia, quæ ad benevolam officiorum communicationem vicinis regnis intercedere possint.* *Pag.* 18. antistites queruntur, quod Tausani liber *conviciis scateat*: sed, Lyschandri phrasi, liber iste *conviciis hac & illac perfluebat.* Sequenti *pag.* apud Cragium, Senatorum oratione, qua furentem & irritatam plebem studuerunt placare, *plebs nihilo sedatior, in antistites probra & convitia ingerebant. Itaque patres hac audaci petulantia acerbati, sonantiore voce, quam ira expressit, ad pœnas expetendas inardescunt.* Verum desiderare ista plus aliquid ornatus & emphaseos Lyschandro visa, unde sic expolivit: *Sed plebs nihilominus intumuit, verum libere in præsules projicit ampullas & sesquipedalia verba. Itaque patres hac audaci petulantia acerbati, stentorea voce &c.* *Pag.* 25. Lubecenses, Cragii loquendi modo, *Svecorum naves attinuerant*: Sed Lyschandri illo significantiore, *naves illas in arresto posuerant.* Quare etiam apud hunc (seq. pag.) *initium relaxandæ arrestationis* legas, ubi ille, *initium detenta relaxandi*, habet. *Pag.* 31. quando Christophorus Comes Oldenburgicus, literis minarum plenis poscit a Christiano, ut Christiernum carcere extractum exhibeat, & sibi in manus tradat, addito: *hoc ni fiat, DEum testem facere, invitum se sociosque eam viam ac rationem inituros, quæ cum vi conjuncta*; placuit Lyschandro, prioribus illis intactis, ultima ita amplificare, *eam viam rationemque inituros, ut, si non calamo vel precario liceat, phalange & armis eum bisce malis eripiant, & favente fortuna pristinæ dignitati restituant.* *Pag.* 35. apud Cragium extat: *ubi nuntiatum Andreæ Billeo, Mœoniæ insulæ præsidi, classem adventare, inermis ac contra hostes imparatus, ingenti terrore percellitur.* Verum plus quiddam inest his Lyschandri & sonantius: *Ubi autem insvetæ multitudinis vela in extremo Mœoniæ littore incolis eminus apparuissent, id Dn. Andreæ Bille, insulæ præsidi, ocius nunciatum; qui inermis & contra hostes imparatus, ingenti & quasi panico terrore percellitur.* Ac ne existimemus, in Poëtarum lectione minus fuisse versatum, eadem pagina ad ea Cragii: *hortatur, exscensionem in terram facere haud differant*, appendiculam hanc, sive caudam dixeris, annectit: *in mora enim periculum esse, nec occasionem a Poëtis fronte capillatam temere appellari* *Pag* 37. pacta inter Angliæ Regem & Lubecenses *in exitium regni Danici comparata*, Nostro dicuntur, sed Lyschandro, *in exitium regni Danici collimare.* Qui & sibi simillimus, quando ad pag 40. rescribit, *Verebantur tantæ auctoritatis virum conceptæ conjurationis successum averruncaturum*; expunctis scil. his Cragii: *Timebant, ne vir tantæ auctoritatis co-*

natibus

natibus suis intercederet. Sed omnino ridiculum, quod in verbis nostri pag 41. *Nam ut ille inermis nullo negotio appressisset, ita contra potentiores vix oppida patentia defendi posse;* potuerat delabi ad cogitandum de *patientia*, cum *patentia* palam & clarissime ante oculos esset in codice, neque hoc neque aliis locis mendoso. Quomodo ergo mutarit, accipe: *Nam ut inermes n. n. o. i. c. p. dilatatione vel patientia defendi posse.* Denique, ut alia ejusdem farinæ longe plurima transiliam, duo tantum subjiciam loca, ex ultimo folio Lyschandrini fragmenti. Eorum prior pag. 56. Cragiana hæc, utpote nimis brevia: *Christiano fidem, obedientiam in omnibus obligarunt Senatus populusque Danicus;* magnifice illustrat scilicet: *Christiano fidem & obedientiam, omnes & singuli, Senatus populusque Danicus, flexis genibus & erectis manibus, sanctæ ligæ & obligationis juramento, unanimiter, non sine cohortis jubilo & applausu maximo, religiose servandam vovere.* Alter vero istis adaptatus, pag. 57. *qui ex Valdemari legibus, quatenus in rusticorum conciliabulis, vel curia publica provincili usum habere possunt, jus dicerint;* sic concipitur: *qui ex Valdemari codice, (quatenus in provincialibus placitis, & terræ publico parlamento usum habere possit,) controversias dirimerent.*

Hucusque ergo gustandas dedimus locutionis Lyschandrinæ delicias. Neque dissimulamus ea nos fini hoc fecisse, ut nostratibus omnem dolendi causam præcidamus, si, quemadmodum nonnunquam comperimus, invenirentur adhuc, qui moleste ferrent, non plura ab illo viro, alias minime indiligenti, elaborata esse, vel forsan elucubrata non commune scriptorum nostrorum fatum effugisse. Cum profecto nunquam nobis rectius fecisse fatalem legem arbitremur, quam quum illius laboribus intercessit, ac detestabiles ejusmodi conatus, quandoquidem ad scripta aliorum, non solum sibi supponenda, sed etiam deturpanda, destruenda, omnique conspurcanda sorde spectabant, opportunissime evertit. Et demus, hominem tam parcum laboris non fuisse, quin aliquid in historia patriæ emisisset latine scriptum, ac suopte marte conditum & lucubratum; Dii boni, cujusmodi opus extitisset! quale ad posteritatis memoriam monumentum! in bibliothecis scilicet Pontano, & Meursio, & Cragio adjungendum! Nunc illud, quod solum ejus atque unicum, quantum nobis constat, in ætatem nostram perduravit, (nam de ceteris, quæ vernacula lingua evulgavit, deque libro, adhuc inedito, quo nonnullos scriptores Danicos enumeravit, nunc non loquimur,) sinamus porro bibliothecæ angulum quendam occupare. Quod si etiam istic latitans, in epulum quandoque tineis trucibusque blattis cesserit, quam minimo id fiet historicæ rei detrimento; certe minore multo, quam si in lucem protrahatur, auctoris cum ignominia.

Neque etiam tanti apud nos fuerint singularia quædam capita & momenta a Lyschandro ibidem Cragianis narrationibus interspersa. Nam ut illa & paucissima, neque magni profecto sunt ponderis, ita haud parum rectius ex Huitfeldio, (quo etiam ex fonte derivata,) cognoscuntur. Unum tamen licebit hic excipere. Agitur eo

eo de re neutiquam levi, nec nullius in interregni historia momenti: quippe quæ brevi tempore post obitum FRIDERICI I. acta sit, atque in illud, quod inter conventum Chiloniensem & comitia Hafniensia, (de quibus Cragius *pag.* 3. & 4. commemorat,) medium fuit, inciderit. Nempe traditur a Lyschandro, misisse hoc ipso tempore CHRISTIERNUM, olim Regem, e custodia sua ad Senatores regni & eximios quosdam e nobilitate, de quorum benevolentia aliqua ei spes erat, litteras suppliciter scriptas, quibus ut in regnum restitueretur, petebat. His ampla inserta erat prioris vitæ excusatio, magnæque promissiones additæ, ad persuadendum scilicet, si quid olim per errorem aut temporum perturbationem deliquisset, illud modo a se omne summa æquitate, clementia & moderatione compensandum fore. Rem deinde fuisse in conventu, adhibitis ad deliberationem nonnullis ceterorum ordinum, varie agitatam: neque paucos, non solum plebeji ordinis, verum etiam e nobilibus, in CHRISTIERNUM magnis studiis propendisse. At restitisse plerosque procerum, ac, ne aliquid adhuc decerneretur, pervicisse; ostenso, non esse amplius integrum, recedere ab edicto antehac facto, uti neque a fide, quam FRIDERICO filiisque ejus obligassent. Et cum iidem proceres, ut nihil rescriberetur, contenderent, tamen sententiam aliorum, quibus nonnulla nimirum inhærebat in captivum Regem misericordia, obtinuisse, ut saltem responderetur aliquid, etiamsi haud gratum prorsus litterarum argumentum foret. Etenim in istis perscriptum, quam & inviti olim ab ipso defecissent, & nunc calamitatibus istis & miseriis, quas sibi culpa sua quæsivisset, commoverentur. Jam vero eo rem loco esse, ut de restitutione ejus nihil certi constitui posset, sine consentiente procerum omniumque ordinum consilio. Sed & hoc obstare, quod penes tutores regni Danici, nunc Rege suo orbati, nulla eum liberandi potestas esset; cum ea potius ad CHRISTIANUM Holsatiæ Ducem, in cujus ditione locus ille & carcer quo asservaretur esset, pertineret. Atque hoc solum ibidem commemoratione dignum, quod dicere possumus diligentiæ Lyschandri deberi; & in quo ille enarrando tantum verborum profudit, ut integras sex paginas impleverit. Quamvis autem de negotio isto nihil, vel apud Hvitfeldium, vel in CHRISTIERNI *Historia* per Jo. Suaningium legatur, vel alibi nobis observatum sit, hocque tam obstinato nostratium omnium silentio Meursius forte sit inductus, ut, cum reliqua illa pauca, quibus Cragium Lyschander interpolavit, in historiam suam inferret, istam narrationem prætermitteret; hanc tamen ejusmodi esse existimamus, cui non temere fides abjudicanda sit. Nam, quantacunque alias ad fingendum audacia, & quam facili ad aliorum figmenta animo Lyschander fuerit, hic nihil adeo animadvertimus, quod fabulam redoleat; ut etiam commemorata ab ipso simul extent eorum nomina, qui, quod ad CHRISTIERNUM rescriptum, sigillis & manibus suis, facta a ceteris potestate, confirmarint. Nominantur autem numero xxxv. e præcipua nobilitate omnes: interque eos nonnulli primo ordini adscripti, Axelius Brahe,

Axelius Ugerup, Magnus Guldenstiern, Canutus Bille, Holgerus Ulstandius. At vero in alium quendam locum incidimus, quem, nisi valde fallimur, ille noster commento quodam, vel suo, vel ab aliis accepto, exornavit. Nempe de nummis scribens, quos notum est Christophorum Comitem, cum in Dania esset, cudisse, in parte una CHRISTIERNI, in altera, suum nomen repræsentantes, perhibet hanc eis fuisse inscriptionem: CHRISTIERNUS QUONDAM REX DANIÆ. Nimirum ut fidem faciat lepidæ, quam ibidem subnectit, fabellæ, & quam minime pigebit lectori ipsius verbis impertire: *Hæc moneta* (Lyschandri verba sunt) *cum aliquando Christierno oblato, de liberatione exultans, titulum mirari cœpit. Quis est ille QUONDAM? inquit; (latinæ enim linguæ non adeo peritus,) non enim aliquem ejus nominis in tota familia & cognatione nostra memini.* Nugæ meræ. Extant adhuc illi & supersunt ad nostrum ævum nummi, varii moduli, neque unius formæ aut inscriptionis, ut quidem ex Museo Regio, Oligeri Jacobæi & Jo. Laurentii opera illustrato, discitur: In nullo vero eorum istud *Quondam* observaveris. Et quam absurdum fuisset, si hoc Comes Christophorus voluisset addere, haud necesse putamus ostendere. Ne quid dicamus de illa, quæ CHRISTIERNO affingitur, latinæ lingvæ imperitia; cujus contrarium nobis haud paullo certioribus documentis persuasum. Quod si vero aliquando eidem infelici Principi tale aliquid per jocum exciderit, (siquidem venustus interdum erat, ac facetiis ærumnas suas levabat,) cujus fama ad Lyschandrum aliosque pervenerit, fuerit fortasse, cum anno MDXLVI. illam ultro pactionem cum CHRISTIANO III. faceret, qua regnis & omni in ea jure sese abdicavit. Tunc enim litteris, seu diplomati membraneo, quo abdicatio, germanica lingva, die XIV. Julii scripta continebatur, appensum fuit sigillum his verbis insigne: SIGILLUM. CHRISTIERNI. QUONDAM. DANIE. SVECIE. NORVEG. ZC. REGIS. SLE. ET. HOL. DUCIS. ZC. nec non anni nota 1.5.4.6. in spatiolo inter coronam & regnorum insignia inserta. In hanc igitur inscriptionem, quum verisimile est haud fuisse de ipsius consilio conceptam, fieri potest, ut illuserit. Sed de Lyschandro jam dispeximus plus quam satis.

Exspectat nunc forte aliquis, ut quid de Cragii nostri narratione sentiendum sit; ex quibus ea fontibus hausta, qua fide & religione contexta, quæque in illa sese forte obtulerint, quibus censoria apponenda sit nota, explicemus. Et sane lubentes profitemur, & candide affirmamus, neque in his nostram fuisse operam desiderandam, si modo, dum in evolvendis his annalibus eisdemque subinde cum memoriis temporum, quorum res enarrant, comparandis, haud levem curam adhibuimus, aliquid in oculos nobis incurrisset, quod reprehensionem vereretur. Verum hanc tantum abest noster ut sit promeritus, ut potius nihil tam æquum videatur, quam incorruptum ejus animum laudare, nihilque tam expeditum nobis, quam acerrimam in eo veritatis curam diligentiamque agnoscere. Et hoc quidem

dem ipsi præconium non modo tribuimus perlibenter, sed & testimonium boni, fidelis & præclari historici merito ac scientes impertimur. Quid? quod nobis persvasum est, fore, ut, quicunque parem, atque nos, laborem, aut forsitan ampliorem, in conferendo opere ejus cum tabulis & commentariis publicis, aliisque eorum temporum monumentis subire velit, haud magis dubitaverit eundem virtutibus ipsius honorem perhibere. Habuit noster quidem, cujus vestigiis insisteret; ac in eodem curriculo nuperrime prægressus erat illustris Hvitfeldius; cujus viri si insignis illo ævo industria ac pietas non enituisset, & cujus annalibus, quamvis impolite ac rudiore stylo, nonnunquam etiam negligenter scriptis, si caruissemus, male profecto hodie cum historia nostra esset actum. Verum quantum alter alteri præstiterit, facultate, copia, ornatu, cunctisque ad scriptionem, quæ ætatem ferat, necessariis & historico expetendis doribus, quis non videt? Quam enim præ illo noster disertus, gravis, floridus! Quam multa hic non solum digesta melius ac disposita, sed & luculentius enarrata, atque istic, animadvertuntur? quam in iis, quorum verbosa explicatione ab altero detinemur, pura & illustris nostro brevitas? ac vicissim, ubi ille haud opportune abrumpit, & lectorem destituit, quam locuples & copiosus noster? Atque hæc quidem, non tam dicendi ubertas, quam rerum & negotiorum frequentia, in iis præsertim elucet, quæ bellum intra regni fines gestum, Regisque inaugurationem consecuta sunt. Ubi qui nostri copiam velint cum Hvitfeldii paupertate contendere, mirabuntur, tam multas Cragium nobis res & actiones & consiliorum & temporum explicatas dare, ac qui fieri possit, ut de iisdem persæpe altum in Cancellarii annalibus sit silentium. Quæso a vobis, cives, (neque enim alii de his queunt, quum Hvitfeldius patria lingva scripsit, cognoscere,) an facile in cogitationem alicujus caderet, tot tantaque in omnibus fere annis magno viro, cui nihil, sive in tabulariis regni, sive alibi, esset occlusum, non dicam leviter attracta, sed vel studiose esse neglecta, vel oscitanter præterita, vel denique prorsus latuisse? Horum nihil nobis futurum esset facilius quam hic longam designationem edere, si existimare possemus, in dubium alicui fidem nostram venturam, & in eo quidem, cui tam prompta modo animadversio, tamque unicuique exposita. Nunc vero paucos duntaxat annos perlustrabimus, ex illorum numero, quos hactenus videri posset Hvitfeldius diligentissime tractasse, ac ubi nemini fortasse sterilis fuisset vel creditus vel deprehensus, nisi jam Cragius exiisset. Faciamus periculum in anno MDXXXVII. ad quem nihil observamus omissum Cragio ex iis, quæ Hvitfeldius narravit. Verum quomodo hic tacere potuerit de fœdere & amicitia, Regi nostro à Gallo pariter & Scoto oblata, cujus causa Georgius Luckius tunc rursus in Daniam venerat, (postquam neque de prima ejusdem legatione, de qua noster egit pag. CXI. ad annum MDXXXV. quicquam meminerat;) quomodo omittere illas a Maria, quæ Belgium regebat, insidias regno CHRISTIANI structas, irritasque infelici Ubelacheri expeditione factas; quomodo, quæ cum civitati-

ratibus Vandalicis acta, *pag.* 172. *& seq.* nostro commemorata; ac denique, tum quæ Legatus Scoticus Joannes Bartunus, & a Gallo jam quartum missus Geo. Luckius, tum quæ ex nostri Regis mandato Suavenius & in Gallia & in Germania, obierunt negotia, ne attingere quidem cogitarit, vellem edoceri. Sic & in anno MDXXXVIII. Hvitfeldius non solum omnia a legatis Danicis in Gallia acta, quorum accuratam rationem reddit Cragius a *pag.* 184. ad *pag.* 188. sed & illa cum civitate Hamburgensi & collegio sacerdotum ibidem, per Casp. Fuchsium tractata: & quæ curavit CHRISTIANUS, ante iter Brunsvicense, ad Gustavum Regem perferri, satis notabilia, neque Svecicis scriptoribus tacita: & Comitis Oldenburgici, nec non Alberti Megalopolitani conatus, cum infesti iterum in Daniam ferebantur, repressos; & iniqua Pomeraniæ Ducum molimina: & cum Fuggaris Augustanis, non hoc tantum anno, sed & sequentibus agitata: &, quod magis etiam mireris, ea, quæ in Comitiis regni, de FRIDERICO Principe, modoque gubernationis, si Rex ante justam ejus ætatem defungeretur, nec non de petitione Alberti Borussi, insulæ Gothlandiæ inhiantis, fuerunt disceptata, præterivit cuncta. Annon vero diligentiorem se præstitit in anno, qui hunc excepit? Dubito profecto. Exposuit ibi noster, legati ab Henrico VIII. missi Roberti Barns negotia, quæ ad CHRISTIANUM habebat, ad sociandam cum Anglo & cum Protestantibus in Germania amicitiam spectantia: subjecit etiam responsionem, à CHRISTIANO in Comitiis Othinianis datam, nec non quæ deinde cum Saxone & Landgravio de ista re deliberata: Neque tacuit, Regem nostrum in conventu Francofurtensi legatos suos habuisse, omnia pericliraturos, ut a Cæsare & Palatino æqua obtinerent. De istis vero quid Hvitfeldius? ne verbum quidem. Porro, quæ a *pag.* 197. in Annalibus Cragii, usque ad 203. leguntur, multæ res, & variæ, & permagnæ, de Cæsaris & Palatini apparatu bellico; cum constituissent, ille mari, hic terra Regem adoriri, Daniamque invadere: CHRISTIANUS vero, & Albertus Borussiæ Dux, qui una petebantur, classibus instructis, & præclusa Belgis in mari Balthico navigatione, consilia ista disturbarent; tum de Poloniæ Regis opera, in componendis his dissidiis frustra insumpta: deque Palatini & Christophori Oldenburgici in Angliam profectione, ut Henricum adversus Daniam excitarent, non meliorem quam cetera eorum incœpta successum sortita; de Pomeranis denique, & Fuggaris, in vernacula illa historia habentur nusquam. Sed & de fodinis Norvagicis, quamvis domestica sint minusque oblivioni opportuna, altum, cum in hoc anno, tum in MDXLV. silentium. Si quæ vero sunt, quæ Cancellarius videri possit haud indiligenter curasse, sunt omnino, quæ ad negotia cum Svecis pertinent; quippe quæ præ cæteris solet studiose persequi, Cragiique in iis ipsis brevitatem, nonnunquam nimiam, pensare. Et tamen illud, quod noster hic memorat pag. 196. de fluxa Gustavi Regis fide, quando is, omni amicitiæ, societatis & necessitudinis jure posthabito, non verebatur cum Burgundis pacta inire, & conjungere cum Palatino vires, ad opprimen-

mendum CHRISTIANUM, meditabatur, frustra apud Hvitfeldium quæsiveris. An ergo ex hujus taciturnitate, utrum probandum an improbandum sit, quando de facti hujus fama & veritate sermo est, judicemus? Minime. Scire enim cupio, quid habeat argumenti silentium in historico, cui non unum alterumque factum in toto opere, tam multa vero in singulis annis capita & momenta rerum prætermissa? Verissimum autem fuisse, quod de perfidia Gustavi perlatum erat ad CHRISTIANUM, satis multæ rationes, & tum temporis & postea, ostendebant. Nam quod effectu consilia caruere, & quod Gustavum postea tantopere eorum puduit, ut infamiæ, quam ex re ista verebatur, invidiam in Danos transferre, quasi ab eis confictus rumor & in Germania disseminatus fuisset, voluerit, (de quo legi possunt Ericus Georgii in historia Gustavi I. (z) & Loccenius (aa) Ericum in omnibus secutus,) vel eo minus crediderim debuisse ab historicis nostris taceri, sed potius, quam falso Gustavus calumniæ insimularit Danos, declarari. Servantur enim adhuc Philippi Landgravii & Alberti Borussiæ Ducis litteræ, quibus per certos nuntios huc missos, CHRISTIANUM, nihil tale opinantem, diuque haud istis credulum, de eo, quod strueretur, graviter admonuerunt. Ita ut, non à Danis ad Germanos fama, sed ex Germania ad nos venerit, per eos scilicet, qui ex hominibus gente Germanis, a Gustavo ad rem adhibitis, sed arcana celandi ignaris, veritatem facti compererant. Quibus & ne facile fides adimatur, intercessit jampridem luculentus ab altera parte testis, à Palatinis scilicet. Est ille Hubertus Thomas Leodius, qui *Annalium libro XIII.* (bb) totum negotium, ut actum fuit, clara & aperta narratione exponit, docens simul atque nominans, quo præcipue auctore detectum & revelatum, fama apud Germanos percrebuerit. Nimirum id ipsum etiam causæ erat, quod anno MDXLVI. legatus Gustavi, ad Cæsarem & comitia Germanica missus, fuit in media Wormatiæ urbe captus atque abductus: de quo narrantes Svecorum historicos, in dicto anno, nemo ullus intellexerit, nisi adhibito, quem laudavimus, Leodio, aut si quis alius eodem modo explicatam rem dederit. Sed ad Hvitfeldium revertamur: qui in ultimis præsertim annis, tanquam si scribendo jam esset defatigatus, tam macilentus evadit, tantaque paupertate notabilis, ut integri nonnunquam anni memorabilia dimidiæ pagellæ spatio incluserit & absolverit. Talem nimirum se dedit, quod non sine admiratione, ac propemodum indignatione observatur, in anno MDXLV. qui annus etsi non ex fertilissimis eventuum magnorum fuit, potuisse tamen Cancellario multa suppeditare, ad ejusdem enarrationem dignius instruendam, atque ad ostendendum, non magis isto, quam ceteris, sapientissimo Regi defuisse, quæ domi forisque curas ejus exercerent, ex Cragio nostro perspicitur. Ac idem fere de sequentibus pronunciandum.

(z) *Part. II. pag.* 112.

(aa) *Lib. VI pag.* 321. *edit. Upsal. in* 8vo.

(bb) *Pag.* 262.

andum. Ubi enim apud Hvitfeldium invenies, in anno MDXLVI. aliquid de conventu Francofurtensi principum Germanorum memoratum, in quo suos etiam legatos CHRISTIANUS habuit? ubi de commutatis cum Svecorum Rege de religionis negotio consiliis? ubi de conventibus Hannoverano & Luneburgensi, ad purgandas a grassantium militum colluvie inferiores Germaniæ partes institutis? in quorum priore Rex noster, inferioris Saxoniæ princeps & Capitaneus (ut vocabant,) declaratus fuit; quemadmodum ex tabulis consociationis ibidem factæ, vulgo *Recessu*, quem integrum nobis servavit Goldastus in *Constitt. Imp.* (cc) est conspicuum. Sed quis crederet, historici partes secure adeo & otiose gerere tam insignem virum voluisse, ut in anno allucinaretur, quo Elector Saxoniæ & Landgravius fuere capti? Quis & Cragii narrationem intuens ferat, Hvitfeldium, cum leges illas, quibus CHRISTIERNUS liberationem suam pactus est, vulgaret, transiisse rem dignissimam memoratu, quæ hoc pactum præcesserat, CHRISTIANI cum captivo Rege in arce Sunderburgica colloquium, & quibus videlicet hic verbis voluntatem suam de abdicando omnino regno declarabat? Taceo reliqua, quibus omnes in Cragio nostro paginæ, ab illa quæ numeratur 288. ad 294. repletæ sunt, æque Hvitfeldio vel ignorata, vel, quod nemo non gravius existimarit, spreta atque neglecta. Finem facerem comparationis, nisi nonnulla magni sane ponderis adhuc restarent, necessario, quia hanc semel telam exorsus sum, de anno MDXLVII. attexenda. Quod si enim ulla pars est historiæ, quam nunc edimus, in qua spectari oportet scriptoris studium & cautæ ac diligentis integritatis curam, ut nimirum omnia candide in veritatis lucem proferat, atque ad eam traducat lectores, si adversis forte opinionibus, quas aliorum historicorum sinisteritas malignitasque inseverit, imbuti reperiantur, est hæc certe, quæ dicto anno continetur. Agitur enim de bello, quod inter Cæsarem Carolum V. & Protestantes gestum, a loco initi quondam fœderis, Smalcaldici appellationem traxit; quo quidem nullum in tota istius seculi historia est celebrius. In illo partes Regis nostri quod fuerint desideratæ, a quibusdam in aliquam invidam est vocatum. Ad quam vero, sive extinguendam, sive elevandam saltem, quicunque de ea alicunde cognoverit, dubito an queat pervenire, si ad nullius sese, præterquam Hvitfeldii, ductum applicuerit. At si ad Cragium se convertat, ea certe, ab initio dicti anni, *pag.* 294. *& seqq.* adducta & commemorata inveniet, præter quæ nihil admodum, ut credo, exquisitius desiderabit. Possentque adeo hæc ipsa sufficere iis omnibus, qui veritatis simplicis amantes, neque ad vulgi sermones & præjudicia attendentes, rectam ad æstimanda aliorum consilia atque facta intelligentiam adferunt. Verum cum identidem novi exoriantur scriptores, qui, etiamsi candorem magnumque veritatis studium professi, tamen, dum nec omnibus sunt instructi, quæ requiruntur ad proposita sibi argumenta, subsidiis, neque in iis, quæ fortassis adsint,

(cc) *Tomo II. pag.* 233.

ſint, cum cura diligentiaque verſantur, facile ab illa via abducti aliis quoque ſemitam ad prava judicia aperiunt. Accidit enim, ut quod in uno alterove inſigniore libro animadverterunt, breviter ſtrictimque dictum, arreptum aggrediantur diducere, & iis, quas vel divinando credunt ſe aſſecutos, & in quibus nequaquam falli ſe opinantur, cauſis rationibusque exornare; quo videantur nimirum plus ſapere antecedentibus. Unde aliquando id exurgit, quod famæ hominum, ipſorumque Regum Principumque apud poſteritatem officit. Et, quoniam in Smalcaldici belli hiſtoria obſervavimus ita cum CHRISTIANO noſtro a nonnullis actum, & ab illis quidem, quibus ad errorem videtur nihil æque valuiſſe, quam Sleidani, Thuani, & Chytræi conciſa brevitas, ignoſcat lector, ſi parumper digreſſione uſi, in eo nonnihil operæ ponamus; ut quam fidem illi ſcriptores merentur, qui non veriti ſunt optimum & piiſſimum Regem de violato cum Proteſtantibus fœdere accuſare, explicemus.

Acceſſerat ad fœdus Smalcaldicum CHRISTIANUS anno MDXXXIIX, quemadmodum noſter meminit *pag.* 183. & ad præſtandum pecunia, vel, ſi commodius eſſet, milite, auxilium, ſi quando ſociorum aliquis bello invaderetur, unde religioni periculum immineret, ſeſe obligarat, paria, ſi oppugnaretur ipſe, accepturus a Proteſtantibus. Jam vero, cum hi conſtituiſſent primi arma ſumere, inducti rationibus, quas utique noſtrum non eſt examinare, poſtquam de iisdem tanto ſcriptorum in utramque partem numero integrisque voluminibus diſputatum eſt, diſſuadente multum CHRISTIANO, ſemperque, ut certiora de animo & conſiliis Cæſaris opperirentur, contendente, agitatum inter eos fuit de auxiliis, quæ Elector Saxoniæ & Landgravius Haſſiæ ex Dania deberi ſibi, ubicunque & quandocunque poſtularent, communium ſacrorum cauſa, arbitrabantur. Jamque haud ea tantummodo, quæ in tabulis fœderis expreſſa erant, petere, ſed &, ob magnitudinem diſcriminis, quod religioni impenderet, plura & majora multo exigere, omnique opera laborare, ut ad belli iſtius conſortionem allicerent CHRISTIANUM. In quo dicti Principes nulli preci & efflagitationi, nullique litterarum & legatorum miſſioni pepercere. Verum Rex noſter minime libenter credulum ſe præbens eorum argumentis, quippe quibus diverſa a Cæſare confirmabantur, (perpetuo aſſeverante, nequaquam religionis rem agi, ſed hanc ſaltem obtentui eſſe artibus certorum hominum, qui imprudentiæ Principum illudere, & cupiditatem ambitionemque eorum fovendo omnia turbare & miſcere in quæſtu habebant,) nihil non pacatum moderatumque ſuadere, &, nequicquam illis reclamantibus, calida iſta & periculoſa conſilia averſari. Itaque non mirum, ſi talia Regis reſponſa minus eis probabantur; at deinde ſi uterque Princeps, & quotquot ipſorum ſocietati implicati in easdem ſe moleſtias induerunt, graviter ferebant, haud magis facili aut deſideriis ſuis parato uſos eſſe CHRISTIANO. Et cum, ut ille ait, omnes, quibus res minus ſecundæ, magis ſunt ſuſpicioſi, & credentes ſe negli-

gi,

gi, omnia ad contumeliam accipiunt, potuit fieri, ut criminati sint, à Rege amicitiæ Cæsaris hoc datum, quod non adeo promte subsidium expediretur. Quanquam dicere possumus, haud quicquam ejusmodi nos in ullis laudatorum Principum litteris aut scriptis offendisse: contra vero omnia amicitiæ & officiorum, tam durante bello, quam finito eo, plenissima. Quemadmodum neque a gravibus & melioris notæ historicis, qui eorum temporum res gestas memoriæ prodiderunt, plus aliquid vel acerbius ea de re scriptum reperimus, quam hoc saltem, *Regem, etsi erat confœderatus, nullam tamen Smalcaldicis opem tulisse.* At vero, confecto demum bello, exacerbatis, ut fit, miserrimo ejus exitu multorum animis, verisimile admodum est extitisse, præsertim in civitatibus fœderi illi adscriptis, (quales nimirum prono ad maledicendum vulgo semper sunt affluentes,) quibus ea de Rege nostro per dolorem & indignationem exciderint, quæ cordatus quisque sentire poterat falsa esse & iniquissima (dd). Ac ad talia quidem adoptanda promtus jam olim fuit paratusque Hubertus Thomas Leodius, ut etiam quasi insultans Protestantibus objiceret, quod *ab eo, in quem summam spem reposuerant, derelicti*, ut loquitur, *proditi ac deserti* essent (ee). Quem scriptorem, aut forte impuros illos rivulos, quorum jam meminimus, licet suspicari confectatum esse eruditum virum, qui *Commentarios rerum gestarum seculo sexto decimo* scripsit, ac undetriginta abhinc annis edidit, nequaquam vero genuinos historiæ fontes adiisse; quando haud uno in loco in sanctum & innocentissimum Regem effutiit, quæ sane, si de iis fuisset appellatus, nulla potuisset ratione confirmare. Hujus nomini, etiamsi frustra id occultatur, ut tamen inpræsentia parcamus, efficere apud nos debent cetera probatissima viri scripta, & in rempublicam literariam merita perquam insignia. Ast haud utique ea impedient, quo minus hominis dicacitatem & inverecundum animi ingenium ostendamus, Principumque omnium qui fuerunt optimi manes a tanta injuria & calumniæ acerbitate vindicemus. Et qui poterit hoc quisquam vitio nobis vertere, nisi qui forte animo fuerit tam corrupto, ut qualicunque ex litterarum studiis collectæ famæ & existimationi omnem virtutis, justitiæ & veritatis gloriam postponendam, atque isti e schola polito & ad persvadendum concinno hominum generi quamcunque impunitatem, omnemque sæviendi libidinem in famam, non

(dd) Ita ne quidem, durante bello, ipsi parcebatur Landgravio, quem mirum est nonnullos etiam fœderatorum proditionis & occultæ cum Cæsare amicitiæ suspectum habuisse. Sic enim scribit Georg. Arnoldi in *Vita Maur. El. col.* 1185. Mencken. *Scriptor. Germ. T. II. Quod vero nihil feliciter contra Cæsarem gessissent, ejus rei culpam omnem in Landgravium transferebant. Itaque multi ipsum accusare, & proditorem patriæ nominare, quasi quod pecunia a Cæsare accepta, a prælio abstinuisset, quod commode committere, facileque Cæsarem a principio profligare potuisset.* Agnoscis ingenium vulgi: cui illud viri docti, quicum mox nobis res erit, persimile.

(ee) *Annalium de vita & reb. gestis Frid. II. El. Pal. lib. XII. p.* 240.

non tantum sui ordinis, sed summorum mortalium, Regum Principumque, concedendam putet? Nos vero, quibus contrarium istis est persvasissimum, id insuper credimus ac tenemus, quanto celebriore ab auctore obtrectatio sit orta ac propagata, tanto majorem dandam esse operam ut refellatur, &, qua fieri unquam possit, ex animis hominum exstirpetur.

Nam, ad Hubertum Thomam quod attinet, falluntur magnopere, qui putaverint, verba, quæ ex eo allegavimus, potuisse nobis pariter indignationem commovere, ac quæ philologus iste Batavus, incertum qua mentis intemperie actus, protulit. Quæ enim huic esse ratio ejus potuit, non solum tanto ætatum & temporum intervallo, sed a suspicione omni amoris ac odii remotissimo? Quorum propiores multo caussas Huberto adfuisse quis nescit? siquidem Friderico ille Palatino addictus, calamum, quem obnoxium mancipatumque habebat, poterat quodammodo existimare justissime in illum stringendum, quem hostem heri sui omnium acerrimum judicaret, & quo nemo potentius atque efficacius votis ejus obstitisset. Itaque ea, quam hinc studium, illinc ira inferre solet, mentis cæcitate abreptus, sæpenumero, de rebus nostris loquens, in vitio deprehenditur. A quo neque in aliis, quæ nequaquam nostra attingunt, eum immunem dixeris; quandoquidem de domino suo narrans, agit subinde dissimulanter, neque semper, quantacumque etiam ei a quibusdam laus defertur, veritatis viam insistit (ff).

Verum, eo misso, excutiamus commentatorem Batavum, & nonnullos ex eo flosculos delibemus. Atque ipsum primum interrogabimus, unde hausit, quod utroque loco, ubi in Regem nostrum invehitur, scripsit, ac eisdem pene verbis repetivit, CHRISTIANUM, ut fœderi *Smalcaldico ascriberetur enixe desiderasse?* & quis auctor, ex illis quidem, quorum copia potuerit esse commentatori, istud eum docuit tam diserte? Solum enim ac totum, quod a Sleidano discimus, est, Protestantes Regem *in fœdus suum accepisse*. Chytræus, *petiisse* Regem, jam Brunsvigæ præsentem, *ut reciperetur*, refert; non vero, quod ad sollicitas & ambitiosas preces descenderit. Et petierit illud, seque obtulerit in societatem illorum, quorum præcipuos jamdudum amicos & necessarios habebat: Quid inde? An etiam *petendi* verbo credemus semper notationem vehementis desiderii affixam? Non opinor; nisi quando alicui forte grammatico, qualis ille noster est, placuerit ita istud ad rem exaggerandam accumulandamque invidiam explicare. Sed dices, vehemens in Rege desiderium eluxisse

ex

(ff) Possunt, ut nunc alia taceamus, speciminis loco esse, multa in lib. XIII. narrata, quibus propensum Friderici in Evangelicam religionem animum diffitetur, ac negat plane. vid. *pag*. 264. 265. 266. cum alia nos docuerint Saxonis & Hassi litteræ MSS. ad Christianum III. quibus plane consonant Altingius in *Histor. Eccl. Palat.* inter *Monumenta Pietatis & Literaria*. & Seckendorf. *Lutheranism. L. III. S.* 34. §. 131, *p.*616.*seq.*

ex itinere, quod suscepit, molesto ac sumtuoso, Brunsvigam versus. Credisne ergo, eo usque petitionem ejus dilatam? vel iter aut inivisse, aut suscepturum fuisse, dubia & incerta spe, ac antequam sciret, sese id, quod quæreret, assecuturum sine repulsa? Sane, ut quod res est dicamus, id quod expetebatur, & quod profectioni locum dabat, desideratum æque fuit ab utraque parte, neque majori studio se rogantem exhibuit CHRISTIANUS, quam quo rogatus accessit. Cumque dictam urbem ingrederetur, veniebat non tam rogatoris personam, quam consultoris & deliberatoris gesturus; utpote quam hoc tempore haud sine ratione ipsi imposuerunt, qui istarum partium duces erant. Eoque res devenerat, ut eisdem nihil magis curæ haberetur, quam CHRISTIANO quæcunque sua studia & officia approbare. Imo vero non parum intererat, ut caverent, ne qua parte in dubium fides & sinceritas sua veniret, neve illa inconstantia, cujus in pristino fœdere, ante decennium cum FRIDERICO Rege inito, comperti fuerant, nunc in suspicionem evalesceret. Tunc enim toto sexennio, quod fœderi definitum, nullus eorum vel erga FRIDERICUM, vel filium ejus CHRISTIANUM, pacta ex conventu observarat, duobus exceptis; qui fuerunt Ernestus Dux Brunsvicensis & Philippus Landgravius Hassiæ. Nam hi soli excusationem, qua ceteri utebantur, neutiquam approbantes, difficillimis temporibus, cum parenti, tum filio, consiliis suis aliaque opera profuere. Atque iidem postea conati reliquos ad renovandum fœdus excitare, non ita tamen facilem rem factu esse experiebantur, antequam de CHRISTIANO, qua in regno sibi vindicando fortuna usus esset, constaret. Verum, expugnata Hafnia, & pacato regno, sublata omnis mora, resque nullo egebat amplius hortatore. Itaque eodem statim anno, qui fuit MDXXXVI, quod distulerunt antea fœdus, nunc festinabant. Eique subscripsere, præter Regem, Johannes Fridericus Elector Saxoniæ, Philippus Dux Brunsvicensis, Ernestus & Franciscus, fratres, Duces Brunsv. & Luneb. Philippus Landgr. Hassiæ, Wolfgangus Princeps Anhaltinus, Gebhardus & Albertus, fratres, Comites Mansfeldici. Prætermiserunt hoc fœdus, (quod ut tempore XIIX. mensium Brunsvicensi illo antiquius, ita ab eo in quibusdam capitibus diversum) scriptores nostri. Verum integer libellus habetur in Hortlederi *Tom. I. cap. XI.* (gg) cui etiamsi nulla adjecta loci mentio, uti nec in tribus, quæ nobis se obtulerunt, exemplis manu scriptis; recte tamen annotavit Seckendorfius, (hh) intelligendum esse conventum hoc anno Smalcaldiæ habitum; ex quo prodierunt etiam, quæ idem Hortlederus paulo ante, *Cap. VIII. & IX.* repræsentat. Exinde iidem Principes, præcipue Saxo, Hassus, & Brunsvicenses, non destiterunt ceteros fœderatorum urgere, CHRISTIANUM quoque solicitare, ut religionis communisque securitatis causa in majus illud fœdus transiret. Ac in Principum quidem ordine omnes eo inclinavere. Adeo eorum mentes ceperat Regis

(gg) *Pag.* 1514. nec non in Lunigii *Reichs-Archiv P. Spec. Contin. I.*

(hh) *Lib. III. pag.* 174. *b. in addit.*

Regis ſpectata armis fortitudo, ardens religionis ſtudium, &, quæ prudentiam ejus ſequebatur, inaudita plane felicitas: Cum etiam hæc ipſa non leviter oculos adverſæ partis præſtringerent; quam in rem legi meretur auctor litterarum, quas exhibet Jo. Wolfius *Centur. Memorabil. Tom. II.* (ii) ac germanice Hortlederus *Tom. I. lib. I. cap.* 34. Et CHRISTIANUS ad aſſentiendum tanto promtior, quanto id putabat & ſacrorum libertati tutius, & declinandæ Pontificis Romani auctoritati, ſi forte ad concilium invitaretur, aptius, & præterea majori rebus ſuis ſtabilimento futurum. Quapropter iis, qui rem proponebant, conſtituendi, quæ in eam eſſent, poteſtatem fecit; miſſusque eo nomine anno MDXXXVII. ad conventum Smalcaldicum Wolfgangus Utenhovius, de conditionibus cum Saxone & Haſſo acturus, (quam tamen video legationem Cragium noſtrum omiſiſſe.) Cumque inter alia Rex rogaretur, accommodaret operam ut Suecus pariter ad ſocietatem poſſet attrahi, neque hoc intentatum reliquit; quemadmodum plenius pluribusque, quam Cragius noſter, verbis expoſuerunt ſcriptores Svecici, Ericus Georgii (kk) & Loccenius (ll). Verum cum Brunſvicenſis ille dies adeſſet, omnesque conveniſſent; accidit aliquid Principibus improviſum inopinatumque, nempe quod majori urbium numero minus conſultum videbatur, Regem, niſi certis conditionibus eique minus commodis, ad ſocietatem fœderis admittere (mm). Pertimeſcebant enim de ſuis fortunis & periculis, ſi quando CHRISTIANUS ab ipſo Cæſare laceſſeretur. Sed ceſſerunt tamen rationibus, quas Principes ceteræque urbes afferebant, ac ita, poſt dierum haud multorum deliberationem, fœdus coiit. Hoc tamen, cum in tabulas relatum eſſet, noluit ſubnotare Rex, utpote adhuc animo, quæ parenti evenerant, infixa gerens; antequam pleniſſime ſibi caveretur aliis litteris, ac ſponſione cunctorum fere Principum confirmaretur, omnia bona fide peragenda. Erat id nempe, quod voluit, ut quamvis fœdus ad ſacra ſpectaret præcipue, nihilominus, ſi contingeret, ut ipſe aut heredes ejus in alia quacunque, quam religionis cauſa infeſtarentur, vel ditiones ejus invaderentur; tamen auxilia, quorum in fœdere mentio, ſemper parata & ſuppeditanda forent. Eat nunc commentator, ſuumque illud invidioſum, *Regem enixe deſideraſſe in fœdus recipi*, lectori hæc noſtra, ex monumentis omni exceptione potioribus deſumta, conſideraturo, quantum poſſit, perſvadeat.

Ad ipſas deinde criminationes progredimur. In quibus nihil mitius offendimus dictum, ſed acerba omnia, & qualia a maledico obtrectatore potius, quam a bono hiſtorico & humanitatis profeſſore, expe-

(ii) *Ad. an.* 1540.

(kk) *Part. II. pag.* 104.

(ll) *Lib. VI. pag.* 318. *edit. Upſal.*

(mm) De iſta urbium tergiverſatione nonnulla etiam habet Rehtmeyer *Hiſtor. Eccleſiaſt. urbis Brunſv. P. III. Cap. V. pag.* 123. *ſeqq.*

expectaveris. Etenim CHRISTIANUM, *ficuti nuper Gustavum in communi adversus Lubecenses bello, ita nunc Smalcaldicos destituisse; contra fidem & officium egisse* (nn); *susque deque habuisse societatis leges, & communem Lutheranæ religionis causam, eaque arte Cæsaris gratiam tunc quæsivisse, a quo, profligatis jam Smalcaldicis, Holsatiæ, Stormariæ, & Ditmarsiæ feudum, desertæ societatis præmium, amplissimis verbis obtinuerit* (oo); verba sunt, quæ non possunt, nisi a malo animo, & ab homine non nisi mediocriter rerum, quas instituit tradere, intelligenti, profecta esse. Ostenderit idem scriptor alias haud inficiandam veteris historiæ notitiam, maxime cum in alterius celebris viri opere insignem illum numerum lapsuum & nævorum indicaret; certe in recentiore non habere ipsum, quo magnopere se efferat, nisi de aliis rectiora, quam de Danicis rebus nos docuerit, minime laboriosum est monstrare. In bello adversus Lubecenses, ac tractatione cum ipsis quæ accidissent, haud sane necessum erat nunc repetere; postquam de eis satis fuerat dictum *pag.* 184. Et apparet nimis quam manifeste, ista ex calumniandi studio repetita, ac intrusa hoc loco, ad persvadendum scilicet, CHRISTIANO nihil sancti, nihil veri adfuisse, eique fidem dare & violare ludum jocumque habitum. At de illis, quantumvis odiosis & gravibus, nolumus certamen nobis cum obtrectatore instituere; cum quæcunque ad rem pertinent, vix aliam explicationem exposcunt, quam quæ & ex nostris & ex Svecorum monumentis in publica luce versantibus peti possit, & prudentiori cuivis, sine omni detrimento gloriæ & existimationis CHRISTIANI Regis, dijudicari. Obtrectatorem vero, cui, ut videtur, ne Loccenii quidem historia nota fuit, ex solo Chytræo (pp) de Lubecensi negotio edoctum, multa necesse fuit ignorare. Quod si vel solam Pufendorfii epitomen inspexisset, quæ & germanica, & gallica, & ni fallor, pluribus lingvis edita, potuisset inde discere de Gustavo, causam ei indignationis fuisse hanc præcipuam, quod suspicaretur, ideo inter Danos ac Lubecenses coaluisse pacem, se inconsulto, ut illi horum opibus adjuti, Svecos aggrederentur & subigerent (qq). Accesserant iræ, quas ille Rex justis de causis conceperat adversus Comitem de Hoja, & Bernardum Milenum. Verum, quum & heic juri Gustavi satis provisum esset a CHRISTIANO, & nulla dari posset ratio, cur istorum duorum causa, (quibuscum nullam unquam reconciliationem facere, præsertim cum Mileno, certum habebat Gustavus,) in longius esset bellum extrahendum, cum certissimo utriusque regni Danici Svecicique periculo; Svecus, re diligentius considerata, se revocans, non solum acquievit, sed &, (quod omiserat Chytræus commentatorem docere,) renovata sine ulla mora amicitia, in mittendis auxiliis, & suppeditando ære, omnia ad votum CHRISTIANI egit:

(nn) *Pag.* 347.

(oo) *Pag.* 525.

(pp) *Lib. XIV. ad an.* 1536. *pag.* 421. *ed. Lips.* 1593. *f.*

(qq) Pufend. *Introduct. P.II. pag.* 359. *ad an.* 1536.

egit: Usque adeo, ut eadem æstate detentas hucusque Lubecensium naves dimitteret, iisque liberam in Sveciam navigationem concederet, testatus sese gratiæ & amicitiæ CHRISTIANI id totum dare. Hæc autem omnia Gustavum, si in fœdere destitutum, si desertum, si periculo hostiumque incursioni se expositum credidisset, aut si tantopere, ut cum Lubecensibus continuaretur bellum, tunc concupivisset, facturum fuisse tam prompte tamque incunctanter, nemini, qui Regis ejus ingenium noverit, saltem verisimile reddetur. Svecos omittimus. Ad Smalcaldicos redimus. Non puduit obtrectatorem, hos etiam desertos ac destitutos dicere a Rege nostro, eumque isto facto *contra fidem & officium egisse, & societatis leges susque deque habuisse.* Quæreret hic iterum aliquis, quibus commentariis lectis, quibus tabulis perlustratis, quo causæ hujus cognitore consulto, tam doctus iste homo evaserit, ut sententiam ferre audeat, eaque pronunciare, quæ per centum & nonaginta annos haud quisquam ex omnibus iis, quos propius ista attigerunt, sive recenti adhuc facto, sive postea, legitur scripto aut verbis protulisse? Monstret nobis aliquod saltem à Principibus fœderatis aut ordinibus, quorum res agebatur, monumentum, quo de injuria hac Regisque nostri perfidia sint conquesti. Promat libellos editos, quales in istiusmodi causis nunquam fuerunt desiderati; & qualium ingens multitudo, tum per ipsos belli, quod Smalcaldicum vocant, motus, tum finito illo, publicata, Germaniam inundabat. Ostendat, inquam, vel unum ex iis aliquem, qui adversus nostrum Regem prodierit. Inspiciat & excutiat, quæ, cum istæc agerentur, & imperium Germanicum quam maxime turbarum æstu flagraret, a Lutheranis, a Catholicis, a Cæsarianis, a Smalcaldicis, jactabantur. Præsertim cum haud defuerint, qui talia peculiari studio anxieque investigata, ne cantiunculis quidem næniisque neglectis, in volumina constiparint. Offendimus ibi ad satiem & fastidium, quibus aliorum quorundam Principum fama proscissa & lacerata: Num vero vel in iis, vel aliis, quæ opposita his fuere, usquam deprehenditur CHRISTIANUS vel accusatus, vel in suspicionem neglectæ societatis adductus? Non quod ex talibus velimus existimationem optimi sanctissimique Regis pendere, aut quicquam tam infirmis testimoniis, ac sunt vel adversariorum suæque causæ patrocinantium scripta, vel dicaculorum ex plebe libelli, opinemur excelsissimæ ejus famæ vel detrahi posse, vel astrui. Sed, ut tantummodo istud obtrectatori, tam docto, tamque in historica re versato, objiciamus, de quo is ne quidem cogitavit fortasse; etiamsi nihil in historicis controversiis est vulgarius, quam argumenta a negatione, vel silentio ejusdem ævi depromta. Verum, quid? inquies. Annon historicos habuit, quos sequeretur? Habuit sane; & quis nescit? eosque non e vulgo; sed primos, sed summæ auctoritatis & gravissimos, Sleidanum, Thuanum, &, quem ipse non dubitavit his duobus anteponere, Chytræum. Quid ergo tradiderunt illi, audiamus. Primus, qui & fons omnium, hoc strictim: *Daniæ Rex, etsi confœderatus erat, tamen nullam opem Smalcaldicis tulit.* Quæ ipsa, neque verbo auctiora Thuanus

(Q) reddit.

reddit. Tertius, in anni MDXLVIII. enarratione, de feudo Holsatico loquens, commemorat, *Rege Christiano opem nullam Joanni Friderico Saxoni & Hasso confœderatis suis in bello Germanico ferente, benevolentiam Cæsaris erga ipsum auctam esse, atque ideo petenti, feudum Holsatiæ hoc tempore in amplissima forma Cæsarem contulisse* (rr). Et jam omnes, quibus vel usus ille, quicum nobis res est, vel, cum etiam diligentissime rem agerei, sibi in Germanicis utendum credidit, nominati. Nam Lamb. Hortensii (ss) verba nihil aliud, quam Thuani & Sleidani ista, significant. Quorum vero nullus est, qui Regem *contra fidem & officium egisse*, nullus, qui *societatis leges violasse*, nullus qui *communem Lutheranæ religionis causam prodidisse*, vel verbo refert: cum tamen, si cum obtrectatore sensissent in CHRISTIANUM quidvis harum rerum convenire, à multis tamen judicaretur, ejusmodi censuræ potius in majori quodam opere, qualia sunt laudatorum scriptorum illa, quam in epitome & consarcinato ex iisdem opusculo, insistendum. At hic noster criticus, quamvis *commentarios* instituerit, *non historiam*; quamvis *non historico stylo, qui in disputationes & observationes, sive politicas, sive ethicas effundere se solet, scripserit*, (quæ ipsius in præfatione sunt verba,) tamen, cum meminisset, se sapientiæ professorem esse, noluit nimirum juventuti, *ethices* non minus quam *historiarum* studiosæ, ista sua deesse opera, unde scilicet addisceret, eos qui fœderatis nullam opem ferunt, turpiter se gerere, *societatis leges violare, contraque fidem & officium agere.* Quod ut recte se habere axioma simpliciter & absolute spectatum, omnes sciunt, ita illico non sequitur, nullam exceptionem dari, qua fœderati auxilium exposcentes justissime excludantur. Possunt enim casus incidere, quibus nec petere opem decorum, neque justum honestumque sit adeo eam petentibus præstare. Possunt in ipsis societatis legibus talia extare expressa, quæ legitimam excusationem dant neganti. Possunt & ipsi subsidia ex pactis exigentes, in culpa esse fœderis violati, ac postea, cum altera ab eo pars discesserit, imputare sibi; ea denique objecta audire, quæ olim a Corinthiis Lacedæmonii, apud Thucydidem: λύουσι τὰς σπονδὰς οὐχ οἱ δι' ἐρημίας ἄλλοις προσιόντες, ἀλλ' οἱ μὴ βοηθοῦντες οἷς ἂν ξυνομόσωσι. Quæ omnia haud necesse est, ut argumentis ulterius exemplisque illustrentur, cum id centies aliis occupatum, qui hanc ipsam de fœderibus materiam pertractarunt. Id autem non possumus non mirari, censorem nostrum, tantæ eruditionis virum, & cui hæc omnia ex ipsis sapientiæ civilis fontibus perspecta erant & cognitissima, usque adeo tamen de Rege præjudicatæ suæ opinioni indulsisse, ut eorum nihil ipsi in mentem venerit suspicari. Nonne vero melius fuisset, se sustinere paulisper a reprehendendo, donec in re tanta, in qua magni Principis fama & existimatio vertebatur, explicatius aliquid, quam quod in suis auctoribus repertum, occurrisset? Et, quamdiu nihil usquam proditum inveniret, unde constaret, quibus qualibusque de causis pro defendenda religione nulla induisset arma

(rr) Chytræi *Saxon. lib. XVI. ad an.* 1548. *pag.* 491.

(ss) *Lib. II. pag.* 44. *prim. edit.*

ma CHRISTIANUS, nullaque fœderatis submisisset auxilia, tamdiu in brevitate illa, summis historicis adamata, Sleidano puta ac Thuano, acquiescere? Hi nempe, cum haud minus, quam recens ille commentator, sapientes viri essent, & gnari, quænam a fœderatis officia juris & æqui & honesti ratio exposceret, abstinuerunt tamen maledicto, præsertim in re obscura, cujusque causæ nullis erant in publicum editis monumentis declaratæ. Quod si eorum summæ inquisitionis diligentiæ, de iis quæ inter Regem nostrum & utrumque Smalcaldicorum ducem, Saxonem & Hassum, annis MDXLVI. & MDXLVII. acta sunt, æque fuisset, ac de aliis multis, exploratum, etiam, certum nobis est, neutiquam passuros fuisse, heic suam illam in enarrando fidem & candorem desiderari. Ast commentator, directa illa & simplici via neglecta, alia sibi utendum credidit, ne scilicet ulciscendi fœdifragum Regem tam opportuna amitteretur occasio; quasi hoc nullus ante eum historicorum alius foret ausus. Quam fideliter autem & candide rem aggrederetur, nequaquam videtur curæ habuisse; quamvis in præfatione professus solennibus verbis *in omnibus bona fide, & quanta maxima potuerit, diligentia se usum esse.* Sane autem, si fidem adhibuisset, si diligentiam voluisset majorem, quam Sleidanus & ceteri, posteris approbare, cur non leges societatis, inter CHRISTIANUM & Smalcaldicos initæ, antequam malediceret, hoc est, antequam eas *violasse* Regem effutiret, inspexit & examinavit? Reperisset utique, nullum potuisse a quoquam fœderatorum exposci auxilium aut deberi, nisi quando illi, qui poscerent, priores essent bello lacessiti, ac eorum ditiones manifeste oppugnatæ: at contra, auxilia exigere, ut obviam iretur bello & periculis, quæ religioni imminere nondum claris & certis esset indiciis confirmatum, ex dictæ societatis pactis minime licuisse. Jam vero, qui evolvere velit, non solam historiam aliquot post annis a Sleidano editam, sed & reliquorum auctorum nonnullos, inveniet quidem, non difficile esse hodie, illud, quod Carolus V. ministrique ejus tunc solicite occultabant, mysterium aperire, ac in omnia, quibus evertere religionem & Germaniæ libertatem studebant, consiliorum arcana penetrare. At, qui per ipsa illa tempora, quibus hæc consilia coquebantur, pari facilitate rem cognosci, qui vera a falsis, speciem a re ipsa, aperta a dubiis, dolum a sinceritate secerni, in tantis animorum utriusque partibus motibus, potuisse, (cum neutra certe pars multiplici vacaret culpa,) opinatur, ejus ego peritiam historicam istarum rerum comparatamque ex libris cognitionem profecto non magni æstimabo. Conferat is, ut Sleidanum jam taceam, primum, quæ grandi opere collegit laudatus sæpius nobis Hortlederus; adjiciat, quæ observavit Seckendorfius in suo ad ultimum annum commentario; perlegat Joach. Camerarii scripta, *historiam* videlicet belli *Smalcaldici*, *Orationes decem de Electore Mauritio*, *Vitam Phil. Melanchthonis*, Camerarii & Melanchthonis *epistolas;* evolvat expendatque insigne opus de dicto bello, quod famoso duci Sebast. Schertelino adscribendum judicavit præclarissimus editor Menckeni-

skenius (tt); non negligat Lamb. Hortensii libros; attendat denique ad ea, quæ in rem habet excellens *Concilii Tridentini* scriptor (uu); quæ Georgius Arnoldi in *Vita Mauritii Electoris* (xx); quæ Jacobus Thomasius in *Orat.* de eodem (yy); quæ Burnetus in *Histor. Reformat. Angl.* (zz); quæ Ubbo Emmius in *Historia Frisica lib. LIX.* (aaa); quæ Schurtzfleischius in *Disput. de Friderico III. Sapiente* (bbb) &c. atque tunc demum judicet. Persvasissimum enim habeo, quemlibet mortalium, qui primum ista imbutus sit rerum notitia, non posse ulterius admirari, cur tam segnis fuerit CHRISTIANUS ad credendum, a Cæsare insidias strui religioni; aut vitio Regi vertere, si ad placandum Carolum & tentandam honestæ compositionis viam, potius quam ad incertissimam belli fortunam periclitandam, auctor fuerit: sique deinde, cum se nullum videret posse momentum facere ad Smalcaldicorum, maxime inter se diffidentium, res juvandas, fortunam expectare maluerit, quam irritare (ccc). Id interim probe observandum, per id tempus, quo ab utraque parte ad Regem frequentes litteræ mittebantur, quibus a Cæsare quidem, ut quiesceret pactumque anno MDXLIV. initum servaret, a Saxone autem & Hasso, ut consociaret cum ipsis arma, interpellabatur, (quæ missiones per maximam anni MDXLVI. partem durarunt,) duas res cumprimis ad Regis notitiam pervenisse, haud æquo ei animo acceptas. Harum prima erat, quod præter alios, Regi parum amicos, in exercitu Smalcaldicorum militantes, bini infensissimi ejus hostes, Fridericus Palatinus, & Christophorus Comes Oldenburgicus, eisdem sese adjunxissent, validis instructi copiis, quas dubitandum non esset, quin ex successibus istius belli augere vellent, atque ex more suo in Holsatiam aliasque Regis provincias infundere forent tentaturi. Neque a Rege illud in litteris, Saxoni & Landgravio scriptis, dissimulatum; & præterea quod constaret, quosdam earundem partium, Holsaticis nuper finibus imminentes,

(tt) Ac præsertim quæ habet *col.* 1384. *seqq. Tomo III. Scriptor. Rer. Germanicar.*

(uu) Per *librum secundum* hinc inde.

(xx) *Tomo II. Scriptor. rerum German.* Menckenii a *col.* 1177. *ad* 1185.

(yy) *Pag.* 100. *seq.* 103. *&c. edit. Lips.* 1683.

(zz) *Pag.* 190. *b. edit. Lat. Genev.*

(aaa) *Pag.* 930.

(bbb) *Pag.* 15. *seq.* Possent quidem plures enumerari, sed qui non æque obvii. Inter hos satis memorabilis & digna lectu est Thomæ Naogeorgi Confutatio carminis de bello Germanico Jo. Pedionæi, sive, ut in fronte titulus exprimitur, *De bello Germanico in laudem Joannis Pedionæi, ejusdem belli scriptoris, Carmen jambicum trimetrum scazon, auctore Th. N. S.* sine loco & anno, in 8vo. pagg. 48. Dedicatio vero ad Jo. Jac. Fuggerum scripta est Cal. Januar. 1548. Non neglexisset, puto, illud Hortlederus, si cognitum habuisset.

(ccc) Legatur in hanc sententiam, inter Bœcleri *Dissertationes, ad Commentationem Grotianam adjunctas*, ultima, quæ inscribitur *Quies in turbis.* Eadem & inter collectas viri Dissertationes extat *Tomo I. num.* 34.

nentes, Dithmarsicam plebem ad rebellionem contra Regem sollicitasse: Ad quæ Elector & Hassus A. D. vi. Augusti responderunt, Christophorum quidem Oldenburgicum, & Tidonem Cniphusium (ddd) nomina dedisse militiæ Protestantium, & cum insigni equitum peditumque numero indies expectari (eee): Palatinum autem in fœderis societatem nondum receptum esse; ac, si fuisset, neutiquam tamen CHRISTIANI rebus id fraudi futurum. Altera res fuit, quod illi ipsi Principes,quamvis sub initium belli de repellenda vi tantum loquerentur, talia tamen nunc agerent & susciperent, quibus necesse foret odia alienationesque fieri majores. Neque enim mediocriter displicuit CHRISTIANO, qui superioribus annis, tunc quum ipse maxime a Cæsare premebatur, ac vicissim Cæsaris ditionibus inferebat bellum, tamen ejusdem nunquam reverentiam deposuerat, nunc de Electore & Landgravio percipere ea, quæ parum pios aut sobrios viros arguebant; nempe, quod majestatem Cæsaris studerent virulentis dictis imminuere; quod officia, quibus ei devincti essent, cuncta ejurarent; quodque abrogato ei Cæsaris & Imperatoris nomine, omnem, quantum in ipsis, spem reconciliationis intercluderent (fff). Ast, inquies, etiamsi dubitasset CHRISTIANUS de casu fœderis, deque justitia belli; & quamvis initio aliquid a Smalcaldicorum parte esset peccatum, tamen potuisse postea proscriptis, rebus præsertim ipsorum in maximum discrimen adductis, subveniri, atque Regem, qui id non fecerit, sed *fœderatos destituerit, contra fidem & officium egisse.* Nos autem quæremus, quomodo tam affirmate scribitur hoc ac dicitur, non subvenisse CHRISTIANUM? & cujus demum testimonio accusatio hæc instructa? Sleidani scilicet? Quasi hunc nihil potuerit latere, nihil etiam celatum sit ab iis, a quibus acta ista & scribendi materiem obtinuit. Ceteri enim, Thuanus, Hortensius, Chytræus, & si qui plures sunt, universi, illius ore loquuntur, illiusque fide commemorant. Verum, qui candide velit agere, qui *maximam diligentiam bonamque* illam *fidem*, quam in ore commentator habet Batavus, adhibere, is, antequam aggrediatur sententiam tam acerbam, atque ille protulit, enuntiare, debet minimum omnia illa collata habere & observata, quæ in Sleidani labore, ab aliis supplera sunt & correcta. Epitomen poterit, aut, si ita placet, commentariorum libros quilibet instituere, modo auctorum, quos sequendos sibi elegerit, fideliter insistat vestigiis, nihilque eorum verbis aut judiciis adjiciat vel affingat. At si ultra procedere, & laxare interdum habenas animo, ad censendum nimirum proclivi, commo-

(ddd) Is antea Regi nostro stipendio obligatus, postea fidei renunciarat. Vid. Cragii *Annal. pag.* 279.

(eee) Adduxerunt nempe illi 6000. pedites, equitesque 600. teste Seb. Schertelino *histor. Belli Smalcald. col.* 1418.

(fff) Hinc & legatus Gallicus in litteris ad Regem suum scripsit, nihil tam graviter ac acerbe Carolum V. in tota vita tulisse, quam ista contumeliosa in se dicta & scripta Saxonis & Hassi. Ribier *Memoires d' Etat T. I. lib.* 5.

commotus hujus vel illius facti indignitate, velit, qui possit secure id facere, quamdiu aliquid restet solicitius inquirendum, ego profecto non video. Itaque, si, quæ, post fata Sleidani, editiones historiæ ejus germanica lingva prodierunt, variis ad paginarum oras annotatis instructæ, inspiciantur, non solum præstantissima illa Oseæ Schadæi, sed & hac antiquiores (ggg), occurret inter ea, quæ Michaël Beutherus margini illevit, aliquid in hanc rem notabile, & quo forte omnibus famæ & gloriæ piissimi Regis inimicis oculi doleant. Nempe illud, quod Sleidano ignoratum fuit, atque, ut verisimillimum mihi videtur, Beutherus acceperit a Joanne Sturmio: cui viro nihil eorum fere, quæ a CHRISTIANO III. suscepta & cum externis fuerunt acta, latuerunt, & qui ultra viginti annos, de gravissimis sæpe rebus constans cum Rege & ministris ejus litterarum commercium habuit. Hoc vero est, „Regem apud confœderatos usum fuisse ex„cusatione eorum, quæ ante biennium cum Cæsare esset pactus, & „tamen eisdem quadragies mille aureos misisse.„ Quod quidem verum si fuerit, (ut quidem nobis est persvasissimum,) clarum etiam manifestumque erit, errasse omnes & allucinatos esse, quotquot dixerunt, nihil a Rege nostro fœderatis Protestantibus auxilii esse præstitum. Præstitum certe ita omne ac totum illud, ad quod obstrictus fuit ex ipsis societatis legibus. Neque amplior aliqua, verum hæc nominatim summa erat definita, si, quod arbitratui cujusvis socii relictum erat, in pecunia, non milite, auxilium exhiberetur: quemadmodum ex tabulis fœderis, apud Hortlederum & Lunigium, intelligitur. Ergo, quid velint adversarii, nescio, aut quid possint, nisi ipsius Sleidani sese ignoratione hujus rei tueri, ejusque inscientiæ inædificare omnem istam obtrectationem & calumniam. Sed qui tam turpiter abutuntur præclari historici inscientia, videant, quo pacto suam excusare velint & ignorantiam & socordiam, dum scilicet ea negligunt cognoscere, quæ ad tollendos ex candidissimo opere paucos hinc inde nævos, (quod enim talibus immune unquam exiit?) aliorum contulit industria. Adeone illis exiguo loco habetur Princeps, ob pietatem, moderationem insignesque alias dotes per orbem clarissimus, ut de eo scripturi, non curent, ne ad temerarium judicium delabantur, plures libros consulere, aut in variis evolvendis editionibus eandem operam impendere, quam tamen, vilis cujusdam vocabuli rem sæpe omnium contemptissimam significantis causa susciperent perlubenter, multasque etiam bonas horas in comparando ingenti codicum & editionum numero collocarent. Sed, ut in viam redeamus, de pecunia, quam diximus, submissa, & quod hæc summa in Principum fœderatorum usum cesserit, haud magis aliquid ab nostris historicis traditur. Fatemur istud. Cragio nihil ejusmodi memoratum: ac forte in memoriis & tabulis, quotquot excutiebat, nihil de hac re diligentiæ ipsius se obtulerat. Hvitfeldio tamen erat exploratissimum,

(ggg) Inter antiquiores mihi se obtulit Francofurtensis illa, anni MDCVIII. in Folio, Beutheri aliorumque notis ad marginem locupletata; in quibus & hæc, de qua loquor, annotatio legitur ad finem anni 1546.

tiſſimum, legatum a Rege ad Principes fuiſſe Joannem Berneccovium, cum quadragies mille aureis; quos vero is, audito Electorem Saxoniæ victum prælio captumque eſſe, reportarit. Ita autem, quod manifeſtum eſt, hæc legatio pecuniæque miſſio ad annum MDXLVII. pertinebat, cum erraviſſe etiam Hvitfeldium in anno captivitatis Saxonis, ſupra monitum. Oportetque idcirco, eam, de qua Sleidani corrector loqvitur, jam anno præcedente factam eſſe. Equidem haud ignoro, quid, anni MDXLVII. initio, Regi ſuo reſcripſerit legatus Gallicus; nempe Regem Daniæ denegaſſe Proteſtantibus etiam xx. mille aureorum ſummam, neque adeo permittere voluiſſe, ut ab eisdem in ſuo mari Belgicæ infeſtarentur naves, ad bellum neceſſaria Cæſari advehentes (hhh). Verum, quantum ad hoc attinet poſterius, interrogabimus quemcunque juris & æqui intelligentem, annon plane & directo contra Spirenſe pactum CHRISTIANUS egiſſet, ſi in ſuis maribus portubusque talem voluiſſet inſultum in Belgarum naves pati? In priore illo potuit, ut videtur, Gallicus legatus falli, resque ipſa inſtrui tam occulte, ut neque ad illius, neque ad Cæſarianorum notitiam perveniret; &, quando a Rege palam denegabatur, clam tamen ſubſidium, certis adhibitis cautionibus, ſubminiſtrari. Ita enim ut ſuſpicemur, facit exemplum ſyngraphæ, in quod incidimus, quodque ad paginæ hujus oram fideliter deſcriptum (iii) exhibebimus: Quan-

(hhh) Vid. Ribier *Memoires d Etat Tom. I. pag.606.*

(iii) „Nachdem der Durchleuchtige und Groſzmechtige Herr CHRISTIAN, „König zu Denmarck, Norwegen, &c. Uns von GOttes Gnaden JOHANS FRIDERICHEN, Hertzogen zu Sachſſen, des Heiligen Römiſchen „Reichs Ertz-Marſchalch und Churfürſten, Landgraven in Düringen, „Marggraven zu Meiſſen und Burggraven zu Magdeburg, und Philipſen, „Landgraven zu Heſſen, Graven zu Catzenelnbogen, zu Dietz, Zigenhain und Nidda, Auch unſern Gemeinen der Chriſtlichen Religion Ainungs Verwandten Stenden, wider des Bapſts unchriſtlich Fürhaben, „Unſere ware Chriſtliche Lere under zu drucken, durch den Erbarn „und Hochgelerten Baltzar Klammern, Lüneburgiſchen Cantzler, Zweintzig Tauſend Taler, zu Errettung und Defenſion der waren Chriſtlichen Religion zuſtellen laſſen, So verpflichten Wir vorgedachten Chur- „und Fürſten, als ſelbſtſchuldigen, Uns und Unſere Erben, von wegen „gemeiner Chriſtlichen Verſtendtnüſs, gegen Hochgedachte Königl. „W. zu Denmarck und Ire Erben, zu ider Zeit, wann es von Uns „begeret, ſolche Summa wider zu geben; Auch im fall der Nott, ſo „Seine Königl. Wird übertzogen wurd, dieſelbige in gleichnuſs mit Hulff „und Rath in keinen Weg verlaſſen; Sonder wollen bey Königl. Wird, „mit aller vleiſſiger Beforderung und Hülff, wie die Freunde, getreulich „zuſetzen, in Bedenckung, daſz ſich Ire Königl. Wird gegen uns und „gantze Gemeine Ainungs-Stende gleichfals der Zeyt gehalten, und befinden laſſen, getreulich und ane Geverde. Zu Urkundt mit Unſern „hierauff-gedruckten Secreten beſigelt, und geben in Unſerm Feldtlager bey Reichartshauen, den ſechzehenden Auguſti Anno Domini XVC. XLVI.

„JOH. FRIDERICH Churfürſt. m. pp. ſſt.

„PHILIPS, L. Z. Heſſen. ſſt.

Quandoquidem ex eo cognoscitur, vicies mille thalerorum summam legatum Smalcaldicorum sub nomine mutui abstulisse; & quidem a Rege ipsam, non adversus Cæsarem, sed contra Pontificem Romanum, postquam de ejus copiis in Germaniam missis constaret, repræsentatam. Sic vero quamvis detecta res fuisset, non tamen potuisset a Cæsare ad violatæ pacis accusationem trahi. Ceterum utut sese istud habuerit cum viginti millibus, certissimum utique est, geminatam aureorum summam fuisse a Rege anno MDXLVII. per Joan. Berneccovium missam, neque aliquid de ea vel Cæsari vel Gallis suboluisse; verum advenisse nimis sero, cum jam eo res Smalcaldicorum redactæ essent, ut nullæ eis sublevandis atque erigendis opes pecuniæqve sufficerent. Adeoque ex his quadraginta millibus tantundem omnino scilicet Saxo & Hassus accepere, quantum ex trecentis illis millibus, quibus aliunde ut potirentur, Franciscus I. Rex Galliæ operam dederat, & quorum ne unicum quidem teruncium, quicquid nobis narret commentator Batavus (kkk), attigerunt. Nec tamen eapropter desitum apud Protestantes a CHRISTIANO præsentius sperare auxilium, si summa necessitas efflagitaret: hoc est, si Carolo, jam victori, in mentem venisset graviora & iniquiora occipere. Quo pertinent quæ leguntur apud Georgium Arnoldi in *Vita Electoris Mauritii*, eo loco, ubi de Wittebergæ deditione narrat (lll): *Non arbitror*, inquit ille, *Cæsarem quicquam atrocius facturum fuisse in ipsum Electorem, etiamsi oppidum non cepisset. - - - Restabat adhuc Landgravius: Saxoniæ quoque urbes suos in armis habebant: Daniæ Principem conjunctum cum illis fore putabant; ut si gravius quicquam Cæsar in Electorem statuisset, non tam finiisse, quam incepisse bellum videri posset.* Verum, quod ad Galliæ Regem spectabat, erat ei, (ne & hoc dicere omittamus,) mira & singularis profecto religio, in eo sita, ut quod sibi illicitum & perpetratu injustum existimaret, videlicet ut à nupera cum Cæsare inita pace resiliret, ac vel palam pecuniam mitteret vel arma cum Protestantibus conjungeret, id tamen aliis persvadere, eadem ipsa religione haud minus impeditis, omni intensissimoque studio laboraret. Nihil sane intentatum reliquit, quo CHRISTIANUM III. ad rumpendam cum Cæsare pacem & opitulandum Protestantibus incitaret. Fuitque inter ultima mandata, quæ prope moribundus voluit ad Christophorum Richerium perferri, hoc præcipuum, ut Daniæ Regem ad Spirensis pacti dissolutionem hortaretur, & quibuscunque illam modis ac rationibus studeret procurare; oblatis conditionibus, non tantum societatis Gallicæ, sed & matrimonii inter Fridericum Daniæ Principem & Reginam Scotiæ, ostensoque, nihil Cæsari firmius destinatum, quam subactis

(kkk) *Et tamen Rex Franciæ paucis diebus ante mortem suam, quum jam Smalcaldicorum res pessimo essent loco, Saxoni & Hasso, singulis centum millia scutatorum misit.* Sic ille *Commentar. rer. gestar. Seculo XVI. pag.* 350. Sed quomodo miserit, legatur in genuinis fontibus, Sleidan. *lib. XVIII. fol.* 256. *a. edit. an.* 1556. *in fol.* Lambert. Hortens. *libr. IV. init. &c.*

(lll) *Col.* 1214. in Menckenii *Scriptorum German. Tomo II.*

subactis Protestantibus, Daniam invadere, urbes maritimas opprimere, Germaniæ denique & toti Septentrioni intolerabile jugum imponere (mmm). At CHRISTIANUS ne tantulum quidem his commotus, ea reponi simpliciter & citra ambages mandavit Gallo, quæ toties Electori & Landgravio, quoties ab illis solicitabatur, responderat.

Enimvero haud minus recte se habet, quod de excusatione a Rege allata emendator Sleidani annotavit. Illa nimirum, & cum primum a legatis Principum adiretur, & deinde, quandocunque occasio daretur, est usus. Ac, tametsi hoc pariter tacuit Sleidanus, tamen non ignoravit historicus Italus Hieronymus Faletus, diserte memorans, Regem, de auxilio interpellatum, respondisse, se neque cum Saxone & Hasso fore contra Cæsarem, quicum ante biennium pepigisset, neque contra illos, ut quos religionis haberet socios (nnn). Et vellem mihi ostendi, quid in responsione istac fuerit, etiam acerrimo censori vituperandum? An scilicet, quod pactus fuisset cum Carolo, durante etiamnunc fœdere Smalcaldico? an quod religionis caussam non exceperit? & quæ possint otiose confingi plura? Sed hoc omne, quantum ad pactionem attinet, transactum fuit publice peractumque in comitiis regni Germanici anno MDXLIV. non tantum audientibus & videntibus Electore & Landgravio, verum ipsis maxime auctoribus, Regemque ad maturandam cum Cæsare compositionem instigantibus. Ipsisque ex diurnis actis, quibus missi ad pacificationem legati Danici cuncta mandavere, nobis cognitum, nihil eos in toto negotio suscepisse, nisi consultis prius Saxone & Hasso; ad quos nostri, dum scilicet Spiræ commorabantur, fere quotidie itabant. Quid? quod contigerunt hæc eo tempore, quo dictis Principibus talia cum Cæsare intercessere, quæ non solum ad concordiam & pacem, sed ad arctiorem quandam amicitiam omniaque jura summæ necessitudinis tendebant. Quod si illi vero postea habuerint, quod dolerent, sibique data esse verba quererentur, quid hoc ad CHRISTIANUM: cui nullum inconstantiæ signum dedit Carolus, & cujus rationes, quantum ad pactionem Spiræ factam, neutiquam erant Smalcaldicæ consociationi connexæ? At intererat religionis; e re erat Evangelii & gloriæ Divini Numinis, ut præferretur fœdus, ejus caussa initum, alteri illi, tantum ad præstandam regnis securitatem pertinenti. Itane? Tu igitur credis, a CHRISTIANO Evangelium

 sum-

(mmm) Possunt hæc mandata plenius cognosci & legi apud Ribier. *Memoires d' Etat Tom. I. pag. 607 seq.*

(nnn) *Libro primo della Guerra di Alamagna pag.* 68. „Et mandarono „primieramente dicendo a Christiano Rè di Danimarca, che non dovesse patire, che Cæsare diventasse tanto possente nella Alamagna: perche „se la fortuna gli fosse tanto fauoreuole, che da lui vinti rimanessero, ne „egli, ne quanti vicini ui erano, dalla sua avidità sarebbero securi. Furono dal Rè legati repulsi, però che egli ne contra Cesare voleva essere „seco, ne contra loro servirlo, essendo della medesima religione.

summo studio & admirabili cura per hæc regna propagatum, ut isto modo crederetur? aut Divinam gloriam fraudibus ac mala fide ad confirmationem suam indigere? Et ne quis confingi a nobis rationes ac firmamenta adversariorum credat, possumus asseverare, fuisse in postulatis Principum ad CHRISTIANUM aliquid non magnopere his diversum. Neque enim illis ignota erant capita pactionis Spirensis, quam suis ipsi consiliis adjuverant; & tamen sub ipsum belli initium, non verebantur enixe Regem orare, ut Belgicis navibus fretum Oritanum (ooo) clauderet; ac deinceps, anni MDXLVII. initio, per legatum suum D. Melchiorem Kling, non solum ut idem faceret, sed & Smalcaldicorum in gratiam ut Belgarum naves mari infestaret ac diriperet, prope implorantes obtestari. Quibus quid responsum sit a Rege, nihil nunc opus repetere, cum ex Tractatus Spirensis capitibus III. VI. &c. res liquida. Ceterum erat quoque in mandatis D. Klingii, ut opem Regis nostri exposceret ad permovendum Sveciæ Regem Gustavum, quo & ab illo pecuniæ summa obtineretur. Neque indiligentem in eo navavit operam CHRISTIANUS, missis in Sveciam litteris adhortationis plenis. Credimus autem, ibi nihil prorsus impetratum esse: Quamvis posset ad hoc obligatus credi Gustavus, si Svecorum historicis fidendum. En enim Loccenii verba: *Gustavus fœdus religionis, ad quod ante a Christiano allectus erat, cum Saxone & Hesso fecit, publicæ securitatis & ecclesiasticæ quietis communibus opibus tuendæ causa* (ppp). Idque is, quem fere unicum auctorem sequitur in Gustavi rebus, Ericus Georgii, tradit factum anno MDXLII. misso tunc istius negotii causa in Daniam pariter ac Sveciam Francisco Burchardo, Electoris Sax. Cancellario (qqq). Sed tractatum quidem fuisse, nihil autem cum Sveco unquam conclusum, multo est verius: quemadmodum, ex Cragio patet, ad annum MDXLVI. (rrr) nec non Seckendorfio rem fusius illustrante ad annum MDXLIII. (sss).

Verum præter hanc, quam exposuimus, excusationem, haud ullo jure infirmandam, neque alia, qua etiam legitime uteretur, deerat CHRISTIANO. Et sane nullam rationem video, cur eam premeret aut obtegeret; etiamsi ad alios potius, quam ipsos Principes, adhibitam esse, Cragius noster significat (ttt). Hæc vero fuit, quod triennio antea, eo scilicet, qui tractatum Spirensem præcessit, anno MDXLIII. cum Christiano a Belgis Cæsarianis grave immineret bellum, quo jam Norvegiæ littora acriter infestabantur, rogati auxilia ex fœdere Protestantes, tunc quidem in conventu Smalcaldico con-

(ooo) Vocabulum Cragio adamatum ad fretum, cujus notissimum *Oresundi* nomen, designandum.

(ppp) *Lib. VI. pag.* 337.

(qqq) *Part. II. pag.* 150.

(rrr) *Pag.* 284. *seq.* & 290.

(sss) *Lib. III. Sect.* 24. §. 91. coll. cum *Sect.* 25. §. 102. *pag.* 418. *b.*

(ttt) *Pag.* 295.

congregati, nihil, nisi repulsam dedere. Dicebant enim, *causam hanc ad fœdus nihil pertinere, nam cautum erat, si religionis nomine bellum Regi fieret, ut tunc communibus auxiliis defenderetur* (uuu). Jam autem non disputabo, quam consultum fuisset religioni, aut secus, si Cæsariani Regem oppressissent, si exuissent eum regnis, si Carolus Septentrionis potestatem & arbitrium nactus protinus inter primas suas curas hanc suscepisset, ut sacra novissime introducta, necdum satis confirmata, turbaret; hæc, inquam, omnia non urgebo, quandoquidem tam longe a Germanorum animis ista tunc abfuerit consideratio. Id vero tacere neque possum, neque debeo in præsentia, illos qui id responsi dedere, Principum fœderatorum legatos, vel ignaros pactionis fuisse, quæ dominis suis cum CHRISTIANO intercessit, vel mortalium fuisse iniquissimos. Nolumus verba perdere in re clarissima. Neque tantopere eorum extremam injustitiam miramur, quam CHRISTIANI magnanimitatem summam, qui contumelia hac neglecta, noluit ulterius causæ optimæ insistere. Annon enim optimam & justissimam possim dicere, illosque ea obligatione constrictos, ut, quamvis nomen religionis a bello isto abesset, tamen ad omnia præstanda auxilia tenerentur, dijudicandum cuilibet relinquam, producta ipsa Principum cautione: quam nimirum eodem die, quo CHRISTIANUS Brunsvigæ in fœdus Smalcaldicum est receptus, manibus & sigillis suis confirmarunt. Atque hanc eo nunc lubentius in lucem proferam, quo ignota magis omnibus in hunc usque diem fuit, cum, si excipias brevem illum conspectum, quem olim danicis verbis noster dedit Hvitfeldius, haud sciam, an usquam exemplum ejus in monumentis publicis apparuerit:

„Vonn GOts gnadenn Wir CHRISTIAN zu Dennemarck, Nor„wegenn, der Wendenn und Gottenn Konig, Hertzog zu Schles„wigk, Holstain, Stormarnn und der Dithmarschenn, Grave zu Ol„denburgk und Delmenhorst, JOHANNS FRIDRICH Hertzog zu Sach„sen, des hailigen Romischen Reichs Ertzmarschal, und Curfurst, „Landgrave in Düringhen, Marggrave zu Meissenn und Burggrave „zu Magdeburgk, vor uns und von wegenn des Hochgebornnenn „Furstenn, Herrenn JOHANNS ERNNSTEN, auch Hertzogen zu Sachs„senn &c. unsers freuntlichenn liebenn Bruders, ERNNST und FRANTZ „gebrüdere, Hertzogen zu Braunschweig und Luneburgk, PHILIPS „Landgrave zu Hessenn, Grave zw Catzenelenbogenn, Dietz, Zie„genhain und Nidda, in nhamenn unser selbst, und der Hochge„bornnenn Fürstenn, unser liebenn Oheimenn, Herrenn WOLFFGANGS, „Herrenn JOHANSENN, Herrenn GEORGENN Tumbprobst zu Mag„deburgk, und Herrenn JOACHIM, Gevedternn und Gebrüdern, Für„stenn zu Anhalt, Gravenn zu Ascanien, und Herren zu Bernnburgk, „Auch des Wolgebornnenn GEBHARTS, Gravenn und Herrenn zu „Mans-

(uuu) Sleidan, *lib.* 15. confer. Seckendorf *lib. III, S.* 25. §. 102. & Crag. *pag.* 256.

„Mansfelds, und dann Wir ALBRECHT Graue und Herre zu Mansfeld, Bekennen an diessem Brieve, vor Uns, Unnsern Nachkommenn unnd Erbenn, und allermenniglich, Als Wir Konig CHRISTIAN uff einer und wir ietzgemelte Churfurstenn, Fursten und Grauen, nebenn und mit andernn der Christlichen Aynungs Verwandtenn, Fursten, Stendenn und Stedtenn uff der andernn seytenn, in Sachenn unsere Hailige Christliche Religion unnd was dar anhanget, Ader so ain Andere Sach gegenn aynem tayl aus Unns, oder derselbigenn gliedernn, zu ainem Schein furgewand wurde, Und es doch die Maynung hette, dardurch das Evangelium, und unsere Christliche Religion aus unsernn Konigreichenn, Landenn, Leutenn, Stedten, und derselben zugehörung zureuthenn und nidderzulegenn, unnd die Bepstliche Religion widder darein zu bringenn, und uffzurichten ain Christliche, Ehrliche Aynung und Buntnüs zu rechter erlaubter Gegenwehre uffgerichtet, vorbrieft, vorsiegelt, gelobt unnd zugesagt habenn, Welcher Datum sthehet heut diesses Brieffs gleichlautend, Dieweil aber solche Aynung allein von Religion Sachenn, und was daraus fleust und kommenn magk, Desgleichenn was undterm Schein zeitlicher Sachenn furgenommenn mocht werdenn, meldet, Damit dann Sein Konigliche Wirdenn sich nit dürffen besorgen, dasz seiner Konigl. Wirdenn, derselbigenn nachkommendenn Erbenn, und derer geordentenn Regenten die bestimbte Hulf in allenn Sachenn, sie seyenn von der Religion, oder zeitlichen Sachenn wegenn, geschehenn soll, Und darfur wollenn Wir, obgemeltenn Chur-und Fursten unnd Graven, Burgenn und selbschuldig sein, Und mag Sein Königliche Wirdenn Unns, denn Churfursten zu Sachssenn, und Landgravenn zu Hessen, als dann in Zeit der Noth, so Sie bekriegt, belegert, oder uberzogen wurde, von iemands, wer der oder die wehrenn hohes oder niddernn Standes, niemand ausgeschlossenn, dorumb ansprechenn und fordernn, Alsdann sollenn unndt wollenn wir Seiner Königlichenn Wirdenn, Derselbigen Erbenn und Nachkommen, solche Hülff treulich laistenn, ane alle Behelff, Widderrede und Disputation. Und ob gleich nach Unser baider, des Churfursten zu Sachssenn und Landgravenn zu Hessenn, Tod, den der Almechtige GOtt nach seinem Gotlichenn Willenn gnediglich fristenn wolle, Sein Königliche Wirde die Hülff bey den Gemainenn Haubtleutenn der Christlichenn Verstendnüs, inhalt der Verschreibung mit Datum dies Brieffs stimmend, suchenn solte, So sollen doch unser Erbenn, neben Unns denn andernn oder Unsernn Erbenn, gleichwol darfur Burgenn und Haubtschuldener sein und bleiben, inmassenn wie obgemelt, ane Geverde. Herwiderumb sollenn und wollen auch Wir Konig CHRISTIAN den bemeltenn Chur-und Furstenn, und Irenn zugewandtenn, oder derselbigenn nachkommenden Erbenn, und derer Vormundenn, sambtlich und sunderlich, Unser Hulff in allenn Sachenn, sie betreffende die Religion oder zeitliche Sachenn, wie die wehrenn, laut der obgemeltenn Ainung, gegenn allermenniglich, wer der oder die weh-

„renn,

„renn, niemands ausgeschlossen, treulich unnd freundlich laistenn, „ane Geuerde. Diesse Verschreibung geredenn Wir obgemelte, „Kunig, Cur-und Fursten, und Grauenn, bey Unser Königlichenn, „auch Cur-und Furstlichenn Wirdenn, auch Greuennlichen Ehrenn, „und gutem Glaubenn und wahrenn Wortenn, sted vhest zu hal„tenn, zuuolziehen und zuuolstreckenn, ane alle Geuerde. Des zu „Urkund habenn Wir König CHRISTIAN Unser Sigil, fur Uns, Un„ser Nachkommenn unnd Erbenn, und dan Wir JOHANS FRIDERICH „Hertzog zu Sachsenn, Curfurst &c. vor unns und Hertzog JOHANS „ERNSTEN zu Sachsenn &c. unsernn liebenn Bruder, Wir Hertzog „ERNST zu Braunschweig und Lunenburgk, vor unns, und Hertzog „FRANTZENN, Unsern liebenn Bruder, Wir PHILIPS Landgraue zu „Hessenn, Unser Sigel, vor unns und unser Erbenn, und dan Wir „ALBRECHT Graue und Herr zu Mansfeld unser Sigel, vor Uns auch „gedachte Fursten zu Anhalt und Graff GEBHARTENN unsernn Bru„dernn, unser Ir jdes Erbenn, welcher Graff ALBRECHTS Sigelung „Wir die Furstenn zu Anhalt und Graff GEBHARD uns also hiemit „thun gebrauchen an diessen Brieff, deren zwene aines gleichenn In„haltt und Lauts verfertiget sein und jder partej ainer zugestelt ist „wordenn, wissentlich thun henckenn. Gescheenn und gebenn zu „Braunschweigk, am Dinstag nach dem Suntagk Judica, unnd Chri„sti unsers liebenn Herrenn und Seligmachers Geburt Tausennt funff„hundertt und in den acht und dreissigstenn Jharen.

CHRISTIAN.	Jo.FRIDRICH Churfurst m. pp. sst.		ERNST H.B.L.m.ppr.	PHILIP L.Z. Hessen sst.
(L.S.)	(L.S.)	(L.S.)	(L.S.)	(L.S.)

Agnoverunt equidem repulsæ iniquitatem Saxo & Landgravius, in litteris suis, quibus, quod responsum esset a ceteris, Regi referebant; postquam aliquot ante mensibus promiserant, non solum suam portionem, sed &, quod à reliquis deberetur subsidii, ut in tempore haud desideraret, omni se opera effecturos. An vero, cum alii recusarent, ipsi aliquid, quantumque expedierint, nondum explorare licuit. Negant certe nostri, tam Hvitfeldius, quam Cragius, quicquam eos repræsentasse. Aliquantulum tamen Regi impetratum, credidit Seckendorfius, in comitiorum Spirensium enarratione anno MDXLIV. ubi: *Rex Daniæ*, inquit, *etsi non satis contentus erat de auxiliis, sibi a fœderatis Smalcaldicis præstitis, dicebat enim, nimis tenuia fuisse*, (Man habe Ihn mit der kurtzen Elle gemessen,) *magnam tamen erga Electorem & Landgravium benevolentiam & fidem testatus est.* Cum tamen, quod pace Seckendorfii dixerim, proverbium germanicum æque de nullo, ac de tenui auxilio usurpetur, quando de societate vulgo leonina dicta loquimur, atque ita illud Regi intellectum plane mihi persvasum. Concludam, male & perperam hucusque nonnullis creditum, pessime vero Batavum professorem asseverasse, à CHRISTIANO societatis Smalcaldicæ leges violatas; Cum & alias eis satis-

fecerit, (siquidem etiam anno MDXLII. ad bellum Guelferbytanum, omne quod ab ipso deberetur, subsidium misit, testantibus, quæ adhuc extant, Principum litteris atque apochis;) & quamvis a fœderatis illis, tunc cum ipse periclitaretur, contra fidem datam destitutus, quamvis & aliæ adessent legitimæ negandi causæ, tamen neque officio suo defuerit, neque minus aliquid quam quod ex fœdere persolvendum erat, præstare aggressus fuerit; hoc vero si inutiliter præstitum, nequaquam in eum culpa impingenda sit.

Detractori vero famæ Regiæ hæc non satis. Est illi ad manum adhuc geminum argumentum, quo CHRISTIANUM malè cultæ cum fœderatis societatis reum peragat. Utrumque ducit ex amicitia ejus cum Cæsare. Prius, quod *pag.* 147. legitur, sic habet: *Quin adeo ille contra fidem & officium in his egit, ut postea in pactione cum Saxone & Hesso Cæsar inter eos, in quos illi nihil meditarentur vindictæ, hunc quoque nominatim expresserit.* Quod nunc brevissime expendendum. Verum quidem est, in utraque pactione CHRISTIANI nomen hoc modo expressum. Concedimus etiam, illud ad invidiam quandam trahi facile potuisse isto tempore, atque adhuc posse. Addimus, ex ipsa illa mentione fidem permultis factam, aliis confirmatam fuisse, CHRISTIANUM, neglecto omnino fœdere cum Smalcaldicis, partibus Cæsarianis favisse. Verum, quia Cæsar cantum voluit, ne quid contra CHRISTIANUM ob non latum auxilium moveretur, ideo hunc contra fidem & officium egisse; ideo non omne illud, quod fœderis leges nominabant, in pecunia, & clam Cæsare suppeditasse; non video rationem connexi, quæ nos cogat concedere. Ignoravit utique Cæsar auxilia, quæ exhibita fuerant a Rege, siquidem quæ in argento, & ad avertendam Pontificis Romani vim, præstabantur, non difficulter celari poterant. Præterea perquam verisimile est, Carolum, sub initium belli ultro Regi pollicitum, ac, ut puto, fide data stipulatum esse, futurum, ut nihil prorsus damni ad hunc ex isto bello rediret; modo ipse tranquillitatem sequeretur, utque in futura pactione abunde consuleretur securitati ejus. Et quis noverit, annon totum sit arti potius & calliditati illi tribuendum, quæ consilia Caroli temperabat & quæ in multis ejus actionibus eluxit? Potuit nempe Granuellanus, mirus technarum artifex, hanc astutiam instituere, ut non solum illi Principum protestantium, qui in partibus Imperatoris fuerant, nominarentur, sed & mentio adderetur Regis Daniæ; maxime cum præviderer, tantum hinc ipsi invidiæ conflari posse, ut omnis ita cogitatio de renovanda cum illo societate contra Cæsarem evanesceret (xxx). Alterum ad argumentum quod attinet, demum *pag.* 125. prolatum, debuit illud plane commentator Chytræo suo, cujus tamen verba

(xxx) Huc referamus, quod scripsit Jo. Fraxineus (du Fresse) ad Regem suum Franciscum I. anno 1547. sibi a Cæsareanis monstratas esse litteras, quas ad Cæsarem scripserat Rex Daniæ, professus ac pollicitus, se inhæsurum pactioni Spirensi, neque se Protestantibus in bello isto adjuncturum: quibus

verba haud parum invidiosa phrasi exasperavit. Ita enim calumniatur: *Ea arte* (Rex Daniæ,) *Cæsaris gratiam tunc quæsierat, & ideo profligatis jam Smalcaldicis, ab illo Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ feudum, desertæ societatis præmium, amplissimis verbis obtinuerat.* Fatemur equidem, si ars dicenda, jusjurandum non negligere, pacta ex conventu observare, conciliandæ potius quam disjungendæ concordiæ dare operam, atque in nulla re ab officii religione declinare, plurimum meruisse CHRISTIANUM, ut ob hanc artem a Carolo amaretur; neque ut ab eo solum, sed a Protestantibus, si agnoscere voluissent, magnam consequeretur gratiam. Carolus, qui Regem nostrum, antequam inter ipsos pax coiret, talem per integra duo lustra & amplius expertus fuerat, qui nequaquam ipsius iras expauescens, non minis perculsus, non incredibili illa potentia territus, auderet non solum propulsare injurias, neque semel ad inducias concedendas cogere, sed &, publica denunciatione facta, sine ullis sociorum opibus & auxiliis, arma & calamitatem provinciis ejus hereditariis inferre; postea vero parem ejusdem invicti Regis justitiam animique excelsitatem in servandis pactis perspexerat, ita ut nullius tantopere constantiam prædicaret; an mirandum est, si honorem tantis virtutibus habuerit, si fortitudinem, fidem, prudentiam, etiam in hoste æstimandas dotes, aliquo benevolentiæ testimonio dignas crederet? Ast feudum ei non contulit, nisi profligatis demum Smalcaldicis. Contulisset sane maturius, etiam quando nullum ipsi extitisset bellum cum Smalcaldicis, nisi CHRISTIANUS adjunctas conditiones gravatus, non antea assensisset, quam cum nulla de melioribus obtinendis spes esset. Scilicet credidit obtrectator, utpote in historiis nostris hospes, aliquid magni & eximii lucratum fuisse CHRISTIANUM, accipiendo a Cæsare in feudum regiones, quas & ipse & parens ejus glor. mem. jam per longum tempus absque eo onere possederant, & quarum paci & securitati & tranquillo penes Regem & fratres dominio erat amplissimis verbis cautum in *Tractatu Spirensi.* Deinde notissimum, nihil magis desiderasse Regem, quam ut jus illud suo statu maneret, hoc est, ad Episcopum porro pertineret Lubecensem, antiquo more, multoque suo & successorum suorum compendio. Itaque tantum, quantum per crebras exhortationes Cæsaris & per importunam procuratoris fisci flagitationem licuit, rem extraxit. Denique totum, quod compendifecit Rex, atque in beneficii loco ponendum habuit, hoc fuit, jampridem sibi oblatum, conditione qualicunque, postquam optata non daretur, ac sine novarum inimicitiarum periculo, adeptum esse. Evolvantur modo, quæ noster Cragius habet, ad negotium pertinen-

bus hæc dictus legatus subjungit: *En quoy, comme il se pouvoit voir, l'Empereur monstrant ainsi à un ce que l'autre écrit, tasche de les animer de plus en plus, & empescher, qu'ils ne viennent à s'accorder: aussi se connoist-il clairement, que le Roy de Danemarc ne veut en rien entrer en soupçon quelqu il soit avec l'Empereur,* Ribier T. I. *pag.* 604.

tinentia, ad annos MDXLI. (yyy) MDXLV. (zzz) MDXLVII. (a) & MDXLVIII. (b).

Verum tempus eſt, ut ex hac longa digreſſione in viam revertamur, miſſoque maledico commentatore, qui tantum verborum & moleſtæ ſcriptionis nobis extorſit, ad finiendum, quæ de Cragio habemus dicenda, properemus. Et oſtenſum putamus ſatis, quanto is Hvitfeldio locupletior & copioſior, quantoque meliore jure, quam ille, boni hiſtorici nomen mereatur, quando de rebus Chriſtiani III. agitur. Neque res jam indiget, ut pluribus ex ſequentibus annis exemplis declaretur, cum per ſe omnibus, qui eandem quam nos ſumere velint operam, pateſcat. Attamen idcirco annales Hvitfeldianos negligere aut abjicere, omnemque iis laudem demere, nimium quam iniquum foret. Habent ii ſuas dotes, in rudi illo nonnunquam & plebejo ſcribendi genere poſitas: habent inſerta, pro more ipſius, integra haud parvo numero diplomata, tabulas, libellos, vel pleniora ex iis excerpta: habent nonnulla alia quæ attentionem lectoris expoſcunt, non ubivis a Cragio æque dilucide & perſpicue explanata. Inprimis vero ſi ad Suecica velis reſpicere, plerumque ea invenies diligentius excuſſa & expoſita ab Hvitfeldio, quam hoc noſtro; etiamſi non id ſemper factum affirmaverim. Et memini, in ſuperioribus me dixiſſe, priores in Hvitfeldio annos, usque ad deditionem Hafniæ, reliquis multo pleniores eſſe; quod inde factum, quia commentarii tunc extabant de bello ac ceteris, quæ per tumultuoſum illud a FREDERICI I. morte triennium contigerunt, a non uno conſcripti: qui & Hvitfeldio & Cragio inſervierunt, (unde inſignis ille ſcilicet in dictis annis ſimilitudo, & rara inter utrumque diſſenſio,) quique nuper ante ultimum incendium in bibliotheca Academica ſervabantur. In ſequentibus vero uter excellat, uter ſit non modo plenior, ſed accuratior, fidelior, ac ad docendum & inſtruendum aptior, facile dignoſcitur. Etſi haud negem, præteritum nonnihil Cragio, ſemel atque iterum; quod, modo Hvitfeldium non ſepoſuiſſet, (cui fortaſſe nimis parum tribuebat,) aliquo etiam loco duxiſſet, ut quidem arbitror, habendum eſſe. Ex quo genere illud de conventu Campenſi, anno MDXLI. habito, quo, Hamburgenſium rogatu, legati Danici & Burgundici congregati de compoſitione egerunt, irrito eventu. Quemadmodum & anno MDXLVIII, quando ea, quæ ad feudum Holſaticum pertinebant, transacta ſunt, nulla apud Cragium mentio fit Adolphi Ducis, cujus tamen, in aula Cæſarea tunc verſantis, nonnullas in iſto negotio partes fuiſſe, ex Hvitfeldio docemur. Ut taceam, quod, quæ eidem Principi, ad finiendam tandem controverſiam, de dote filiarum CHRISTIERNI, cum legatis Palatinis

(yyy) *Pag.* 224. & 227.
(zzz) *Pag.* 273. *ſeq.*
(a) *Pag.* 299. *ſeq.*
(b) *Pag.* 304. & 305.

nis & Lotharingicis fuerunt suscepta ac tentata, abs Hvitfeldio satis fuse exponantur. Hæc autem, & si quæ fortassis fuerint alia, eis, qui Hvitfeldii lingvam non intelligunt, ex Pontani labore, quo laudatissimi Regis res gestas, Hvitfeldium in omnibus secutus, breviter enarravit, arcessenda sunt; postquam hanc particulam ineditorum docti viri commentariorum Cl. Jo. Hubnerus luce donavit, etsi non paucis mendis fœdatam. At a Meursio frustra es, si plura, aut alia expectaveris, quam quæ transcribenti Cragium occurrerunt, præsertim postquam eum destituit Lyschandri labor; de quo in antecedentibus egimus. Contra observatum, Meursio nonnulla omitti, sive studio, & quia non admodum digna memoratu crediderit, (ut fatemur haud maximi quædam momenti esse,) sive in alium locum reservata, sed postea scriptoris memoria dilapsa. Ita ad annum MDXL. totam illam de Islandicis rebus narrationem, quæ in nostro *pag.* 118. *seq.* legitur, excludit. Ita in historia anni MDXXXIV. quando rebellionem Cimbricam describit, a naucleris & piratis, ductore Clemente, excitatam, pleraque *pag.* 63. nostro tradita, circumcidit ac amputat; nempe istud a Baggone Grisio in Clementem tentatum facinus, & quæ ibidem sequuntur. In anno MDXLIII. cuncta, quæ a media *pag.* 259. usque ad conventum Chiloniensem, de controversia Rugiana habetur, transilivit. Et quemadmodum istic primum fit mentio de Waldenfeldii scelere, sic &, quoties in annis sequentibus aliquid occurrit in eadem causa actum, ut *pag.* 271. & 274. intactum relinquit omne. Ad eandem classem referas, quæ *pag.* 271. & *seq.* de Rönnovio, quondam Episcopo, & Magno Goyæo; atque *pag.* 304. de morte Dorotheæ, Alberti Borussi conjugis, & Joannis Seningii, noster retulit: Ac denique, (ne nimis simus curiosi,) duo loca, ubi Cragius forte visus nimium religioni indulsisse, atque ad illam retulisse rerum eventuumque causas: quæ quidem multorum sententia possent alio pertinere. Talia sunt *pag* 205. ubi in causas inquirit parum prosperi successus fodinarum Norvegicarum: tum ubi *pag.* 220. fatorum Magni, alterius filiorum Regis, mutabilitatem ex cœli inclementia, quæ natalem ipsius annum terra marique contristavit, arcessendam putat. Verum ultima hæc, & si quæ id genus plura offendantur, facile illi, quo scripsit, ævo condonanda; quippe quo non solum philosophi & theologi, sed & maximi historicorum ad paria delapsi haud raro deprehenduntur, nulla inde famæ diminutione apud gnaros & peritos lectores multati. Unum ultimo succurrit, quod videri potest uterque historicus, & Hvitfeldius & Cragius, levi brachio egisse; hocque est, quando de partitione terrarum, oppidorum & arcium Slesvici & Holsatiæ, inter Christianum & fratres ipsius, Johannem & Adolphum, anno MDXLIV. facta loquuntur; re scilicet haud dubie tanti momenti, ut plura videatur verba majoremque operam exposcere, quam quæ a Cragio, eandem tantum non obiter attingente (c), est impensa. Tametsi fatendum, hodie non deesse, unde plenior notitia hauriatur, aperta jam-

(S) pridem

(c) *Pag.* 267.

pridem in monumentis variis; primo quidem in ipso diplomate, seu tabulis partitionis, apud Lunigium (d) & alibi, deinde in *Descriptione Slesvici & Holsatiæ* per Danckwerthum (e), nec non in Adami Henr. Lackmanni Introduct. ad *histor. Slesv. & Holf.* P. I. (f) cujus viri laudabili diligentiæ est quod debere agnoscamus tum CHRISTIANI III. tum aliorum ex Domo Oldenburgica Regum Danicorum memoriam. Ceterum memorabile inprimis, quod de dicta divisione, etiam cum primum susciperetur, legimus prudentioribus judicatum. De quo Chytræi verba audiamus (g): *Holsatiæ Duces, Christianus III. Daniæ Rex, Joannes & Adolphus fratres, ducatum Slesvicensem, & Holsatiæ oppida & præfecturas inter se partiti sunt. Quod multis de causis prudentibus quibusdam displicuit, qui auctoritatem & potentiam Principum hac ratione imminui, & facile inter multos Principes oriri simultates ipsis & patriæ exitiosas posse videbant.* Non dubito vero, quin hic locus ex iis sit, quæ historicus accepta ferebat Henrico Rantzovio, inclyto quondam Regum Daniæ in Ducatibus Vicario. Certe parenti Henrici, Joanni Rantzovio, Heroi bello & toga summo paucisque sua ætate comparando, sententia adscribenda, cujus in allatis verbis fit mentio. In qua ut eximiam viri prudentiam, nec minorem erga Regem suum fidem merito commendamus, ita magis profecto convenit admirari singularem pietatem & perrari exempli moderationem ipsius Regis; quippe qui tam alienum se præbuit ab hoc consilio, quamvis cum incredibili suo successorumque commodo conjuncto, ut etiam ejus auctorem, quo vix ullum suorum habuit fideliorem, propemodum ad desperationem redegerit. Etenim tam alte dolor ille in animum viri penetravit, tamque graviter ex eo affectus est, quod prævideret, ex neglecta tunc temporis occasione utrumque ducatum integrum & indivisum perpetuo Daniæ adjungendi, certam viam multis dissidiis multisque calamitatibus aperiri, ut sese deinde omni magistratu & præfecturis, quibus erat insignitus, volens abdicaret, & ad otium referre constitueret. Hujusque rei memoriam filius ejus dignam existimavit, quam ad posteros transmitteret, in elogiis illis, quibus parentis effigiem, aut potius vitam ejus & res gestas, curavit in haud uno opere illustrari (h).

Quod

(d) *Reichs-Archiv Part. Spec. Contin. II.* inter Holsatica *pag.* 36.

(e) *Cap. II. pag.* 5.

(f) *Pag.* 419-424.

(g) *Saxoniæ lib. XVI. pag.* 467.

(h) In altero elogio Joannis Rantzovii, inter *Epistolas consolatorias ad Henr. Rantzov. edit. tert. Francof.* 1595. *in* 8*vo. pag.* 18. res ista his verbis narratur: *Ita pace facta domum reversus, Principes tuos occupatos esse in dividendis Principatibus avitis atque paternis cernens: quod tibi maxime ex gravissimis causis displicebat, (diminui enim hac ratione potentiam conjunctam videbas: ac facile oriri posse inter Principes simultates timebas, quæ ipsis & patriæ extremam allaturæ essent perniciem,) te omni magistratu & præfecturis, quibus eras insignitus, volens*

Quod tandem unicum nobis restat, in Cragiano opere notandem, neque minus ex eo est genere, quod ad seculi illius consvetudinem referas. Jam tum enim plerisque, qui castigatius volebant scribere, mos inoleverat, nomina propria hominum & locorum ad genium Romani oris effingere, haud dubie ne illa ob barbaram interdum formam atque sonum, lectioni veterum Latinorum innutritis sorderent. Atque hoc est, quod omnes norunt in Thuani historia magnam lectorum partem offendisse. Quoniam vero istud in scriptore nostro incommodum non adeo profecto late regnat, eoque minoris habendum, quod non ultra vernacula, hoc est, Danica nomina se extendat, (nam prudenter peregrina solet cuncta usitatis appellationibus designare,) haud existimavimus operæ pretium esse, eorum vernaculam interpretationem, exemplo nuperi editoris operum Thuani, paginarum oris subjicere. Accepimus tamen postea, nempe exscripto jam typis opere, aliis displicuisse, quod non fecerimus. Itaque eorum desiderio ut obsequamur, in peculiarem indicem omnia ista congessimus, in quibus hæsitare etiam cives nostri, aliique nostrarum rerum non adeo imperiti, possint. Atque hic non dissimulandum, rectius fecisse Meursium, quod plerumque in hac parte a Cragio prudens recesserit. Nam apud illum non *Sliæviga*, *Collina*, *Svenopolis*, *ostium* Dravi, *Liberi mons*, & similia, quæ Cragio adamata, sed eorum loco communia magis, *Slesvicum*, *Coldinga*, *Svenoburgum*, *Travemunda*, *Lybersboya*, ubique fere posita cernuntur. Neque enim usquam memini, vel in hac, vel ceteris a Meursio elaboratis historiæ nostræ partibus, alio, quam Cimbriæ nomine vocatam nobilissimam Daniæ provinciam, quam Cragius maluit constanter Jutiam appellare. Atque hæc de prima & præcipua voluminis nostri parte dicta sufficiant. De reliquis nunc videbimus.

STEPHANII *duos* H*istoriæ* D*anicæ libros*, *qui res memoratu dignas complectuntur in* D*ania gestas*, *regnante CHRISTIANO TERTIO*, *ab anno Christi MDL. ad annum MDLIX.* (quemadmodum opusculum inscribitur,) quod Cragio addiderimus, quivis, etiam nobis tacentibus, propterea factum intelligit, quod relictam a Cragio novem annorum enarrationem persequuntur ac supplent. Quanquam enim continuando labori Meursiano, non vero Cragiano, unice ab auctore sunt destinati, tamen ita sunt comparati, ut eodem jure, eisdem prorsus rationibus, utrivis adjungi possint, imo debeant; cum, si ad rerum gestarum seriem attendatur, neque alio loco, ac ne quidem

lens abdicasti: & cum tuis in posterum honorifice & quiete vivere decrevisti, retentis solummodo illarum functionum fructibus, quæ erant usque ad mortem tibi literis scriptis confirmatæ, & ex merito datæ. Ille recessus pristinam Christiani erga te benevolentiam plane evertit: ac tali suspicione animum ejus pupugit, quasi aliis ex causis te ab ejus negotiis subduceres, adjuvantibus clandestinis plurimum inimicis, & intendentibus præsertim eo, ut fictis & futilibus rationibus viam invenirent, qua alioqui præclarum Regem, erga te ingratum efficerent. &c.

dem mutatis verbis, Meursius suam abruperit historiam, quam quibus Cragii illa est finita. Adeo ut posset dubitari, utrum illorum supplere fuerit propositum Stephanio, nisi, præter generi ejus Joannis Jani Suaningii testimonium, ipse id confirmasset auctor, in litteris ad Ger. Jo. Vossium, anno MDCXLVI. d. XXIV. Aprilis scriptis, in quibus hæc inveniuntur: *Totus nunc in eo sum, ut historiam Christiani III. Danorum inclyti Regis, post beatum Meursium, ad finem perducam;* ac in aliis litteris, paullo anterioribus ad Ol. Wormium, eodem anno mense Februario datis; *Ceterum*, inquit, *ut satisfacias quærentibus de meis lucubrationibus, totus nunc in eo sum, ut ultimum illud imperii novennium, quod in terris exegit sanctissimæ memoriæ Princeps Christianus III. Rex Daniæ, expediam & absolvam. Et si DEus mihi vitam ac valetudinem suppeditaverit, præcipiti autumno lucem videbit supplementum illud Historiæ Meursianæ.* Unde pariter discimus, quo tempore scriptionem exorsus est. Verum ad eandem absolvendam, multo sane, ut fit, plus temporis sibi sumendum esse experiebatur, quam initio cogitarat. Nam triennio post ad eundem Wormium scribebat, (anno MDCXLIX. d. 19. Februar.) suam *Christiani III. historiam jam finem spectare, eamque paucos intra dies absolvi posse.* Ingressus autem ad hanc operam fuit jussu illustris & magnifici Viri Dn. Christiani Thomæi, Regiæ Maj. Cancellarii, de litteratis hominibus suo ævo optime meriti. Qui etiam videtur auctorem ad opus statim publicandum incitasse. Et jam prælo erat typographi Sorani commissum, cum auctor moreretur. Is enim d. 22. Aprilis anno MDCL. vitam finivit, & proximo mense exscriptum typis librum ac paratum fuisse, ut Regi offerretur, apparet ex laudati Svaningii dedicatione. At vero, qui factum sit, & quare Cancellarius, auctor & suasor scriptionis, permittere voluerit, ut seorsim emitteretur in lucem, antequam Meursianus labor, cujus vere supplementum erat, conspiceretur, omnino non intelligo. Atque si, quemadmodum facile conjicio, Stephanio ejusque patronis eapropter fuerit conceptum hoc consilii, ut per scripti editionem diligentia viri ostensa & declarata, a Rege expeditius ei annua, (quæ constituta erant satis lauta, sed forte per difficultatem temporum minus accurate præbita,) impetrarentur, saltem debuissent ii, quorum res erat, curare ac providere, ne CHRISTIANI III. merita & res gestas posteritas, nisi quæ ad ultimos annos pertinerent, ignoraret. Etenim sive Meursium, sive Cragium nobis dedissent, nihil essent, quod incuriam eorum hodie, (ne acerbiore utamur vocabulo,) accusaremus. Etiamsi dissimulare non possumus, tanto gratius jucundiusque nobis accidere, dilatam rem esse in hoc tempus, quo scriptoris utriusque famæ nostra qualicunque cura prospectum. Nam, si tunc Meursius comparuisset, vel una cum Stephanio, vel separatim, quis ullam potuisset postea cogitationem sucipere de Cragio proferendo: cujus tamen unius diligentiæ, studio & vigiliis omne istud, quod in hac historia excellens iste Batavus præstitit, acceptum ferendum? Sed ad Stephanium redimus. Fuit is, quod inter omnes constat, vir doctissimus eruditissimusque. Et loquuntur hoc satis eximiæ illæ notæ ad Saxonem Grammaticum, ut cetera ejus scripta taceamus. Neque ab

eo

eo visum quicquam prodiisse, quod non eruditionem & industriam saperet, cumque insigni esset conjunctum utilitate. Habuerat parentem, virum optimum ac perdoctum, Joannem Stephanium, in Academia Hafniensi Logices professorem, ac præsidem demum scholæ Soranæ factum, post obitum Jonæ Jac. Venusini, qui in isto munere alter fuerat a nostro Cragio. At Joannes, omnibus fere decessoribus suis vivacior, superfuit ad tempus, quo Soram novo decore illustratam adspiceret, simul autem munus sibi abrogatum: ut cujus reditus novæ ibidem fundatæ Academiæ Præfecto accessere, recipiente eorundem loco Joanne ampla quædam Roskildiæ & Ripis sacerdotia, seu Canonicatus, ut vocantur (i). Filius autem, de quo nunc sermo est, *Stephanus Joannis Stephanius*, fuit adhuc, dum illa contigerunt, admodum juvenis ludumque Slangendorpianum in Sællandia regebat. Aliquanto vero post, & anno quidem MDCXXVI. vergente, in Belgium proficiscitur, eruditionis amplificandæ causa: atque ibi in magnorum virorum, Heinsii, Vossii, Cunæi, Pontani, Scriverii, aliorumque amicitiam & familiaritatem recipitur, sicut ex mutuis ipsius Vossiique, nec non Pontani epistolis, inter eas, quas Colomesius & Ant. Matthæus vulgavere, perspicitur. Prælusit ibi famæ suæ majorique operi, editis intra annum brevibus emendationibus & notis in Saxonem, quæ Lugduni Bat. impressæ, Heinsiique & Vossii nominibus fuerunt dicatæ. Atque per hoc ipsum opusculum Cancellario Frisio insinuatus, filio ejus postea inscripsit syllogen *Tractatuum de regno Daniæ & Norvegiæ, insulisque adjacentibus, juxta ac de Holsatia, Ducatu Slesvicensi & finitimis provinciis*, quam Elzevirii ceteris, sic dictis, *Rebuspublicis*, minuta forma a se editis, adjecerunt. Factum hoc anno MDCXXIX. Circa cujus finem, ejusdem Cancellarii jussu, literis autem Olai Wormii, domum arcessitur ad ambiendum eloquentiæ docendæ munus in Academia Sorana: quod & sequenti vere adiit. In isto otio Saxoni emaculando & amplis commentariis instruendo integrum decennium incubuit, hocque absoluto, Svenonem in lucem protraxit, Saxonis olim contubernalem, istoque priorem quidem scriptione, sed magnitudine operis & præstantia multo inferiorem, itidem cum notis & opusculorum veterum mantissa: donec tandem Saxo anno MDCXLV. prælo liberaretur. Jam verò antea, (& quidem brevi post evocatum fato ex hac vita Joannem Meursium,) spartam historiographi obtinuerat. Quam optandum oppido fuisset ut egregio licuisset viro ad lon-

(i) De eo viro sic loquitur Jo. Svaningius in *Prolegom. ad Chronol. Dan. p.* 30. *Jo. Stephanius, vir cum cura dicendus, monasterii Sorani Præses, Canonicus Ripensis & ad historiam Daniæ condendam a Rege Sora evocatus: quam spartam felicissime ornasset, si diutius superstes vixisset.* Igitur huic inter Lyschandrum & Meursium in historiographis a Rege designatis locus dandus. Mirum autem, Sora evocatum esse ejus muneris exercendi causa, cujus gratia alii eo amandarentur. Sed verior causa, quam tradidit Vindingius *pag.* 195. nosque jam retulimus. De cetero spartam ejusmodi felicissime ornare tunc quidem incipere, cum ætas septuagesimo anno appropinquat, aliquid habet singulare.

gius tempus ornare. Nam præmatura morte, ætatis anno LI. extinctus, doctrinæ & diligentiæ suæ triste desiderium reliquit; siquidem ab ipso tot alia expectabantur: *Historia Frederici II. Regis; Veterum opusculorum ad res patriæ illustrandas* sylloge; *Quintiliani Institutiones oratoriæ, cum totidem, hoc est XII. ad eas commentariorum libris*, ac forsan alia. Horum enim, quæ nominavi, ipse mentionem ac spem fecit in laudatis suis ad amicos epistolis. Postea, quodcunque in supellectili sua sive impressorum sive manuscriptorum librorum possederat, una cum ipsius viri lucubrationibus, transivit ad possessores exteros, jamque, ut credo, Holmiæ Svecorum asservatur; nullo scilicet in patria invento, cui ab heredibus thesaurum redimendi esset cura. Hæcque habuimus de præstantissimo viro nunc dicenda; quibus, quæ Albertus Bartholinus *de scriptis Danorum*, Mollerus in *hypomnematis* ad eum, & Albertus Thura in *Idea Histor. literar. Daniæ*, observarunt, possunt adjici.

In comparandis cum Cragio dotibus ac virtutibus Stephanii, quantum ex scriptione hac spectentur, non multi profecto erimus. Neque enim, quando prudentium hominum judicio expendentur, multos fore opinamur, qui de primis Cragio deferendis tantillum censeant ambigendum. Stephanio nemo dixerit ingenium defuisse; sed historicum ingenium tantum tamque corroboratum adfuisse, quantum in altero illo eluxit, vix credimus existimari posse. Cetera, quæ ad fidem & candorem, & sincerum de rebus, quæ referuntur, judicium, præcipua ejusmodi scriptionis ornamenta, pertinent, habet uterque omnino, quibus ad parem cum optimis historicorum laudem aspirare possint. Et quid demum est, quod in Stephanii stylo desideres? quippe qui tam cultus illi fuit & castigatus, ut meliorem vix optaveris; quamvis non æque, atque Cragius, oratione sua assurgat. At vero quantamcunque hæc singula commendationem componant & concilient, tamen ea mihi jamdudum sedet opinio, haud facile ex animo evellenda, Cragium, si vixisset, atque novem illos annos executus, totum denuo ab initio annalium opus lima sua percurrisset, perfectius aliquid & exquisitius Stephaniano opere & majori industria elaboratum fuisse daturum, non quidem in domesticis, sed in iis, quæ appellantur publica, & cum extraneis agitata sunt, enarrandis. Contra in nonnullis videri potest Stephanius orationem diffudisse, ubi etiam non tanta diligentia requirebatur; quemadmodum, ut alia loca taceamus, cum de Waldenfelsio agit, *pag.* 336. *& seqq.* Tametsi in ista causa facile veniam impetrabit, si animadvertatur, supplementum hoc, non Cragio, qui operosus satis fuerat in isto homine describendo, sed Meursio, quem ejus nunquam meminisse supra diximus, destinatum. Verum inter ea, ob quæ incuriæ notam vix poterit effugere, ponimus primo, quæ ad annum MDLIII. taceri profecto non debuerat, memorabilem operam, quam CHRISTIANUS, Augusti Saxonis, generi sui, rebus contulit, in reconciliando ipsi Alberto Marchione Brandenburgico. Poterat ex Sleidano hæc

acci-

accipere, si forte nihil alibi occurreret. Jam vero pactionis tabulæ, quas integras protulit Hortlederus, amplissimam rei fidem faciunt. Deinde, in sequenti anno MDLIV. pari indiligentia, minusque adhuc excusanda, omisit quæ inter Johannem Fridericum Electorem, & Augustum fuere transacta; cum tamen, quantum in eis fuerit laboratum Regi nostro, unico præsertim compositionis arbitro, non solum Sleidanus, Thuanus, atque alii commemorarunt, sed & ipsa acta, & *conventio*, ut vocatur, *Naumburgensis*, passim invenienda (k), pluraque istud loquuntur. Insuper & hoc mirum, quod, cum indefessam & perpetuam quandam Rex piissimus pro Johanne Friderico, cum ante, tum post liberationem ejus, curam & laborem impenderit, neque unquam ab officiis istis cessarit, tamen historicus noster crediderit, satis suo munere se defunctum esse, si, quam anno MDLI. (l) intexuit, angustam satis rei expositionem daret: Cum tamen pluribus litterarum & legatorum missionibus, & hoc, & eo, qui sequebatur anno, negotium sit peractum: &, postquam laudatus Princeps libertati esset restitutus, id effecerit porro CHRISTIANUS, ut huic eidem omnium, quibuscum antea diffidebat, Electorum ceterorumque Principum amicitiam procuraret. De ista re enim, ut alia deessent, disertum extat testimonium in monumentis *custodiæ & liberationis*, apud Hortlederum (m). Ad summam, sunt ista, & fortasse plura, quibus excutiendis nunc inhærere non vacat, talia judicanda, ut censorem reformident paullo severiorem, admodum vero indulgentem desiderent. Levius hoc profecto, & nescio an dignum nostra animadversione, quod inter exules, qui in Daniam ex Anglia venerunt anno MDLIII. (n) nominet Carolum Utenhovium, pro Joanne, ejusdem cognominis viro, ac, ni fallor, stirpis etiam, cum uterque Gandavus fuerit. Qui lapsus, (pariter Hvitfeldio, nec non pluribus, quos vidimus, imputandus,) eo facilior, quo doctis viris Carolus e scriptis notior; de Joanne vero parum admodum sciatur, præterquam ecclesiæ Belgicæ, quæ in Anglia, Eduardo Rege, hospitabatur, fuisse presbyterum & seniorem, exiliique deinceps comitem: cujus & decantatam illam historiam, edidit (o). Sed neque acta illa itineris Dani-

(k) Hortleder. *Tom. II. lib. 3. cap.* 88. a *pag.* 968. *ad* 975. Glafey *Kern der Geschichte des Chur-und Fürstl. Hauses Sachsen, pag.* 1034. *num.* 5. Müller *Sächsische Annales pag.* 122. *&c.*

(l) *Pag.* 350.

(m) *Tom. II. l.* 3. *pag.* 966. *partis quartæ initio*, his verbis concepto: „Nach „S. F. G. Heimkunfft haben sie sich der Regierung ihrer übrigen Fursten„thumb und Land ernstlichen und mit allen Fleisz angenommen. Auch „mit allen ihren Widersachern, von Chur-und Fürsten, mit welchen sie „in vor Jahren in Misz-Verstandt gerahten, auff Unterhandlung König „Christians zu Dennemarck, und anderer furnehmen Fürsten und Po„tentaten gar freundlich vereiniget. &c.

(n) *Pag.* 362.

(o) Ediderat præterea anno MDLIII. *Confessionem Emdensem.*

Danici Joannes a Lasco, cum Emdæ considebat, publici juris fecit, qui alter error est Stephanii; sed post quadriennium, in patriam suam Poloniam reversus, negotium ea conscribendi dedit Joanni Utenhovio: a quo itidem in Polonia concinnata, demum Basileæ, typis Oporini excusa sunt anno MDLX. mense Martio, cum interim binis ante mensibus, die scil. VIII. Januarii, Joannes a Lasco e vita emigrarat. Verum id, quod Lascio Emdæ scriptum est, fuit duntaxat epistola, quam ad Regem nostrum referendam, famulo regio, qui in itinere eum ceterosque Emdam usque comitatus fuerat, tradidit: istamque *Admonitionem ad Regem Daniæ* inscriptam, subjecit, cum alia quadam appendice, Utenhovius dictæ suæ narrationi. Atque hæc quidem ad Stephanium. Ceterum, quod attinet ad rem ipsam, non habeo inpræsens, quod auctoris verbis addam, ut videlicet optimum Regem de eo, quod profugis hospitium denegarit, excusem; postquam isti criminationi tam multa reposuerunt alii (p). Inter quos unum sufficiat Pontanum nostrum nominare, cujus vel ideo, quia Reformatorum, ut vocantur, sacris erat addictus, testimonium ex historia ejus, tunc inedita, hodie luci publicæ exposita, ceteris ejusdem sectæ opposuit Hector Gottfridus Masius, celebris nostro ævo in Acad. Hafn. Theologus, in *epistola ad Bart. Botsaccum* (q). Agnovit scilicet Pontanus, haud parum rem exaggeratam esse ab Utenhovio. Quid si revivisceret ille, ac videret, quam feliciter elegans ille commentator, de cujus obtrectationibus & calumniis affatim supra agebamus, hanc omnem exaggerationem admodum paucis versibus concluserit & absolverit (r). Nempe hoc demum appellare possumus ἐν ἐπιτομῇ multa lectorem docere, ac tot crimina uno velut fasce complecti. Sed hoc etiam appellamus parum sincere agere, quando ea dissimulantur, quæ acerbissimis etiam suis querelis Lascius & Utenhovius in honorem & excusationem Regis passim immiscuerunt. Adeo scilicet aversatus iste homo id omne, quod vel minimum obstaret consilio suo, innocentissimum Regem omni occasione proscindendi. Itaque ut pateat, quænam illa sint, quantumque inter Joannem a Lasco, virum, quem doctum & pietatis studiosum fuisse non negavero, sed vehementis ingenii & liberrimi oris, (qualis & summis suis laudatoribus fuit cognitus (s),) quique recentes ex accepta, ut putabat, injuria gerebat iras,

(p) Nempe præter Pontanum & Masium nostros, Theologi Saxonici, libri germanici *Historie des Sacrament-Streits* auctores, (qui fuerunt Nic. Selneccerus, Timoth. Kirchnerus & Mart. Chemnitius,) fuse, à pag. 524. ad 530. ubi inter alia affirmant, historiam illam Utenhovii, postquam edita esset, multis Reformatorum, ac præsertim Lud. Lavatero non admodum placuisse.

(q) Est hæc inter *Dissertationes* Masii *num. XXVI.* vid. ibi *pag.* 1018. *&* 1020. *seqq.*

(r) *Commentar. rerum gestarum secul. XVI. Lugd. Bat. anno MDCCX. edit. pag.* 525.

(s) Vid. Ubb. Emmii *Histor. rerum Frisicar. lib. LX. pag.* 950. ubi inter alia

iras, & alterum illum, nuperum nostrique temporis scriptorem, tantoque magis omnes irascendi causas procul habentem, intersit, subjiciam hoc loco quædam, ex peracerba illa Lascii *admonitione*, qua cum Rege expostulavit; saltem ut, si qui adhuc existant, obtrectatori quem indicavimus similes, ab oculis & ab animo doleant. Ita autem in dicta *Admonitione pag.* 240. *Neque ideo, quod te ita peccasse dico, commoveri protinus, mihique succensere debebis, Rex potentissime: siquidem, quod diceris, vere te etiam esse declarare cupis, nempe Regem Christianum. Multo minus autem cogitabis, me eo ad te animo scribere, quasi per te offensus, tuæ vicissim Majestati atque existimationi Regiæ quicquam omnino detractum, aut ullo prorsus modo aspersum velim. Equidem pluris est apud me præcellentis tuæ vocationis, in Ecclesia Christi, excellentia, tua item spectata alioqui toti orbi probitas, & studium singulare erga religionem, etiamsi judicio circa illam (ut homines sumus omnes,) alicubi fallaris: quam ut unius aut alterius peccati nomine, dignitatem, existimationem atque gratiam apud omnes tuam elevari quoquo modo, ne dicam labefactari, velim. Imo vero gratias ago* Domino *DEO nostro, quod te talem Regem, (quod ad te quidem attinet,) suæ Ecclesiæ nostris hisce temporibus donaverit: & opto, ut alia quoque orbis Christiani regna, perinde amantes religionis ac publicæ tranquillitatis Reges,* Divino *beneficio habere possint. &c.* Et postea pag. 253. *Quanquam nemo est, qui probitatem, candorem, integritatemque tuam, denique & studium tuum erga religionem, non libenter agnoscat: nisi quod dolemus, te, impudentia atque hypocrisi quorundam transversum agi: donaque DEI in te per illos infamari. Alioqui probitate atque integritate tua factum videmus, ut etsi publica unius tuorum censura damnati essemus, tua tu interim erga nos beneficentia sis usus: & tuam peculiariter erga me propensionem clementer declaraveris etiam, dum & liberos meos, istic relictos, in curam tuam te recepturum esse mihi indicares, siquidem id tibi permitterem & supellectilem meam istic asservari posse permitteres, donec pro illa missurus essem. Hæc sane non levia nobis argumenta fuerunt, agnoscendæ probitatis & benignitatis tuæ: nobisque hoc etiam gratiora, quod non obscure testarentur, condemnationem nostri illam apud te factam, eo apud te loco non fuisse, ut eodem plane loco cum deploratis illis hæreticis poneres, quibus tamen adnumerabamur: quos alioqui munificentia tua sine piaculo juvare non potuisses. Quod igitur munificentia tua in nos sis usus, quodque tuam erga me peculiariter propensionem declarare volueris, id sane ex tua ipsius adnata probitate & clementia factum esse non dubitamus, tuæque Majestati Regiæ hoc nomine summa cum observantia gratiam habemus: oramusque, ut eo nos*

(U) *animo*

alia de actis inter eum & Albertum Hardenbergium anno MDLIV. Et quamvis placabilem viri animum, qui ab ira facile ac statim revocaretur, multis ibidem extollat Emmius, notari tamen velim quæ integro post id tempus biennio scripsit ad Camerarium Melanchthon, Nonis Julii anno MDLVI. de Hardenbergio & Lascio: *Adest Albertus Bremensis, qui narrat suam ecclesiam quidem DEI beneficio tranquillam esse, sed in vicinia augeri dissidia hospitum, qui ex Anglia redierunt, contentionibus, ac desiderat etiam in vetere suo amico Sarmatico moderationem.* Ille vero Sarmaticus erat Jo. à Lasco, qui nihil moderati spirans, dominari ubivis voluit, ipsisque Reformatis fatentibus, per imprudentiam & contentiosum ingenium non solum in Dania, sed & alibi rebus suorum offecit.

animo complecti etiam pergat. &c. Sic nempe scribebat Lascius, & in hanc sententiam plura, vigesimo die, postquam Coldinga a Rege discesserat. Nam reliquit eam urbem die XVIII. Novembris; & epistolam ad Regem die XI. Decembris exaravit Emdæ. Erravit autem Masius noster in anno, quem MDLV. credidit, cum vere omnia contigerunt anno MDLIII. sicut rectissime monuerat adversarius ejus D. Samuel Andreæ. Nam Hvitfeldium & Pontanum, ad annum MDLV. de his commemorantes, liquet aliis de causis id fecisse. Neque necesse, ut cum eodem Pontano existimemus, istos ex Anglia exules, qui cum Lascio, Utenhovio & Micronio simul huc fuerunt advecti, a Buceri heredibus, in epistola ad CHRISTIANUM, designari, ex eo quod dicitur, liberalitatem regiam expertos esse: cum non semel, sed omni tempore, sed perpetuo, infinita in pauperes id genus & Evangelii causa profugos similia beneficentiæ documenta Rex ederet. Habemus de hac ejus virtute tot alias epistolas, cum editas tum ineditas, Lutheri, Melanchthonis, Bugenhagii, Geo. Majoris, Jo. Sturmii, Justi Jonæ, aliorumque magno numero. Sed quid vetat, ipsos Buceri heredes etiam hic audire loquentes? Ita ii: *Quis illam pro dignitate prædicabit hospitalitatem & munificentiam, quam Regia Tua Majestas exhibuit in exules, & ob Evangelii professionem ex Germania & aliis nationibus profugos? qui ad Regiam Tuam Majestatem, tanquam ad Christianæ religionis asylum confugerunt: quos omnes tam humaniter, tam benigne, tam liberaliter R. T. M. excepit, tractavit, aluit, ut se non in exilio, sed in vera patria; non apud externum Regem, sed apud suos versari Principes & Magistratus existimaverint. Sunt & aliæ virtutes tuæ non vulgares, quas, nisi epistolæ excluderemur angustia, hoc loco libuisset commemorare. Vere enim dicere possumus, Regiam Maj. T. Davidis, Ezechiæ, Josiæ, Theodosii, & aliorum piorum Regum insistere vestigiis, & eorum in religionem & DEI cultum per omnia præ se ferre studium* (t). Indicarunt quidem, ut jam visum, non ex Germanis tantum, sed & ex aliis gentibus profugos. Et nihil profecto verius, quam & Belgicæ, & Anglicæ, & Gallicæ nationis bene multos iis temporibus perfugium & præsidium afflictis rebus suis quæsivisse in hoc regno, atque ab iis, qui sedem hic stabilem optarent, nihil admodum fuisse exactnm & postulatum, nisi ut tranquille degerent, nihil turbarum darent, nihil in receptis hic ritibus novare cogitarent. Idque tenuit, donec animadversum esset, in ista multitudine exulum, hic indies confluentium, dari haud paucos ex Anabaptistarum grege, nec non alios qui diversas suas sententias de Cœnæ Dominicæ sacramento amabant imperitæ plebi, spreto mandato regio, persuadere. Qui, cum iterum commonerentur, non verebantur sol●ne illud usurpare, ac regerere, quod legitur *Actor. V.* 29. Tunc vero crescenti malo obviam eundum Rex censuit, peculiari lege propridie Cal. Octobr. MDLV. promulgata, cujus mentio fit a Stephanio *pag.* 378. Atque ad istam rem, præter id, quod ipsa dictat

(t) Ex epistola, qua Mart. Buceri heredes Regi CHRISTIANO III. inscripserunt opus Bucerianum, cui tit. *De regno Christi Jesu Servatoris nostri Libri duo, ad Eduardum VI. Angliæ Regem annis abhinc sex scripti &c. Basil. per Jo. Oporin. 1557. mense Septembr. in Fol.*

ctat sapientia, (quicquid declamitent commentator Batavus, eique similes,) auctores multos habuit Theologos, ex moderatissimis, nominatim Philippum Melanchthonem; qui & hanc suam declaravit mentem in epistola, seq. anno scripta ad Joach. Mollerum (u): *Doctrinæ studia, DEI beneficio, mediocria sunt in his Academiis. Et consensus est omnium Academiarum inde usque a jugis Thuringicis ad insulas Danicas; etsi vagantur privatim aliqui, qui vel Serveticas reliquias, vel alia deliramenta circumferunt; adversus quos consensum Academiarum æternum esse opto* (x). Et, quam parum causæ sit, ut CHRISTIANUS nimii illius rigoris sit accusandus, ex eo discitur, quod Bucerum, quem maximi æstimabat, in Daniam invitaverit, anno MDXLVIII. Qua de vocatione etiam heredes illius viri loquuntur in epistola nuper indicata, his verbis: *Itaque cum R. T. M. in summo dignitatis loco collocata, hisce virtutibus prædita sit, ac nostrum parentem tanta benevolentia prosecuta: non nobis tantum, sed aliis quoque viris bonis & doctis visum est æquum & conveniens, ut hic liber de REGNO CHRISTI, tibi CHRISTIANO REGI dedicetur, quem parens noster paucis mensibus ante suum & Eduardi mortem absoluit: quem & Regia Tua Majestas post Lutherum proximo loco coluit, ac singulariter dilexit, ita ut illum ad se Regio diplomate vocaverit. Ac nimirum eodem in loco dignitatis in tuo regno fuisset, quo illum Rex Angliæ collocaverat: nempe, ut in clarissima regni tui Academia Hafniensi theologiam & sacram Scripturam fuisset professus, nec ille, si non jam antea suam operam Edvardo condixisset, tam honorificam & præclaram provinciam a R. T. M. oblatam recusasset. Nam illam sic fuit admiratus, ea semper prosecutus est observantia, ut alterum te Christi Ecclesiæ lumen vocare non dubitaret.* Finem imponam huic capiti, cujus longitudini causam dedit commentatoris toties nobis molesti iniquitas. Quam autem vellemus, ut dedisset plures ille nobis commentarii sui partes, continuatas ad ea usque tempora, de quibus Brantii *Historia Ecclesiarum Belgicarum, Præstantium Virorum Epistolæ, Episcopii Vita*, Grotii *Apologeticus &c.* agunt, ut videre & cognoscere licuisset, an auctor, qui Regi nostro, ob illam ecclesiis Danicis, ne a peregrinis & contentiosis hominibus lacerarentur, adhibitam cautionem, tam infensus extitit, pari modo voluisset in cives suos sævire: a quibus ea profecto perpetrata, quorum, per DEI gratiam, perque nostrorum Regum summam pietatem & admirabilem sapientiam & æquitatem, nos adhuc immunes sumus.

Pag. 389. de Petro Oxe narrationem Stephanius talem instituit, ut præteriri minime nobis possit sine animadversione. Primo enim

(u) *Lib.* 2. *epist.* 547. *col.* 444. *edit. Londin. fol.*

(x) Addi possunt, quæ idem magnus Vir scripsit ad Palladium, in epistola, *Isagogæ* hujus *ad libros Propheticos* præfixa, anno MDLVII. *Cumque sapientia inclyti Regis & piorum doctorum in regno vestro diligentia sic regantur studia discentium, ut non concedatur licentia cavillandi, utiliter consulitur Ecclesiarum tranquillitati, & ingenia ad modestiam assuefiunt. Omnia quamvis recte tradita labefactari possunt, si cavillationes audiantur. Ideo gravissime Paulus jubet, doctrina canonem retineri.*

enim refert, sed ex fama tantum, „ob scriptas ad Galliæ Regem suspectæ fidei litteras, a Rege in jus vocatum, ideoque ejus iræ cedentem, in Belgium abiisse. Deinde cum causæ cognitio esset in „commodius tempus dilata, memorat eum, idoneis excusationibus „allatis, Regem placavisse, ac in patriam revocatum, ad summum „dignitatis fastigium ascendisse." Atque ita omnia, offensam, fugam, exilium, restitutionem, in eundem locum conjicit, & sine ulla temporis distinctione connectit auctor, ut uno eodemque anno esse acta credas, cunctaque sub CHRISTIANO III. contigisse. Cum tamen exilium ad octonos fere annos durarit, & reconciliatio cum FRIDERICO II. facta sit. Hæc vero, quantum ad posterius, mera in Stephanio est inconsiderantia; siquidem ipsi tempus, quo Oxus in gratiam receptus, & eminenti illi muneri præfectus fuerit, non posset magis, quam nobis, ignoratum esse. At ex verbis ipsius nullus id quisquam divinaverit. Contra, si de illis quæratur, de quibus accusatus vir iste, quidque ipsum, jam tum ab anno usque MDXLII. regni Senatorem, & qui gravissima negotia domi forisque obiverat, (in quibus & illa fuerant, inter Johannem Fredericum & Augustum, Saxoniæ Duces, anno MDLIV. tractata (y),) ad fugam meditandam & vertendum solum impulerit, hæc quidem videntur scriptorem nostrum latuisse: cui incerta quædam fama tanto facilius imposuerat. Etenim, quod ad commercium cum Rege Galliæ spectaret, nihil in hac causa occurrebat. Erant vero alia quædam, ex quibus offensionem aulæ in se concitarat; & quorum loco, cum nec ita liquido confirmata, nec adeo enunciata res fuerit, istud de litteris ad Gallum, ex conjectura, ut fit, suppositum, postea sermone vulgi percrebuit. Verior nimirum culpa, quod Petrus, ingentis spiritus vir, & ad opinandum perstringendumque aliquanto acrior, in eis, quæ Regina obtinuisset, ejusque auctoritate gererentur, fastidiosum se præberet. Vnde insimulatus, quod Reginæ destinatis obsisteret, cœperat ea minus propitia uti; illa vero deinceps ad avertendum ab ipso Regis animum facile viam reperiebat. Namque & is erat Petrus, qui tum temporis non difficulter criminationibus pateret; neque ita in occulto sese actionesque suas continebat, quin obnoxiæ fierent inimicis. Quippe divitiis præpollens semperque amplioribus exstruendis intentus, præter avitas possessiones, nec non præfecturam muneri suo additam, varia a Rege prædia pignori acceperat; in quibus, sive ipsius, sive procuratorum vitio, haud semper ea agi, quæ justa essent, multa vero, queis legum æquitati & ærario publico fraus fieret, fuere qui magna sedulitate ad aulam deferebant. Accesserunt illa in Petrum Due, virum nobilem perpetrata, quorum Stephanius meminit: quem virum alibi Georgium nominatum, & quidem rectius, ut puto, observavi. Hinc

(y) Invenio etiam anno MDLVII. legationem obivisse ad Uldaricum Ducem Megapolitanum, Regis sororium, ad levandam e sacro fonte natam ei filiam *Sophiam*, quæ postea Regina Daniæ & FRIDERICI II. conjux extitit. Celebratum fuit baptismale hoc festum die XVII. Octobr. dicti anni.

Hinc Senatu primum abstinuit. deinde eo, non quidem (ut alicubi memini annotatum,) motus est, verum sese ultro abdicavit, impetrata a Rege venia secedendi in villas suas: postquam se fidem regiæ domui servaturum, nec regnum absque permissu relicturum, datis vadibus spoponderat (z). Sed brevi post, de iis ipsis causis, quas indicavimus, in illum actio instituitur, quam is fuga prævertendam duxit; relicto fratri Eschillo & affinibus suis mandato, ut ad omnia, quorum accusaretur, responderent. Hi judicatum solvi cum Regi non satisdarent, causa Senatorum regni sententia, in comitiis publicis Neoburgi in Fionia habitis, condemnatur (aa). Interim ipse in terris Luneburgicis, Ultzenæ & Dannenbergæ, quo ad Henricum Ducem Luneburgensem sese primo receperat, agebat. Indidem, die v. Julii, supplices ad Regem mittit litteras, quibus abitum fugamque suam excusat, & quod haud ullo earum rerum metu, quarum actio intenderetur, verum ut gravius periculum evitaret, hoc consilii sibi captum. Inprimis de inimicorum pravitate & injuriis deplorat gravissimeque conqueritur, ac quod famosus exierit libellus, quo Reginæ odium & alia contumeliosa, quorum tamen omnium innocentissimus sit, congesta. Sed cum neque ista deprecatione, neque fratris cetererorumque opera aliquid efficeretur, haud securum se apud Luneburgicos, Regi utpote conjunctissimos, suspicatus, Daventriam. Transisalaniæ urbem, concessit: ubi mox in morbum incidisse, ac supremum diem obiisse, falsis rumoribus in Daniam defertur. Hinc in Lotharingiam se recepit: quam pro filio administrare nondum desierat Christina, Christierni II. Daniæ quondam Regis filia, magni animi & eminentis supra sexum suum prudentiæ fœmina. Illa vero, ut quæ nunquam abjicere animum de regnis Daniæ & Norvegiæ sibi suoque generi vindicandis voluit. jam intellecta CHRISTIANI III. morte, spei suæ imminendum rata, cœperat agitare, quomodo ad propositum finem perveniret. Et quidem de ista re, deque consiliis, quæ Christina tunc iniverit, nonnulla extant consignata in litteris Ulrici Mordisii ad Languetum, atque in alteris, ad eundem a Langueto, utrisque anno MDLIX. Novembri mense scriptis (bb). In posterioribus hisce, præter alia cognitione digna, narratur, *famam fuisse, procurante Petro Oxen, Ducem Lotharingiæ cum Sveco fœdus adversus Regem Danicum junxisse.* At Fridericus II. hæc omnia, per Saxonicos aliosque, edoctus, tanquam in transfugam & majestatis reum severe animadvertendum censuit, fecitque omnia ejus bona. ex jure & legi-

(z) Anno MDLVIII. die XVIII. Februarii. Et sponsores, qui cum eo obligationis literas signarunt, fuere Johannes Bernecow, Cornificius Ulfeld, & frater ejus Johannes Oxe.

(aa) Eod. anno, die XV. Junii: ac postea alia sententia, a Cancellario regni lata, circa finem anni.

(bb) *Lib. 2. epist. 5. & 7.* earum, quas ante multos annos orbi communicavit vir excellens Jo. Pet. de Ludewig, tot hucusque monumentorum, præsertim veterum, editione immortaliter de re historica meritus. Felicia monumenta, quæ in talium sospitatorum manus inciderint.

bus regni, fisco adjudicari. Ex quibus Giſſelfeldium, nobiliſſimum Sælandiæ prædium, aulæ tunc Mareſchallo Friderico Burggravio de Dhona, beneficiario jure conceſſum; quo circa annum MDLXV. mortuo, ad Regem rediit, ac brevi poſt Hackio Ulſtandio traditur. Porro in omnes, quos conſtaret ex famulis ſuis Petrum in Dania reliquiſſe, diligenter inquiſitum fuit, ne quis vel hinc diſcederet, vel ad ipſum ea, quæ in regno gererentur, perſcriberet. Atque ægre tum quidem poterat inter homines ambigi, quin vir ille, vindictæ cupiditate ſeductus, fideique & ſacramenti ſui oblitus, hoſtilem erga Regem animum induiſſet; ſiquidem, ut fide dignis teſtimoniis perceptum, anno MDLXIII. cum mandatis Lotharingiæ Ducis, cumque altero ejus legato, Comite Salmenſi, fuerat apud Edzardum Friſiæ Comitem, qui in matrimonio habebat ſororem Erici Regis Sueciæ; ut cum dicto Comite Svecicisque, qui & aderant, conſiliariis deliberarent de bello Danico, Friſicis pariter & Lotharingicis opibus ſuſtentando. Præterea ſequenti anno compertum, injectam eodem tempore apud Friſios fuiſſe etiam mentionem de conjugio inter Svecum & filiarum Chriſtinæ Lotharingicæ majorem natu: idque ex Saxonia huc perſcriptum. Quamvis enim iſtud negotium in annos demum MDLXV. & MDLXVI. eruperit (cc), tamen diu antea agitatum fuiſſe, patet ex Langueti ad Mordiſium epiſtolis CIV. & CV. Ceterum memorabilia ſunt, quæ ſigillatim ibidem de Petro noſtro leguntur; hæc nempe: *Certum eſt, Petrum Oxen eſſe in ſumma gratia apud Lotharingicam, quæ etiam ſummopere conata eſt ei conficere nuptias viduæ Domini de Oſſonuille, quam duxit Andelotus. Ea eſt familiæ Comitum Solmenſium. Ipſe Petrus Oxen, (ut didici a viro, quem dignum fide judico,) non ita dudum conſpectus eſt Groningæ in Friſia, nec puto eum animi cauſa tantum eo expatiatum* (dd). Credo equidem, Chriſtinam & filium ejus alta viri mente & indole conſiderata, in magna expectatione fuiſſe officiorum, quæ ſibi & domui ſuæ ab ipſo præſtarentur. Interque alia compertum habeo, præfecturam ei a Carolo Duce tributam Schaumburgicam. Hoc nimirum didici ex libello locationis, quo noſter villam quandam, in Wallerfingen ſitam, certis ſibi conditionibus & ad XII. annos pactus eſt ab Alexandro de Braubach, quod factum MDLXIV. die III. Febr. (ee). Nec dubito, quin Alexander ille idem ſit, cujus mentionem facit Mordiſius, in epiſtola, quam laudavi. Ita autem, quid poterant aliud exiſtimare illi, quibuscum verſabatur, queisque tam faventibus & benevolis utebatur, quam perpetuo in fide & clientela ipſorum futurum? Sed, ſi hoc ipſe illis perſvaſerit, revera fucum fecit. Nam quanquam in multis arduis rebus & negotiis (ff) utiliſſimam operam

(cc) Vid. FRIDERICI II. *Hiſtor. per Petr. Reſen. pag.* 151. *ſeq.* Langueti *epiſtol. lib. I.* ad Electorem Saxon. *pag.* 3. & 8.

(dd) *Lib.* 2. *epiſt.* 5. *pag.* 22.

(ee) Vocatur ibi *der Edle und Ehrenveſte Peter Ochſe, Amptmann zu Schaumburg.*

(ff) Magnum in omnibus Petri Oxi ingenium & conſummata prudentia, in nulla

ram domui Lotharingicæ navabat, tamen consilia sua ita noverat attemperare, ne patriæ suæ aut FRIDERICO Regi nocerent, nemine animadvertente, quo spectaret. Hinc nulli potius, quam ipsi attribuendum, quod Svecus haud ullum societatis ejus, cujus nuper meminimus, fructum tulerit, & quod istud præcipue de matrimonio, per biennium fere actum, primo dilatum fuerit, tandemque funditus disturbatum. Nam, quæ apud Resenium referuntur (gg) Lotharingicorum de his nuptiis judicia, vere a Petro Oxo profluxerunt. Quia etiam non minus dabat operam, ut multa fierent, ad voluntatem Gallorum & Catharinæ Mediceæ accommodata, semperqueChristinæ & filio ejus persvadebat, quæGallicis rationibus conducerent, plurimi & istic fiebat. Neque Gallorum ii, quibus cognitus erat, ita unquam de ipso judicabant, ut patriæ proditorem, aut FRIDERICI II. hostem existimarent. Unde inter eosdem Thuanus, cum elogium nostri desumeret

nulla re magis excelluit, ac in iis, quæ ad constituendam rem ærariam, & tollenda, quæcumque in ejus dispensationem irrepsissent, vitia & defectus pertinerent. Et ejusmodi certe remediis, à tali viro suggerendis & subministrandis, indigebat tum temporis Lotharingia. Unde &, quæ multa in ea re fuerunt ibi suscepta utilissime ac melius constituta, ab anno usque MDLX. Carolo Duce adhuc adolescente, nullius tantopere consiliis, ac Petri nostri debebantur. Eaque intelligamus oportet, quando in Calmeti *Histor. Tom. II. lib.* 32. *ad annum* 1560. hæc legimus: „Le long sejour, qu' avoit fait le Duc Charles en la Cour „de France pendant toute sa minorité, & la longue absence de la Duchesse douairiere Christine de Danemarc, jointe aux troubles, dont la province avoit été agitée pendant les guerres entre la France & l' Empire, „avoient apporté une si grande confusion dans l'administration du domaine & des affaires de Lorraine, que &c. C' est pourquoy le Duc Charles ne fut pas plûtot retourné en Lorraine, qu' il songea serieusement à „mettre un meilleur ordre a ses affaires, en recherchant les droits de sa „Couronne & de ses domaines. Il convoqua tous ses vassaux &c. Et postea: „Au commencement de l' année suivante ayant été informé du „mauvais état ou étoient ses Mines - - il fit une Ordonnance &c.„ Denique *ad an.* 1563, *col.* 1355 *f.* „Les Salines de Rosieres ayant été ruinées vers l' an 1484. & étant demeurées abandonnées pendant 79. ans, „les bois des environs leur ayant, dit-on, manqué, Christine de Danemarc, Regente de Lorraine, les retablit de fond en comble, ainsi qu' on „le voit par l' Inscription qui se lit au dessus de la grande porte de ces „Salines: *Tres haute, tres excellente, trespuissante Princesse Christine par la grace de Dieu Reine née de Dannemarc, Svede, Norvege, „des Goths, Vandales, Sclavons, Duchesse de Slesvick, Holstein, Stormarn, Dietmarse, Lorraine, Bar, & Milan, Comtesse de Oldenbourg, „Delmenhorst, Blamont, & Dame de Dorthonne & Caltra, l' an* 1563. „*le premier jour de Fevrier, a fait eriger de fond en comble cette presente Saline, à l' avancement du bien public de Lorraine, laquelle „avoit été desertée 79. ans auparavant.*„ Atque hanc inscriptionem, tum ut cognoscatur, quibus titulis instruere nomen suum ambitiosa Princeps consveverit, tum quia apud Calmetum apprime extat mendosa, non piguit hic apponere.

(gg) In *histor. Friderici II, pag.* 152.

ret ex Chytræo, apud quem auctorem invenisset tali modo scriptum, quod Lotharingam Petrus, apud eam exulans, *adversus* Daniæ *Regem incitaret & confirmaret* (hh), correxit ea verba, consultoque rescripsit: *Lotharingam adversus* Daniæ *Regem incitare credebatur* (ii). Hæc vero omnia, quæ agebat, & quorum nihil in patriæ perniciem tendere, cunctis, qui virum propius inspiciebant, persvasum erat, eo pertinuerunt, non solum ut per amicos & necessarios suos in Dania prædicarentur FRIDERICO Regi, fidem scilicet ac religionem sese incorruptam vel apud inimicos servasse, inque omnibus quantumvis suspectis actionibus, ad patriam respexisse: verum etiam, ut eadem a Gallis, ab Electore Saxoniæ, a Ducibus Luneburgicis, ab aliis, quorum singulorum preces & commendationes non semel impetrarat, Regi ante oculos ponerentur. Tandemque Rex permotus, primum concessit ei potestatem in Daniam veniendi, litteris, quibus fides dabatur tuto eundi ac redeundi, anno MDLXVI. die XXIV. Januarii signatis. Adest noster illico, Regi se offert, perorat, supplex & deprecabundus, simul eis, quorum jam partem ab aliis Rex perceperat, plenissimam fidem faciens. Fervebat tum maxime bellum inter Daniam & Sveciam, immanibus a nostra parte atque intolerandis impendiis hucusque gestum. Et FRIDERICUS, cui, præter ærarium funditus exhaustum, omnes regni vires propemodum consumtæ credebantur, pacem nunquam majore cum desiderio, quam eo ipso tempore, respexit. Statuit itaque in hac adeo perplexa re, sciscitari ab Oxo, quid agendum foret, fideique & prudentiæ ejus periculum facere. Ac tunc quidem ostensum, quantus ille vir esset. Namque, detectis protinus, quæ ad id temporis maximam damnorum partem intulerant, omnibus vitiis ac erratis, initisque novis rationibus, talem & ærarii administrandi, & faciendorum sumtuum, & exercitus terra marique instruendi formam & modum excogitavit, Regique tanquam in tabula quadam dedit adumbratam, ut resumto ille ad bellum persequendum animo, novis sese viribus ex ejusmodi consilio auctum profiteretur. Et hæc etiam causa fuit, cur noster non solum commissorum veniam, cum bonorum, quæ ante exilium possederat, plenissima restitutione obtinuerit (kk); verum etiam, a peracto brevi in Lotharingiam itinere, (quo scilicet, rei familiaris causa, atque ut omni ibidem nexu exsolueretur, regressus est,) eodem anno pristinum in Senatu locum recuperaret, proximo vero ad amplissimam, de qua loquitur Stephanius, dignitatem evectus, Palatii Magister consiliorumque omnium princeps constitueretur. Animadversum vero statim, illo administrationem suscipiente, versa ac mutata in meliorem partem esse omnia, multoque, quam unquam antehac, rectius ire.

(hh) *Saxon. lib. XXIII. pag.* 692.

(ii) Thuan. *Historiar. lib. LX. pag.* 404. edit. ult. Londin.

(kk) Hoc factum d. 24. Aprilis ejusd. anni 1566. quo die etiam fidem suam Regi obstrinxit, de finiendo intra certum tempus ultimo hoc itinere Lotharingico. Utrasque istas litteras inspeximus.

ire. Celebrarunt hæc noſtri merita, inprimis incredibilem ejus, in publicis & domeſticis Regis regnique rebus adminiſtrandis diſpenſandisque ſolertiam, Hvitfeldius in *hiſtoria Friderici II.* inedita, exque ea Reſenius (ll), Andreas Wellejus in *Præf. ad Saxonem* vernaculum (mm) plurimique alii. Quas laudes amplius confirmatas reperi in litteris Caroli Danzæi, quibus, ad Regem ſuum Carolum IX. ſcriptis, de conſiliorum via & ratione, qua nova FRIDERICI rebus facies, antea affectis & propemodum ad extremum deductis, rediisſet (nn), narrat. Sequenti vitæ tempore eundem & dignitatis & apud Dominum ſuum gratiæ locum tenuit, ita ut nihil admodum ſine ejus auctoritate gereretur. Quam in rem plura allegari poſſent ex laudatis Danzæi epiſtolis MSS. nec non externorum hiſtoriis: quemadmodum iſtud apud Petrum Chr. Borrium in *Annalibus Belgicis* ad

 annum

(ll) *Pag.* 165.

(mm) *Lit. C.* 1. *b.*

(nn) Sic, inter alia, habent litteræ illæ, anno 1567. die 26. Februar. ſcriptæ: „Les affaires du Roy de Dannemarc durant cette guerre ont jusques a preſent eſté auſſi mal conduites, que de Prince du monde - - Le Roy a „appris comme il faloit conduire ſes affaires, & y a ſi dextrement pourveu dépuis ſept ou huit mois, & ſi bien ſçeu gagner les principaulx „de la Nobleſſe, qu' ils ont touts unaniment octroyé au Roy de luy donner tous les ans, durant cette guerre, une certaine partye de leur revenu, que jamais Roy de Dannemarc n' avoit auparavant obtenu. Les „eccleſiaſtiques font le ſemblable. Le reſte porte auſſi une nouvelle taille. Le tout a eſté ſi eſgalement ordonné, que de cent un ſeul ne s'en „plaint; ung chaſcun paye ſelon ſon pouvoir, & n'y a rien exceſſif ſelon „la neceſſité preſente. Ceci a eſte conduit ſi prudentment, que l' effet „s'en eſt promptement enſuyui, tellement, que depuys peu de jours il a „envoyé tous ſes Capitaines, tant de pied que de cheval, & faict compte „avecques eulx, ſelon leur premiere capitulation, & en a depuys faict „une aultre. Il fit hier faire monſtre generalle de toute ſon armée de „terre, & les a payes jusques au dernier denier de tout ce qu' il leur debuoit, qui n'eſt petite ſomme. Oultre ce, il permet à tous ceulx, qui „ne le vouldront plus ſervir, de s'en aller ſans aulcun empeſchement, & „ſemblablement il caſſe tous ceulx qui luy ſembloient inutiles, & met „de bons hommes en leur lieu. Son armee de terre luy couſtoit tous les „moys environ cent mil eſcus. Doreſnavant il pourra ſouldoier pareil „nombre & avoir de bons hommes pour cinquante troys mille, comme il „a eſté recongneu en plain conſeil, leur Colonel general & la pluspart des „Capitains preſents. Il y avoit aſſez d' aultres choſes de ſemblable valeur, auxquelles on pourvoit journellement avecques toute doulceur. „Il eſt vray, Sire, que l' argent de cette contribution de la Nobleſſe, & „nouvelle taille ſus le peuple n'eſt pas mis entre les mains du Roy de Dannemarc, mays de quatre gentilshommes, qui luy ſont toutesfoys tresfidelles & affectionnes, qui ont promis à Sa Majeſté de Luy ſoldoier & „entretenir aulx depens de ſon Royaume douze mille hommes de pied & „deulx mille chevaulx eſtrangers, & fournir aux fraiz neceſſaires pour l' „entretenement de vingt cinq navires de guerre, ſi longuement qu' il aura guerre avec le Roy de Svede. Certainement, Sire, le Roy de Dannemarc

annum MDLXXI. (oo) memoratum, ex quo Meursius idem repetivit *Guilielm. Auriac. lib. V.* (pp) Sed & apud nostrates alia de Oxo occurrunt, quæ nequaquam nobis reticenda; nempe ad præclararum artium studia, & doctrinarum omnis generis emolumenta & dignitatem animo vehementer fuisse propenso; cum & ipse iis excultus (qq), qua esset sagacitate, facile, quantum in illis situm ornamenti & utilitatis, videret. Nam non solum in earum cultores ipse liberalissimus fuit, ac de suo est elargitus: ita ut, tam in hac nostra, quam in Germanicis Academicis, perpetuo, postquam in patriam rediit, non unum & alterum, sed plures simul juvenes, qui bonis litteris darent operam, propriis stipendiis aleret; verum etiam ut eadem de publico fierent, Domino suo persvaderet. Neque dubitandum, cum etiam Erasmi Læti testimonio noscatur (rr) præcipue ejus consilio effectum esse, quod anno MDLXIX. finito necdum bello, imo acerrime etiam flagrante, beneficentissimus Rex edidit admirabile pietatis specimen, quando

„nemarc a tres juste occasion de louer Dieu, & recongnoistre la singulie„re grace qu'il luy a faict en temps si oportun. Car lorsque son estat e„stoit en tres grand & evident danger, il ne luy donne non seulementle „moyen de se conserver, mays aussi de pouvoyr aysement entreprendre „sur son ennemy. Et combien que ses affaires se conduysent tout aultre„ment, que par le passé, si est ce qu' il n' a Conseiller ni Officier, qui „aye esté demis de son estat. *Mays tel manye ses affaires, qui auparavant ny estoit point employé.*„ Quæ ultima verba in aliis litteris de Petro Oxo explicantur.

(oo) *Lib. V. fol. 242. b.*

(pp) *Pag. 77. b. edit. in fol.*

(qq) Juvenis aliquamdiu in Academia Basileensi operam dederat Simoni Grynæo, teste Erasmo Læto in *Præfat. ad Remp. Noriberg.* **2. Ac inter Scriptores Danicos locum ei dedit Claudius Lyschander in libro *de scriptorib. Dan.* ob *Historiam MS. rerum Slesvicensium sub Christiano III.* quod opus quale fuerit, dicere non possumus, utpote nunquam nobis visum.

(rr) *Rerum Danicarum lib. XI. pag.* 497. 498. *f.* ubi inter alia:

„Has FRIDERICUS opes atque hæc ingentia noster
„Commoda, vel medio bellorum exercitus igne,
„Decretoque manuque Scholæ sic junxit, ut esse
„Præsidium Musis, æternaque lucra juventæ
„Jusserit Hafnensi studiis quæ vivat in urbe.
„Utque voluntati respondeat usus, id *Oxo*
„Muneris est *Petro* commissum protinus: inde
„Ut mystam e sacris *Niclaum* adjungeret, illum
„Cui pridem notum peperit *Coldingia* nomen,
„Hasque adeo magna tum res pietate gerebat,
„Adderet & *Lætum* &c.
„His sibi tum junctis *Oxus* rem perficit &c.

do eleemoſynam (uti illam vocabat) vere Regiam inſtituit, unde in Communitate regia centum bonæ ſpei juvenes pauperes, religioni & regno profuturi, alerentur: cujus egregii inſtituti, nullaque ſatis laude prædicandi, res noſtra religioſa & litteraria fructum adhuc percipit. At, quod haud parum eandem gloriam attollat, hoc dicendum, quod anno MDLXXI. itidem Regi auctor fuerit ad ſtipendia annua profeſſorum in Academia augenda (ss). Id enim cum aliunde didici, tum & celebratum legi perquam diſerte a pluribus ejus temporis profeſſoribus, Nic. Hemmingio, Eraſmo Læto, & inprimis Jo. Saſceride. Hic enim in publica gratiarum actione, ad Regem de iſto beneficio, collegarum nomine ſcripta (tt), ipſam Oxi orationem in comitiis regni habitam, argumentaque, quibus FRIDERICUM permovit, fuſe refert: ac tandem, poſtquam Regi, Regiæque domui, & deinde toti Senatorum ordini bene precatus eſt, illum ſigillatim his alloquitur:

„Inprimis, o Petre, tibi decet, Oxe, palatî
„Qui loca ſumma tenes, aulæque vocarê Magiſter,
„Æternas memori ſolvamus pectore grates:
„Non modo, quod cunctas Muſis adjungere vires
„Promptus in hac ſemper cauſa nobisque fuiſti;
„Sed quia Pieridum nunquam non alma ſororum
„Sacra juvare ſtudes, quærisque optata miniſtris
„Commoda divini ne ſint evanida verbi.

Taceo, quæ non uno loco operis, quod *Res Danicas* inſcripſit, Eraſmus Lætus in eundem ſenſum cecinit, & quæ in *Indice nominum propriorum*, ad calcem adjecto, in hoc elogium incluſit: *Petrus Oxe de Gyslefelt, Senator, Locumtenens, & S. Regii palatii Magiſter ſub Friderico II. Rege* Daniæ: *vir & doctrinarum ſtudiis excellens, & erga pauperes non tantum ipſe liberalis, ſed & ſuaſor promotorque beneficentiæ Regiæ, qua juvantur multi.* Quid? quod nulli ignotum eſt, qui modo *Tychonis Brahei Vitam* a Gaſſendo ſcriptam legerit, quomodo idem magnus vir Tychonem, adhuc fluctuantem & inepto ſatis præjudicio faſcinatum, quod dedeceret nobilem virum quicquam rerum, quæ ad artes & ſcientias pertinerent, moliri aut in publicum edere, liberavit ab errore iſto, nec deſtitit adhortari, antequam Tycho ſeſe de ea re deliberaturum ſponderet (uu). Ita ut fortaſſis, & quantum ex eo poſſumus colligere, absque Oxi auctoritate fuiſſet, ignoraretur hodie Tychonis nomen, & quæ poſtea in diſciplinis ille cum totius orbis admiratione præſtitit, ſepulta & intermortua nunc jacerent. Denique bene-

(ss) Vid. Reſen. *Hiſtor. Frid. II. pag.* 262. Eraſmi *Vinding. Acad. Haſn. pag.* 11. Caſp. Bartholin. *de ortu & progr. Acad. pag. C.* 1.

(tt) Inſcribitur *Eugnomonum liber unus in laudem Regis, quod anno* 1572. *Profeſſoribus ſtipendia liberaliter auxerit. Haſn. in* 8vo.

(uu) Gaſſend. *de Vita T. B, pag.* 20.

beneficentiam Oxi loquuntur tabulæ adhuc superstites, nobisque visæ, quibus aliquot ante obitum suum mensibus, amplissimos reditus, multis nummorum millibus æstimatos, in octo pauperes, perpetuo in prochotropheo urbis Hafniensis alendos, perscripsit; præter mille imperialium summam scholæ metropolitanæ legatam, præterque multa his simila rure constituta, siquidem nihil prædiorum fertur possedisse, ubi non ejusmodi dona pauperibus attribuerit, ac fruenda in omne ævum dicarit. Uxorem duxit, anno MDLXVII. mense Septembr. Mettam Rosenkrantz, Dominam in Wallöe, viduam Stenonis Rosenspartii, filiamque Dn. Olai Rosenkrantzii in Wallöe, olim Senatoris regni (xx). Et, quantum mihi constat, ad hoc temporis cœlebs vixerat. Liberos vero nullos procreavit: quemadmodum nec fratres ejus, quos tres habuit, Eschillum, Albertum, & Johannem. Certe nullos virilis sexus reliquerunt: ita ut extinctum cum his quatuor familiæ cognomen fuerit, nullis ex ea amplius superstitibus, præterquam qui ex sororibus essent geniti. Obiit anno MDLXXV. in arce Fridericoburgensi. Extinctum aqua intercute refert, & quidem recte, Chytræus: quem Thuanus sequitur. Verum de die emortuali discrepant auctores. Namque hi, quos nominavi, XXIV. Novembris ponunt. Resenius autem in *Friderici II. Historia* (yy) diem ejusdem mensis quartum. Neutrum recte. Epitaphium enim in æde D. Virginis, quod & ipse Resenius inter *Inscriptiones Hafnienses* primo omnium loco exhibet, distincte & diei & horæ mentionem facit, qua expiravit, videlicet diei Lunæ ante festum Apostolor. Simon. & Judæ; (iste vero tunc erat XXIV. Octobris,) hora inter XI. & XII. ante meridiem. De mortis genere fabula in vulgus exiit, auctore nescio quo ipsius inimico sparsa, cui & nostro ævo creditum fuisse a præstantibus viris perquam sum miratus, quasi morte violenta, & quidem Regis jussu periisset. Quo certe nihil falsius. Suntque in manibus meis multa, quibus contrarium evincatur, inter alia rationum libelli, ubi expensa in morbo ejus facta, in medicos, in medicamenta aliaque, nec non in funus & sepulturam, enumerantur. Atque hæc de summo viro observata & collecta, aliquanto longius verbosiusque enarravimus; non quidem, quod Stephanii error tanta copia indigeret, verum quia existimamus par esse, ut historiæ patriæ amantibus nullus prætermittatur locus, nullaque negligatur occasio, virorum tam insignium memoriam cum ab oblivione vindicandi, tum a fabulis, quibus, ad longum ævum propagatis, ægerrime demum fides detrahitur, liberandi. Atque insuper, (ut fateamur quod res est,) videbantur illæ nobis tam singularis viri virtutes promeruisse, tantaque in gentem litterariam beneficia flagitare, ut, cum de ipso nihil sit alias a nostris, (si elogia supra allata, eisque paria, & librorum dedicationes excipias,) litterarum monumentis proditum, neque ullam, si qua extiterit, invenire adhuc funebrem ipsi scriptam laudationem potuerimus, fata ipsius & alia memoratu digna exponeremus.

Por-

(xx) Ejus mentio fit in Cragii *Historia pag.* 16. & *pag.* 50.
(yy) *Pag.* 291.

Porro, Stephanium ut absolvamus, istud in mentem venit dicere, non defore fortassis, quibus videbitur hic historicus, ex quadam indolis bonitate ad laudandum pronior, & nonnulla, vixdum alioqui cognita, aut parcius fama celebrata, nimis amplificare & ornare. Horum tamen neque tollere suspiciones neque confirmare possumus, nisi de exemplis clarius, in quibus aliquis esset dubitationi locus, constaret. Etenim, quod ad nos attinet, ita confidimus hucusque sensa mentis nostræ & judicia explicuisse, ut quodammodo credi queat, si præterea quid occurrisset, quod inconsideratius scriptum, aut exaggeratius videretur prædicatum, id nos minime dissimulaturos. Ubi tamen haud scio, an oporteat etiam attingere id, quod alicubi noster de M. Christierno Petræo pronunciavit, tam feliciter nempe Saxonis Grammatici historiam ex latino in vernaculum sermonem transtulisse, ut *ob accuratam interpretationem, ob sublimem, splendidam & magnificam dictionem* omnibus admirationi fuerit (zz). Nam profecto, si cujus in his valere debeat auctoritas & judicium, quis Stephanio nostro prior? quippe qui, præter utriusque lingvæ, Romanæ & Danicæ, notitiam nullo modo inficiandam, is denique erat, qui in eo scriptore magnam ætatis suæ partem contriverat. Isne igitur alio quovis & aptior & incorruptior arbiter censendus, quando agitur de Saxoniana versione? Adde quod, in Saxone dum desudabat, non potuit fieri, quin utramque versionem, cum Chr. Petræi, tum Vellejanam, sæpenumero inspiceret, & consuleret, quemadmodum & in notis utramque observavi ipsi laudatam. At quæret a nobis aliquis, quid? ille itidem doctus vir Pontanus, cujus non minor in utraque lingva facultas extitit, istáne auctoritate, quæ attribui Stephanio possit, pollere existimandus? Is vero in *Chorographica Daniæ descriptione* (aaa) affirmavit, Christiernum illum Petri *tentasse quidem versionem Saxonis, sed minus respondente eventu.* Et quid fiet de ipso Andrea Vellejo? cujus in præfatione Saxoni ipsius Danico præfixa, illud, quod in præcedentium laboribus carpit, non potest non ferire Christiernum Petri, inque invidiam ejus collatum credi (bbb). Cum enim in eadem arena duo tantum aggressi essent periclitari vires, antequam Vellejus huc descenderet, Christiernus Petri & Jonas Turonis, (sicut Lyschander in *præfatione Synopseos Geneal.* docuit,) neminem vero nominatim designat Vellejus, nihil probabilius, quam de Jona intelligendum, quod prius & majore cum reprehensione dixerat (ccc), sed Christierni versionem fuisse volumine illo, cujus deinde meminit, communicato a Cancellario Joh. Frisio, comprehensam. Utcunque fuerit, certe neutrum Vellejus interpretem commendat: in utroque vero illa desiderat, quæ, si Stephanium audiamus, ad Petræi versionem, utpote splendidam, magnificam, accuratam, nemo facile applica-

(Z)

(zz) *Pag.* 369.
(aaa) *Pag.* 785.
(bbb) *Præfat.* Velleji *in Saxon. Gramm. pag. C.* 1. *a.*
(ccc) *Ibid. p. B.* 4. *b.*

plicabit. A nobis nemo id nunc exspectaverit, ut sententias tam varias tamque discrepantes conciliemus; eoque minus, quod Christierni labor, nunquam, quantum nobis cognitum, typis excusus, jamdudum ex oculis evanuerit, nusquam hodie, ut puto, nisi forte apud Svecos, si modo eo cum reliquis Stephanii libris pervenerit, inveniendus (ddd). Libet hic annotare in transcursu, Messenium, Hvitfeldii utplurimum exscriptorem malignumque interpolatorem, quando ad hunc locum pervenit, ubi Cancellarius de Danica per Petræum Saxonis interpretatione loquitur, addidisse de suo, eam fuisse *numeris adstrictam* (eee). Ubi sine dubio intellexit *Chronicon* illud, ut appellatur, *rythmicum Regum Danicorum*. Qui libellus neque recte Christierno Petræo adscribitur, quamvis noverim, ita nonnullis existimari; neque versio potest dici, cum epitoma & breviarium tantum sit, ab illo certe labore, quem Hvitfeldius & Stephanius designarunt, diversissimus.

In narratione ultimi & mortiferi morbi, qui sanctissimo Regi melioris vitæ auspicium dedit, offert se locus, in quo optaret aliquis, ut auctor esset circumspectius versatus, magisque custodite scripsisset. Quod si enim unquam historicus sese religiose gerere, summamque ad narrationes adjungere cautionem debet, est, quando ea sunt exponenda, quorum etiam simplex, & nuda, & maxime vera commemoratio aliquid admirationis habet. Quoniam in talibus plerumque accidit, ut quicquid adhibetur ornatus, quicquid coloris consumitur, vel minimum illud fuerit, fucus & pigmentum existimetur, atque in fraudem trahatur veritatis. Itaque cum in eo esset noster, ut illud, quod divo Regi decem ante mortem diebus fuit objectum, quo de instante fatali tempore admonebatur, enarraret, atque in tota illa morbi omniumque, quæ eo attinerent, descriptione, non aliis uteretur auctoribus, quam iis, quorum etiam orationes funebres in hoc nostro volumine exhibentur, non possum satis percipere, quid potuerit optimum virum adducere, ut in loco, quem designavimus, vel minimum ab eis deflecteret. Equidem tanti non fuisse arbitror, aliquid huc ex rhetorum & poëtarum lecythis arcessere. Et, quantum judicare licet, per se ipsa res clara, illustris & admirabilis satis fuit, quo minus talibus videretur indigere. Quæso enim, quid hoc est, quod Stephanius non dubitet affirmare, a Rege indicatum fuisse D. Hamsfortio, sese *ab Angelo admonitum*, fore, ut ad Calendas Januar. felicem ærumnarum finem expectaret: atque isto somnium fuisse respondente, Regem pernegasse, *verum se & oculis vidisse aligerum hunc nuntium, & auribus voces loquentis hausisse*? Unde vero hæc Regis dicta hauserit & acceperit Stephanius, liceat quærere? Neque tamen adeo offendimur illa

(ddd) Extabat olim in Biblioth. Academica nostra, in capsa *Cypriani* dicta, *Versio Saxonis Danica MS*, sed num Petræi an alterius fuerit auctoris, nescio.

(eee) Messen. *Scondia illustrat. Tom. V. pag.* 108.

illa Virgiliana imitatione (fff), modo ut certum sit, & modo dixisse Regem ostendatur, aliquam auribus sibi loquentis vocem exceptam. Sed neque hoc in scriptoribus, quos solos in hujus rei narratione fide dignos agnoscimus, reperitur; multoque minus, Regi *apparuisse aligerum nuntium, quem oculis sibi visum* postea fuerit professus. Examinetur Bordingi testimonium (ggg), qui præsens ægrotanti adfuit, & qui ipsissima verba, ut fuerunt Regis ore emissa, retulit. Nulla ibi visionis mentio, nulla nuntii aligeri. Qui & ipse pius, si quis unquam fuit, ac prudens medicus, & nimirum haud nescius, quanta proclivitate sint homines ad omnia id genus augenda, & iis, quæ quisque sibi animo fingit, ornanda, protinus Regis verbis hæc subjungit: *Quis autem, & cujas ille fuisset, a quo significatum sibi id fuisse diceret, neque interrogabat quisquam, neque ipse amplius quicquam addebat.* Vere autem nihil agebat vir egregius, quando hac ratione cogitabat, viam conjecturis præstruere, aut piis (si ita vocare fas est,) commentis objicem ponere. Parum nempe humani ingenii curam novit, quicunque existimat, posse ob istiusmodi admonitionem plura cognoscendi desiderio temperari. Neque aliquid juvit, quod deinde, etsi dubitanter, proposuit de somnio, quod, quemadmodum aliis DEO charis, CHRISTIANO immissum fuisset ab Angelo. Somnium res parva nimis visa: Angelus placuit, sed exornatus, sed vocalis, sed oculorum auriumque sensibus perceptus. Nam ne quis hæc dici a nobis putet tantummodo in Stephanium, ecce & alium, & theologum quidem haud parum celebrem. Is est Nicolaus Selneccerus, qui concione funebri germanica (hhh) Regem laudavit, ac diserte tradidit, *quendam humana specie in veste candida Regis cubili astitisse, eumque allocutum esse.* Quod & postea Conradus Lautenbachius exicriptum *Continuationi* suæ *Sleida-*

(fff) *Æneid. lib. IV.* ipse DEum manifesto in lumine vidi, Intrantem muros, *vocemque his auribus hausi.*

(ggg) *Pag.* 428.

(hhh) Habuit istam Selneccerus concionem in arce Dresdensi die 1. Februarii MDLIX. recusa eadem est in libro, plures ejusdem generis orationes complectente, cui tit. *Historische Erzehlung und Leich-Predigten etlicher hoch-erleuchteter Kayser, Kœnige, Churfürsten und Fürsten &c. per M. Thom. Stybarum. Leipz. 1593. in 4to.* Non dissimulandum vero, Selneccerum ibidem testes rei citare Paulum Noviomagum, qui Regi a sacris fuerat, & D. Cornelium medicum. Sed Cornelius quantum sciverit, discitur a Bordingo. Si Noviomago plus aliquid constiterit, quidni illud Bordingo, vel præceptori suo Palladio vel aliis in Dania aperuit æque atque Selneccero? Palladio sane nihil tale compertum fuit: namque is in libello Danico, (de quo inferius agemus) nullum verbum de Angelo profert, scribit vero duntaxat id prænuntii per quiesem factum esse. Quemadmodum & Henricus Ranzovius in *Elogio* parentis sui *Joannis Ranzovii* simpliciter *somnium* vocavit, his verbis: *An. 1559. Cal.* Januar. Rex *Christianus longo morbo paulatim consumtus, & ex suis ærumnis ac laboribus, (ut illi per somnium indicatum erat) ad semper mansuram patriam & jucundam requiem, obita morte translatus est.* Vid. *Epistol, Consolator. ed, Francof. 1595. Pag. 19.*

Sleidaneæ intulit (iii); nec non Hamelmannus in *Chron. Oldenburg.* (kkk) Fecerunt quidem & Angeli mentionem Joannes Thomas in *Oratione*, & Jo. Sascerides in *Epicedio*, (quæ ambo in hoc volumine comparent scripta;) imo fecit Hvitfeldius in *Annalium* fine. Verum ille temperanter satis, Angelum infert Regem de fine vitæ admonentem, *per quietem*. Neque longe ab eo discessit Petrus Hegelundius in elegia, eidem orationi subjecta (lll):

„Venerat angelicus cœlesti nuntius aula,
„Regis hic orantis astitit ante caput.
„Jamque soporato, modo sit sopor ille vocandus,
„Præmonet optatæ mortis adesse diem.

Sasceridem sua facile tuetur poësis: & quis nollet in carmine tale quid excusare? Hvitfeldius breviter & incorrupte narrans, nihil Bordingo affingit; saltem ipse de proprio Regis Angelo (sive Genio. ex veterum mente.) a quo immissum illud fuerit, interpretatur. Ceteri omnes, quicunque demum sint, ne quidem digni ut laudentur, præsertim in causa, quam confirmare ullo testimonio nequeunt: quemadmodum nec testis habendus, nisi famæ & rumoris duntaxat, quisquam eorum, quos adhuc nominavimus, uno excepto medico, qui Regi affuerat. Quod & probe intelligens Pontanus, statuit nullum alium sequi, sicut ex verbis ejus his cognoscitur: *Pridie quoque ante excessum ejus, omnibus qui lecto astabant, memorasse fertur, advenisse ad eum, qui diceret, omnium dolorum ac ægritudinum levamen allaturum novi anni, qui instaret, primum diem.* Ubi tamen illud de tempore haud recte expressum: nam quin decimo ante mortem die contigerit prædictio, nullum dubium. Sola igitur, ut diximus, Bordingi auctoritate, quatenus litterarum est monumentis prodita, res hucusque stetit: a quo quodcunque vel minimum discesserit, nullo loco habendum. Huic nos nunc alterum adjungemus, itidem idoneum testem ac præsentem, & qui non dubitavit plures citare in narrationis fidem, pariter secum præsentes. Non memini, alias ejus rationem habitam, forte quia libellus, quo testimonium continetur, parum cognitus, cujus etiam indicium puto ad paucissimos nostra ætate pervenisse. Vocatur is auctor Ruprechtus Geiszpuscher, quod tamen non ex inscriptione seu titulo, nec, nisi libellum pervoluenti bis occurreret, nomen disceres (mmm). Refert ille sese in ministerio divi CHRISTIANI III. munus

(iii) Edit. Oseæ Schadæi *ad an.* 1559. *col.* 152.

(kkk) *Pag.* 348.

(lll) Omisimus illud Epicedium, nec non Elegiam Jo. Thomæi, in hac editione nostra, utpote superflua.

(mmm) Erasmus Lætus in longa *epistola nuncupatoria* libris *de Republ. Noriberg.* præfixa *** 4. *b.* appellat eundem *Robertum Geilshemium.* Sed memoria Lætum fefellit, cui facile imponere poterat similitudo nominis cum Reimberto Geilshemio Juris Professore Hafniensi, qui obiit anno 1549. vid. Vinding. pag. 82.

munus chirurgi obiisse integris viginti annis: neque tantum assidue decumbenti astantem, omnia quæ diceret atque faceret, diligenter animadvertisse; sed & eadem ipsa nocte, qua Regi illud, de quo loquimur, objectum fuit & unde ille emortualem diem didicit, ad cubile ejus advigilasse. Atque ab hoc Ruprechto morbi mortisque Regis descriptio breviter & simplici stylo contexta fuit, ipsius lingva, quæ erat Germanica. Eademque mox in Saxonicam dialectum conversa, prodiit Hamburgi ipso anno MDLIX. (nnn). Germanicum auctoris textum nondum vidi. Igitur ex altera editione totum, qui ad rem faciat, locum apponam, neque unum alterumque præterea excludam ibidem narratorum, maxime quia in Bordingi & Thomæi orationibus frustra quæruntur, ad historiam morbi Regis pertinentia: „Alse auerst syne Kön. May. wyder vormerckede, dat syne Swack- „heit yo mehr vnd mehr sick vormerde vnd thonam, hefft de Swack- „heit syne Kön. May. entlick to bedde gedrungen tho blyuende. Vn- „de syne Deners, beyde van Adel vnd Vnadel, hebben möten by sy- „ner Kön. May. waken. Do ys syne Kön. May. mit enem sehr gro- „ten Flöte vp der luchteren syden behafftet geworden, welckes sick „in enen Schenckel mit enem sehr groten Geswulst gesettet. Dar „van syner Kön. May. ein grote Smerte ys entstan. Vnde nademe „syne Kön. May. also in groter Pyne vnd Wehe gelegen, hefft idt „sick begeuen vnd thogedragen, vp den Fridach vor dem Hilligen „Christdage, welcker de teinde dach vor synem Affgang vnd Affsche- „de vth disser Werlt ys gewesen, dat vp den morgen ener van sy- „nen Doctoren in der Medicin, mit namen Doctor Cornelius, tho „syner Kön. May. is gekamen: Jegen deme hefft Syne Kön. May. „angenangen vnd gesecht. Leue Herr Doctor, Jdt ys ener in disser „Nacht by my gewesen, de hefft tho my gesecht, dat ick scholde mit „disser myner Kranckheit gedult dragen, beth thom Nien Jares Da- „ge, alse scholde sick myne Kranckheit vorwandelen, vnd tho enem „guden Ende kamen. So hebbe ick, alse ener syner Dener, mit na- „men Ruprecht Geiszpuscher, de ick syner Kön. May. Wundtarst in „de twintich Jarlanck gewest, ock de suiue Nacht by syner Kön. May. „gewaket hebbe, angeuangen tho seggende. Jdt wert Juwer Kön. „May. also gedrömet hebben. Do hefft syne Kön. May. wedderum- „me gespraken, He hefft idt my also gesecht. Dit hefft de Doctor „mit angehöret, vnd de Ehrentueste Erick Walckendorpf, syner „Kön. May. Kamerjuncker, ock Melcher Potlitz, syner Kön. May. „Hoffsnyder, vnd syner Gnade Barberer mit namen Jochim Lange „van Stettin, vnd mehr ander, de vp de tydt syn im Gemake gewe- „sen. Item, vor dren Dagen vngeuerlick er denn syne Kön. May. „ys in GOdt vorscheden, hefft syne Kön. May. beualen, dat men

(A a) „schol-

(nnn) Titulus est: *Ein warhafftich vnd geloffwerdich Bericht van den Christlikem vnd saligem Affschede, des Dorchluchtigesten, Grodtmechtigesten, Hochgebornen Fürsten vnd Herrn, Herrn CHRISTIAN tho Dennem. &c. in 8vo.*

„ſcholde eine Böre voruerdigen, de gelick were ener Dodenböre: „effr H auerſt vorgegeuen, dat ſyne Kön. May. ſick darup wolde leg„gen laren, beth ſo lange dat men ſyner Kön. May. Bedde maken „konde. So ys de Böre na ſyner Kön. May. begher gemaket wor„den. Na deme auerſt Kön. May. ys vorſcheden, da ys dat Lick „dar vp geſettet worden. Vnd ys tho gelöuende, dat Syne Kön. „May. ſolckes nicht vp dat düdtlikeſte hefft tho erkennende gegeuen. „Item, darna hefft ſick de Smerte vnd Swulſte van dage tho dage yo „mehr vnd mehr vormeret vnd thogenamen: Wowol dorch ſyne „Doctoren, alſe mit namen D. Cornelius vnd D. Jacob Bordinck, vnd „dorch ſyne Wundarſten groten flyt ys vorgewendet worden, hefft „doch de Kranckheit nicht willen vphœren, ſonder im Schenckel mit „geſwulſte vnd ſmerte yo hefftiger procederet vnd thogenamen, bet „thom Nien Jares Dage, wo denn de Lofflike Köninck rede tho vö„ren geſecht, dat idt nicht lenger waren wurde. &c.„ Iſtic vero, ut vidimus, omnia, in narratione de prænuntio, conſpirant cum Borcingi verbis; niſi quod hic, qui nondum in cubile ingreſſus erat, dum illa a Rege enuntiata audirentur, ſed a Cornelio poſtea acceperat, tribuat iſti collegæ ſuo, quæ medicum alloquenti Regi chirurgus aſtans oppoſuerat; ac deinde quod Regis reſponſionem verbis inſtructam reddat paulo pluribus, quam quæ fuerint a chirurgo forte exaudita. Ceterum ſufficere nobis poteſt, duorum indubitatæ fidei & auctoritatis hominum narratione id penitus edoctos eſſe, quod quæſivimus: nempe quid quantumque de ea re credi poſſit ac debeat. Vtique enim pro certo habemus, prædictum divinitus Regi fuiſſe fatalem diem, idque evidenti aliquo ſigno contigiſſe: neque apud quenquam noſtrûm pium ac religioſum de hoc ambigitur. Sed & æque nobis conſtat ex jam allatis, nihil omnino Regem, ſive de Angelo, ſive de viſione (ooo), ſive de ratione & modo prædictionis, utrum ſcilicet vigilantis auditu, an tantummodo mente percepta fuiſſet per quietem, cuiquam pateſeciſſe: atque ita omne illud, quod a ſequentibus auctoribus acceſſerit, ornatui, fictioni vel conjecturis meris adſcribendum.

Atque hæc fuere, quæ in Stephanii labore prætermittere non potuimus inexcuſſa. Poſt illa quæ leguntur, nempe poſtquam mortem & ſepulturam Regis enarravit, & quæ aliquot deinceps implent paginas, haud propria auctoris agnoſcenda; cum pleraque omnia ſint ex Hemmingii oratione tranſcripta. Ceteroqui Stephanii minime hoc vitium fuit, ut lucubrationes aliorum in ſuum uſum verteret; excellens ipſe ſcriptor, ſuisque ita facultatibus pollens, ut alienis neutiquam indigeret. At hic admodum videtur credibile, quod, cum eo eſſet ventum, ut de moribus Regis & interiore illa vita aliquid dicendum

(ooo) Namque & nonnulli ſcriptores *viſionis* in genere tantum meminerunt in hac hiſtoria. Sic Adamus Henric-Petri JC. Baſileenſis in *Continuat. Sleidani germanica*, *lib. V. pag.* 291. edit. *Baſil.* 1577. in Fol.

cendum foret, ita ſit arbitratus, nihil poſſe de hoc argumento ſive rectius, ſive locupletius ſcribi, quam quod Hemmingius fuerat iſta luculenta oratione executus. Neque admodum, quantum judicare poſſumus, in hoc erravit. Alias haud ignotum, auctorum iſtud genus, in quo Stephanius, quamvis ob breve opuſculum, locum ſibi depoſcit haud infimum, in eo ſæpe deprehendi, quod in præcedentium ſcriptis prædas agant, neque res tantum, (quod nemo ſanus vituperet,) ſed ipſa verba, & longam ſæpe verſuum ſeriem direptam, in ſua, quæ condant, opera transferre. Ita in Sleidano, in Chytræo, in aliis ipſum Thuanum feciſſe, quis neſcit? Noſter, ſi extrema illa excipias, ubi, ut diximus, Bordingo & Hemmingio eſt abuſus, rariſſime hanc ſibi licentiam permittit. Neque niſi duo mihi occurrerunt loca, de quibus, quod in iis ſimile quid factitatum, certo conſtet. Nempe de Eduardo VI. Angliæ Rege loquens, verba haud pauca ex Franciſci Herefordenſis Epiſcopi *Annalibus*, ea præſertim, quæ Cardano (ppp) iſte accepta retulit, deſumſit. Parique ratione illam, quam in fine operis attexuit brevem ad Principes admonitionem, neutiquam ſuis verbis dedit; nam leguntur plane omnia apud Thuanum (qqq), ejusdem argumenti occaſione, hoc eſt, quando de Chriſtierni II. morte commemorat, prolata.

Erat quidem in animo, cum editionem hanc aggrederemur, Cragii Annalibus nihil, præter Stephanium, adjicere. Verum nobiſcum conſiderantes, quam incertum ac difficile forſan futurum eſſet, ut de pluribus, quæ ad CHRISTIANI III. memoriam pertinerent, poſſet alio tempore cogitatio a nobis ſuſcipi, ſtatuimus præſente occaſione uti. Igitur non illa tantum, quibus incomparabilis Regis funus concelebratum, ſiquidem in eis & multa habeantur illuſtria, ac de temporibus quæ regno ejus anteceſſerunt, nonnulla, & quia ſummæ eſſent raritatis, addidimus; ſed etiam ex magno monumentorum numero, quæ in annalibus Cragianis laudantur, placuit tria, habita ipſi maxime inſignia (rrr), exhibere. De hoc poſteriore genere, cum bona lectoris venia, loquemur prius. Et de *Sanctione* quidem, ſeu RECESSU, quo, anno MDXXXVI. in Comitiis Hafnienſibus facto, nova & priore multo emendatior forma regno & rei Danorum publicæ inducta fuit, novoque & arctiore vinculo caput ejus & membra fuere connexa, nihil ultra habemus dicendum; cum & hiſto-

(ppp) Ex *libro* Cardani *de Genituris duodecimo*: eadem vero Cardani verba fuſius leguntur in Burneti *Hiſtor. Reform. Angl. Tom. II. inter Documenta pag.* 56.

(qqq) *Lib. XXII. initio.*

(rrr) Pertinent ſane ad hanc claſſem præterea unum alterumque: inprimis *Pacificatio* ſ. *Tractatus Spirenſis*, an. MDXLIV. Sed cum hoc monumentum ſæpius editum reperiatur, non rantum in Leibnitzii *Mantiſſa Codicis Diplom. J. G.* ſed & in Lunigii Sylloge magna ſ. *Archiv. Imp.* & in *Corpore Diplomatico* Du-Montii, & in Aitzema *Hiſtor, Belg. rerum Status & Belli &c.* noluimus inpræſens actum agere.

historicus noster, initio libri IV. (sss) rem exposuerit, & volentibus de ea cognoscere, postquam latinam adjecimus versionem, capita legis hujus omnia satis clara per se & perspicua arbitremur. Inter ea eminet, quo episcoporum decreta fuit abrogatio, res plane maximi momenti, quæque reformatoribus ceteris, CHRISTIANI amicis, Saxoni, Borusso, Hasso, imo Luthero ipsi, ardua atque anceps æstimata, postquam effecta fuit prospere, summam apud eos admirationem habuit. Et Regem animo destinasse, si factum istud, apud Germanos, iniquiores excitasset sermones, publico quodam scripto rationes suas & crimina episcoporum universo orbi exponere, indicant litteræ ipsius ad Electorem Saxoniæ, die Martis post OO, SS. festum scriptæ: quas cum aliis nonnullis, ex archivis Vinariensibus protraxit præstantissimus ille Jo. Joach. Mullerus (ttt). Potuisset a nobis etiam ad aliud *Sanctionis* caput illustrandum, ubi agitur de filio Regis in spem regni adscito, afferri apographum litterarum seu diplomatis, quo Senatores eandem rem ipsis illis diebus sciverant; maxime quia illustre eo testimonium perhibetur æquitatis & modestiæ CHRISTIANI, quando is, ut, si postea regnum vacaret, fratrum potius alterutrum successorem sibi eligerent, Senatui & proceribus auctor fuit, hi vero, re altius deliberata, filium ejus Fridericum prætulerunt. Sed quia nihil in dicto diplomate ulterius extat, quam quod a Cragio satis luculente expositum (uuu), superfluum hoc duximus: quamvis dubitari possit, an aliud in ulla historia, simile possit dari moderationis Regiæ exemplum. De altero monumento, quo ORDINATIO ECCLESIASTICA continetur, quodque ex unica editione, quam typis excusam esse constat, expressimus, vellemus quidem ut in nostra esset facultate, plus aliquid, quam ab historico nostro factum, expromere, desiderioque eorum satisfacere, qui, quo ortu, quorumque hominum inprimis opera, tanta res, tamque non solum pia & religiosa, sed prudens simul atque utilis, à Rege suscepta & constituta est, solent quærere. Nunc, quod solummodo licet, Cragii de ea narrationem (xxx), contra aliorum errorem, usque adeo invalescentem, ut propemodum communis factus sit, vindicabimus. Nempe, si & quosdam audiamus eorum, quibus præcipuus in eo labor fuit, res nostras omnium optime ut cognoscerent, non alium *liber ordinationis* latinus auctorem habuerit quam Joannem Bugenhagium. Ita sane Joan. Mollerus loquitur, minimum tribus locis, cum in *Isagog. ad Histor. Cimbr. P. II.* (yyy) tum in Alberto Bartholino *de scriptis Danorum*, (zzz) tum in *Hypomnematis* ad eum (a) ita

(sss) *Pag.* 152 - 156.
(ttt) *Entdecktes Staats-Cabinet IV. Eröffnung pag.* 332.
(uuu) *Pag.* 155.
(xxx) *Pag.* 170. *seq.*
(yyy) *Cap. IV. pag.* 90.
(zzz) *Pag.* 124.
(a) *Pag.* 261.

ita Terpagrius in Præfat. *Ritual. Ecclesiar. Dan. & Norveg.* (b). Atque, ut exterorum plures, ipsosque vitæ Bugenhagianæ scriptores prætereamus, ita Chytræus *Saxoniæ* suæ libr. XV. (c). Neque satis expedire rem noverat, quando tamen hoc dedita agebat opera, Henr. Muhlius in *Commentatione de reformatione religionis in Cimbria* (d). Mirum profecto, quod egregii viri existimare sic potuerint, neque melius animos attenderint ad verba & testimonium ipsius Regis. Isne enim diserte in præfatione profitetur, „convocatis doctoribus & prædicatoribus ecclesiarum ex Daniæ regno & ducatibus suis, illud se„se in mandatis dedisse, ut ordinationem aliquam sacram conscribe„rent, de qua consultaret: Acceptam deinde, misisse ad Lutherum, „qui eam cum aliis theologis Wittebergensibus approbarit: Bugen„hagii vero demum consilio & opera usum esse, una cum consiliariis „regiis, in ordinatione hac sacra conficienda?„ Ex quibus liquere omnino arbitramur id, quod Cragius noster memorat, „conceptam „hanc formulam fuisse anno superiore (hoc est, MDXXXVI.) a doctis„simis quibusque Daniæ viris, quos Rex ex collegiis & ministerio „ad eam rem arcessiverat:„ Deinde, postquam approbata fuerat Wittebergæ, sequenti demum anno per Bugenhagium, Hafniæ tunc præsentem, adjunctis ei nonnullis, Regi ab interioribus consiliis, revisam, correctam ac suppletam, in lucem publicam exiisse: atque etiam executione jam tum suscepta, ad effectum aliquem pervenisse. Atque hoc ultimum esse, quod *confectionem* operis Rex appellat (e); Non vero, quod liber a Bugenhagio, conspirantibus hujus & nostrorum theologorum consiliis, latine sit curatus; quemadmodum Muhlio in mentem venit interpretari. Nonne & in ipsis illis litteris, quas CHRISTIANUS ad *Saxoniæ* Electorem dabat, Alburgi Cimbrorum anno MDXXXVII. feria tertia post Misericord. Domini, (erat hæc isto anno dies XXVIII. Aprilis.) & quibus iterum de Bugenhagio ad tempus sibi concedendo instabat, legitur manifeste, jam tum illam fuisse ordinationis ecclesiasticæ formam a nostratibus doctis viris conscriptam (f)? In hanc vero formam quin multa tunc fuerint recepta ex iis, quæ jam aliquot annos in coetibus suis sacris usurpaverant Eberhardus

(b) *Pag.* 24.
(c) *Pag.* 433.
(d) *Pag.* 59.
(e) Nempe & latina Regis hæc, *Hujus viri* (Jo.Bugenhagii) *consilio & opera cum nostris Consiliariis usi sumus in Ordinatione hac sacra conficienda*, in Danico exemplari sic redduntur: „Hues samme Höylærde „Mands raad oc tilhielp Wi met vort Raad haffue brugt til at fuldgiöre „denne hellige Ordinantz.„ De doctoribus autem & prædicatoribus dixerat: „Wi befole dem, at de Ofs skulde beskriffue en Christelig Ordinantz.„ Aliud vero est *conscribere*, aliud conscriptum *executioni mandare*.
(f) Ipsa litterarum verba sunt, „Wiewohl Wir zu Færderung der Sachen „durch unsere Gelehrten eine Kirchen-Ordnung haben stellen lassen, und „diesel-

hardus Weidensehe & Andreas Jedicke, concionatores aulici, Johannes Wandalus, Hermannus Tastius, Joh. Tausanus, Georgius Vibergius, ceterique illi, quis dubitet? Et quidem latine curatum fuisse illud, quodcunque primo conscripserunt, iis ipsis verbis, quæ hodieque typis leguntur excusa, certum habeo. Hoc vero etiam certissimum, utpote quod oculis meis vidi, & manibus versavi, quodque primus siquidem a nemine, quod sciam, litterarum est monumentis proditum, enunciabo, Regem scilicet tum, cum latinum exemplar ad Lutherum mitteret, aliud sibi ipsi adornari fecisse lingva danica; idque adhuc extare autographum. Evolvi istud curiose, atque ex instituta haud indiligenter comparatione, observavi haud pauca ad rei illustrationem apposita, ex quibus hæc lectori distincte impertienda duxi: (I.) quod auctores, (inter quos nonnulli erant ex Ducatibus Slesv. & Holsatiæ, lingvam danicam nescientes, quemadmodum neque omnes ex provinciis Danicis germanicæ periti satis,) in hac prima scriptione stylum latinum adhibuerint. Id quod vestigiis bene multis in vernaculo scripto indicatur. (II.) Quod addiscere inde possimus, quid quantumve ex Ordinationis libro, qualis postea est in lucem emissus, fuerit a nostratibus tunc perfectum, quando Regi primum offerebatur. Nempe haud ulterius progressus primus iste labor, quam ad *folium* 56. editionis veteris latinæ, (h. e. in editione nostra *pag.* 64. *versus finem*;) ideoque sequentia capita, de *Domibus Superintendentum*, de *Norvegia*, de *Emeritis*, de *Canonicis &c.* fuerunt omnino serius adjecta, alioque tempore. (III.) Quod, etiamsi ejus potissimam & longe maximam partem Rex retinuerit, sicut hodie in editis legitur, tamen isto tempore opus aliis subinde loquendi formulis, hoc est, ad formam atque modum consilii scriptum fuerit. Utque hujus rei specimen lector habeat, sumamus ultimum libri caput, quod, de *Schola universali, sive Universitate*, *extat fol.* 98. (*nostræ edit. pag.* 86.) istud enim nostri subjecerunt, coronidis loco, ei, quo *libros ruralium parochorum*, (eosdem plane, qui in impresso recensentur,) indicarunt. Atque ibi epilogum istum sic conceperant: *Præter hæc omnia, cum ad multa, tum inprimis ad religionis conservationem, publica aliqua schola opus sit, omnino necessarium est, ut una aliqua solennis & generalis Academia in hoc regno erigatur; & pro solenni talium scholarum more suis prærogativis, privilegiis, immunitatibus & honestis stipendiis confirmetur. Verum de hac re magna nobis spes est, fore, ut ipsa Regia Majestas ultro & sponte singularem velit curam suscipere, præsertim tanta atque innata erga doctrinarum studia bonasque artes voluntate & amore prædita. Quem indulgentissimum Dominum nostrum DEus Pater, propter unigenitum suum Filium, servet nobis diutissime*

„dieselbige Martino Luthero Doctori haben zugeschickt zu besichtigen, „So wil doch vnser vnd der Sachen Notturfft erfordern, dasz solche Ord„nung nicht durch schlechte, sondern durch trefliche, erfarne, ansehen„liche Personen ferner aufgericht, und an Tag gegeben werde.„ In Mulleri *Entdeckt. Staats-Cabinet IV. Eroeffn. pag.* 435. nimirum ad ea, quæ alii scripserant, confirmanda, in publicum proferenda, & ad optatum finem adducenda, opus erat auctoritate & consilio viri clarioris majoreque usu exercitati, qualis Bugenhagius agnoscebatur.

sime sospitem, salvum & incolumem. Amen. Ad eundem quoque modum in antecedentibus scripti capitibus interdum Regem alloquuntur & hortantur, iis in locis, ubi postea in exemplo edito *volendi* & *jubendi* formulæ, nomine Regis, sunt repositæ. (IV.) Quod in altera recensione, (omnino, ut apparet, postquam prælectum Regi atque ponderatum omnibus momentis opus fuisset, & prius quam mitteretur Wittebergam. susceptra,) nonnulla in eo sint immutata, integris etiam paginis inductis semel atque iterum & sæpius, variaque hinc inde adjecta. Namque hæc etiam universa vernaculo sermone (quem pariter ex latino expressum esse omnia ostendunt indicia.) apponi in vacuis paginarum locis Rex curavit, manu M. Caspari Brochmanni, Archidiaconi Aarhusiensis (g), ex aliis hac ipsa manu scriptis, quorum insignis superest copia, nobis cognitissima. Est in mutatis hisce atque adjectis, ut alia omittamus, illud, quod *fol.* 8. (*nostræ edit. pag.* 37.) præcipitur: *Accipientibus panem & calicem nihil dicatur, quia omnibus publice dictum est ante, in consecratione, verbis Christi*, quorum loco antea in MS. extitit: „pastorem debere accipientibus panem conse„cratum dicere: Accipe & ede, hoc est corpus Domini pro te tradi„tum; Et calicem accipientibus: Accipe & bibe, hic est sangvis No„vi Testamenti, pro te effusus.„ Maxima vero omnium immutatio incidit in caput *de Sustentatione & provisione Ministrorum verbi, fol.* 39. 40. ac præsertim *fol.* 41. (*pag. nostr. edit.* 56.) ubi auctores nostri multis verbis & graviter de nobilium agendi modo erga divini verbi ministros fuerant conquesti, mentemque suam aperientes paullo liberius, demum arbitrandum Regiæ Majestati reliquerant, qnid quantumve lucri & emolumenti fas esset ut ex Evangelio restituto ad eminentem illum civium ordinem. privilegiis & immunitatibus suis innitentem, redundaret, atque annon iisdem ipsis, qui nuperrime in sacra nondum reformata eorumque ministros multa largiter erogaverant, nunc pariter injungendum esset, ut aliqua saltem mercede pauperes Christi servos solarentur, neque adeo eorum opera tantisque Evangelii beneficiis plane gratis fruerentur. Istorum vero omnium loco rescripta & substitura sunt, manu Brochmanniana, ut diximus, ea quæ nunc in latino exemplari *fol.* 41. *pag.* 56. de Nobilibus leguntur, duobus articulis comprehensa. Præterea reliqua, non tantum in hoc capite singularia, verum etiam in illo de *Superintendentibus, fol.* 45. *seqq.* (*pag.* 59. 60.) nec non de *Ritu cum fœminis proprios liberos opprimentibus, fol.* 31. *seq.* (*pag.* 51.) Et talibus demum, quemadmodum indicatum, correctionibus & supplementis, hodie in textu conspicuis, latinum exemplar auctum, antequam vel ad Lutheri vel Bugenhagii manus & oculos perveniret. Quibus, aut, si mavis, Bugenhagio soli, ne quisquam illa imputare queat, sciendum nonnulla in eis ita esse comparata, ut a nemine potuerint, nisi legum & constitutio-

(g) Hunc CHRISTIANUS III. ab eo usque tempore, quo primum in Cimbria Rex est declaratus, sibi a secretis esse voluit, eodem officio & apud CHRISTIERNUM & FRIDERICUM I. fideliter jampridem functum. Vid. de ipso *Inscriptiones Hafnienses* Resenii *pag.* 26.

ſtitutionis regni Daniæ admodum perito, proficiſci. (V.) Quod, præter jam dicta & in MS. noſtro obvia, offendantur in editis exemplaribus alia quoque additamenta, hinc inde in variis capitibus adſperſa, factæque paſſim in periodis ac verbis mutationes. De quibus nobis perſvaſum, iſta omnia in ultima recenſione, per Bugenhagium Regiosque illos miniſtros, qui conjunctis cum ipſo conſiliis extremam admoverunt manum, adjecta eſſe, atque tunc etiam reliqua illa capita, quæ undecim implent folia (a *fol.* 56. *ad* 66. *noſtræque editionis pag.* 64. *ad* 70.) acceſſiſſe. (VI.) Quod ea, cujus deſcriptionem dedimus, vernacula interpretatio fuerit in manibus D. Petri Palladii, aliud tamen absque ſupplementis & correctionibus exemplum ejus nacti, quando verſionem illam, quæ primum anno MDXXXIX. typis Roſchildenſibus excuſa, moxque eodem anno menſe Junio in Comitiis Othinienſibus producta fuit, unde & plenior auctiorque & in verbis ſubinde ac phraſi emendatior Hafniæ anno MDXLII. exiit, adornabat (h). Etenim perpauca oppido ſunt, quæ Palladius in verbis & modis loquendi Danicis immutavit, maxime ſi prima editio anni MDXXXIX. conferatur, præ illis, quæ retinuit: quoque etiam longius in convertendo progreſſus eſt, eo magis labori ſuo pepercit, ut etiam totas interdum paginas ſine mutatione ulla transcripſerit. Sed quod ad verſionem attinet ſupplementorum, Regio exemplari, ut meminimus, a Caſp. Brochmanno adſcriptam, certum eſt eam nunquam fuiſſe Palladio inſpectam: Usque enim adeo ſemper deprehenditur ab eo diverſus; proprietatis præterea vernaculi ſermonis haud parum ſtudioſior Brochmanno utpote latinam vocum & ordini & primo illi ſignificatui preſſius inhærente. Hæcque illa fuerunt, quæ ex venerabili MS. obſervata, non indigna & noſtra memoria & poſterorum notitia judicavimus. Unde etiam intelligitur, nihil de hoc argumento rectius aut accuratius ſcribi potuiſſe, quam quod Jo. Melchior Kraffthius in *Hiſtor. eccleſ. Huſenſi*, *pag.* 116. §. *VI.* diſtincte atque ex vero commemoravit: erraſſe vero omnes, qui Bugenhagium vel unicum, vel

(h) Hinc illa inter duas iſtas primarias editiones danicas differentia non ſolum in aliis quibusdam, etſi non multis locis, ſed etiam ipſa inſcriptione. Prior enim talem præfert: „En Ordinantz, hvorledes Kirke-Tie„neſten ſkal holdes vdi Danmarkes og Norges Riger, og de Hertugdöm„me til Slesvig og Holſten. Aar efter GUds byrd MDXXXVII.„ Ad calcem vero locum & tempus impreſſionis ſic indicat: „Trykt vdi den „Kongelige Stadt Roſchyld af meg Hans Barth 1539.„ in 8vo. Alterius vero titulus eſt: „Den rette Ordinants, ſom nu ſiſt paa Herredage y Ot„tenſe bleff offuerſeet oc beſegelet, hvorledes Kircketieneſten ſkal hol„des vdi Danmarkis oc Norges Riger, oc de Hertugdömme Slesvig Hol„ſten.„ Ac in ultima pag. hæc: „Prented wdi Kiöbmenhaffn *wed* Hans „Wyngaardt vdi den ny Cloſterſtræde boendes. Aar effter GUDS byrd „M. D. XLII. Oc findes hun til kiöbs y Wiburg hos Andreas Perſen, hoeſ „S. Hans Cloſter boendis.„ Præterea in priore, ſcilicet ante Comitia Othiniana impreſſâ, ſcriptum Bugenhagii latinum, ſeu *Ordinatio ceremoniarum pro Canonicis*, non adjungitur, ſed demum poſt Comitia exemplaribus Danicis acceſſit.

vel præcipuum *libri Ordinationis* auctorem constituerunt. Equidem fateor, Hvitfeldii locum, ubi de Bugenhagio meminit, talibus esse verbis conceptum, ut facile in errorem induxerit quemcunque non satis lingvæ nostræ gnarum: sed qui hujus proprietatem callet, is non minus facile animadvertit, non tam de libro aut scripto Cancellarium, quam de rerum in eodem mandatorum per universum regnum executione loqui. Gravius argumentum ducitur ex testimonio ipsius Bugenhagii, quemadmodum illud refert Seckendorfius ex litteris ejus ad Electorem Saxoniæ (i). Sic enim habet: *Inde Rex omnesque Senatores sigilla sua Ordinationi Christianæ, ex latina, quam scripsi, in danicam lingvam translatæ, apposuerunt.* Verum & hæc verba ad detrahendum aliquid veritati nimis quam inefficacia. Et inprimis dubitare licet, cum germanica fuerint, rectene illa ceperit ac interpretatus sit Seckendorfius: Quem parum fidelem egisse hic interpretem, ego non verebor pronunciare. Produxit enim eas ipsas ex autographis litteras eximius tabularii Vinariensis custos Jo. Joach. Mullerus (k), ubi locus ita jacet: „Drauff hat Königl. Majest. ersten, und darnach alle „Reichs-Rete ire Sigille an die Christliche Ordnung, Denisch ge„schrieben an meinem Lateinischen, gehänget.„ In quibus, nisi omnia me fallunt, Seckendorfius pro præpositione germ. *an*, legerat *aus*. Siquidem nihil aliud indicatum voluit Bugenhagius, quam suam *Ordinationem pro Canonicis & Monasteriis* latinam Ordinationi danicæ fuisse annexam, amboque conjunctim scripta, utpote magna rerum conspiratione consentientia, a Rege Senatuque approbata. Sane quod ejus propriè appellandum est, ipsumque in toto illo opere auctorem agnoscit, nullo unquam tempore in danicum sermonem transiit: & quemadmodum in illa, quæ cum confirmatione Othiniæ facta vulgabatur (l), ita in sequentibus cunctis editionibus juxta vernaculam nostram non nisi latine extat. Intelligo autem *Ordinationem* illam *ceremoniarum pro Canonicis & monasteriis.* Quam & ipsam auctor ne quidem ut germanica lingva legeretur, voluit, tum cum adjungi eam curavit, aliquot post annis, *Ordinationi ecclesiarum Brunsvicensium*, germanice scriptæ (m); ibi enim & latine & nullo verbo a nostris exemplaribus discrepans invenitur. Breviter: Si Bugenhagius in litteris ad Electorem dixisset vernaculum librum nostrum ex suo latino expressum esse, non tantum contra veritatem ivisset, sibi attri-

(C c)

(i) *Histor. Lutheranismi lib. III. Sect. XX.* §. 75. *pag.* 243. *a.*

(k) *Entd. Staats-Cabinet Eröffnung IV. pag.* 367.

(l) Notandum enim, quod, quanquam juxta *Ordinationem* nostram latinam anno 1537. Scriptum Bugenhagii comparuerat, tamen a prima editione Danica, scil. Roschildensi illa, exclusum fuit. Ideoque auctor in litteris ad Electorem anno 1539. gloriabatur, jam illud in Comitiis regni approbatum, legis vim obtinuisse, Danicis porro editionibus adjungendum.

(m) Edit. *Wittebergæ anno* 1543. *apud Georg. Rhaw*, *in* 4to. recusa vero est integra in Hortlederi *Tomo I. lib. IV. cap.* 44. deque illa in terris Brunsvicensibus Guelferbytanæ partis suscepta reformatione legi potest Chytræus *lib. XV. pag.* 456.

attribuendo, quæ fuerant longe maxima ex parte confecta aliorum studiis ante ipsius adventum; suum vero laborem dissimulasset, quippe qui nunquam in danicam lingvam conversus est. Ac insuper hoc consequeretur, Regem abrogata, quæ a doctoribus regni & ducatuum conscripta, Lutheri approbationem meruerat, *Ordinatione*, jussisse novam aliam per Bugenhagium latine curari, quam deinde Palladius danice loquentem fecerit. Eo enim coguntur devenire, qui Molleri, Chytræi, aliorumque his paria scribentium, dictis confidunt. De ACADEMIÆ FUNDATIONE, tertium in *Additamentis* locum occupante, nihil annotandum habeo, nisi quod in ea Bugenhagii plurima certe auctoritas extiterit, plurimus etiam labor, in muniis præsertim docentium, & quæ eo spectant, describendis, fuerit; neque nullus tamen à quibusdam nostratium impensus: Quod conspicuum satis reor. Cetera quæ de hoc insigni in rem sacram & litterariam beneficio dici possent, & quibus illud accessionibus piissimi Regis liberalitas aliquoties auctum cumulatumque reddidit, haud modo opus est enarrare, cum ab aliis abunde id sit præstitum (n).

Itaque postquam inverso ordine de mantissa seu additamentis dictum, reliquum est, ut ceterorum, quæ inter illa & Stephanii opus interjecta sunt, rationem reddam, simulque aperiam, cur non plures, quam quatuor illas laudationes, ad complendam CHRISTIANI Regis historiam conferre, e re duxerim. Atque jam incidit in mentem aliquid, plerisque omnibus, ut credo, inobservatum, proferre: quod ita dignum ne posteris celaretur existimavi, ut, nisi de eo fuerit admonitum, vix spondere ausim, aliquando non futuros, quibus certo persvadebitur, aliam apud nos olim historiam CHRISTIANI III. a Cragii, Stephanii, Pontani illis diversam, & latine quidem scriptam extitisse, quæ perierit. Potest enim fieri, (& quidni fiet, quamdiu non desiderabuntur in patria homines, rerum ejus aliquantum diligentiores?) ut aliquis velit Academiæ nostræ acta pervoluere, indeque illa, quæ ad superiorum temporum cognitionem faciant, enotare. Itaque in eis dum versabitur, offendet in anno MDCXXV. narratiunculam, cujus verba, conversa ex vernaculis sic sonant: *Feria secunda paschatis aderat in Consistorio Notarius, & ex mandato magnifici Rectoris Professorumque consensu antehac dato, tradidit Salomoni Sartorio typographo latinam Christiani III. Regis historiam, in 4to, auctore Senningio, Lipsiam statim per Salomonis puerum mittendam, offerendamque ad editionem eis, qui ejusmodi monumentorum historiæ Danicæ publicationem velint suscipere, certumque exemplarium impressorum numerum Academiæ retribuere.* Verum omnino nihil certius, quam in his verbis consignandis notarium insigniter esse lapsum, ac festinantem vel alia cogitantem, in duplicem illum, tum in Regis, tum in historici nomine, errorem incidisse.

(n) Vid. Stephan. *Histor. in anno MDLV. pag.* 378. Vindingii *Acad. Hafn. pag.* 9. Slangendorpii *Orat. de initiis doctrinæ religionis propagatione &c. pp.* P 5. & 6. Casp. Barthol. *Orat. de ortu, progr. & increm. Regiæ Academiæ pag. B.* 3. *b. & B.* 4. *&c.*

cidisse. Neque enim ullam scripsit unquam historiam Seningius, (quem & Sinningium quidam, plerique Synningium nominant (o),) neque, si voluisset, potuit de illa CHRISTIANI III. cogitare, nisi paucorum annorum enarrationem dare vellet; cum Rex integros undecim annos & amplius ei supervixerit (p). Igitur ille in actis legens, non potui aliter quam pro certo putare, fuisse *historiam Christierni II. auctore Svaningio*, quam professores speciminis loco in Germaniam destinarunt, Lipsiensium aut Francofurtensium Sosiorum aliquem ad monumenta Danica edenda illecturam. Et quis noverit, annon idem ipsum exemplar fuerit, unde illa historia anno MDCLVIII. tanquam ex cæcis caliginis umbris protracta, in theatrum orbis exiit, Francofurti ad Mœnum excusa; postquam nimirum ultra sex lustra in tabernæ cujusdam librariæ angulo latuisset? Constat vero, cum libellus primum in his oris appareret, nostrates, quibus a tanto tempore elapso illud de missione latebat scilicet, obstupuisse & admiratos esse, qua occasione pars ista historiæ Danicæ ad Germanos pervenisset, vel qui eosdem tum temporis habere cœpisset ea tam solicitos. Unde & tanto facilius fidem invenerunt, qui dicerent, (neque ex vano fortassis,) a Suecis, quibuscum tum bellum nostris erat, hoc instructum, nempe quo memoriâ CHRISTIERNI II. resuscitata, nonnulla Danico nomini invidia conciliaretur. Posset hic aliquis a nobis quærere, cum Svaningii labor fuerit, quem transmittendum Lipsiam curarint nostri, annon tamen potuerit CHRISTIANI III. historiam comprehendere? Cui respondemus, jamdudum extra omne dubium interque certissima haberi, Svaningium nequaquam in scribendo eo usque processisse, verum absoluto CHRISTIERNO II. & vita FRIDERICI I. primis quasi lineis designata, plane cessavisse, manumque & calamum suum perpetuo a scribendi hoc genere abstinuisse. Id quod etiam testantur veteres MSSorum in bibliotheca Academica indices, ac insuper, ne plures memorem, nepos ejus Joannes Jani Svaningius in *Prolegomenis ad Chronologiam Danicam* (q). Et quidem ipse Rex CHRISTIANUS III. historici officium viro, non ut suas

(o) Slangendorpius in *Orat. supr. cit.* Aslacus in *Orat. Theologico-historica* & Cragius noster, *pag.* 272. *&* 304. Seningium appellant. Casp. Barthol. *Orat. de ortu & progr. Acad.* Alb. Barthol. *de scriptis Dan.* Sinningium, And. Vellejus, Vindingius & plerique alii Synningium.

(p) Ne hoc falsum esse suspicentur, qui apud Vindingium & Mollerum (*in hypomn. ad Alb. Barth. pag.* 310.) animadverterunt, obiisse Sinningium anno 1557. monemus errorem istic in numerum irrepsisse. Nam revera mortuus est anno 1547. 21. Novemb. docentibus Cragio ad h. a. Aslaco in *Tab. Chronol.* Casp. Bartholino in *catalogo Professorum*, Orationi jam citatæ adjecto, Nic. Hemmingio in libro *de Conjugio & Divortio pag.* 144. *seq. &c.* Quantus autem pietate & eruditione theologus fuerit, post XII. a morte ejus annos declaravit Philippus Melanchthon, luculento & prolixo admodum elogio ei scripto in epistola ad Regem FRIDERICUM II. Erasmi Læti *Bucolicis* anno MDLX. præfixa.

(q) *Pag.* 30.

suas res gestas, sed ut decessorum suorum inclyta facta stylo conderet, assignaverat; in eo, quemadmodum in omnibus vitæ actibus, moderati supra quam credibile erat animi; cum neque ullum credam bonorum principum vixisse gloriæ & laudis suæ minus illo studiosum aut cupidum. Quem cum aliquando esset Philippus Melanchthon adhortatus, ut historiam reformatæ in regnis & ditionibus suis religionis faceret justo opere conscribi, easque ut partes imponeret vel Petro Svavenio vel Jo. Svaningio (r), haud tamen videtur permovisse, ut consilii rationem haberet; credo, quia minus ipsi placebat scriptio, in qua laudibus immortali DEO, unico stupendi operis auctori & effectori, tribuendis, & quas ipsa res melius illustraret, suum, quod futurum prævidebat, præconium admisceretur. Neque dubitandum, quin ex ipsius, Regum modestissimi, mandato factum sit, quod sepulcri ejus monumentum nulla, ut fieri solet, elogiorum magnificentia aut titulorum amplitudine ornatum, his tantummodo verbis, quibus nihil excogitari potuit simplicius, insigne fuerit: ANNO DOMINI cIɔ Iɔ LIX, DIE I. JANUARII IN ARCE COLDINGENSI OBIIT ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS ET DOMINUS CHRISTIANUS TERTIUS, DANORUM, NORVAGICORUM, VANDALORUM ET GOTHORUM REX, ET HIC SEPELITUR cIɔ Iɔ LIX, ANNO ÆTATIS LV. IMPERII XXIV. Ceterum quod ulterius fidem facere, atque adeo confirmare queat, nullam fuisse vel a Svaningio, vel aliis historiam ejus conditam, priusquam Hvitfeldius ac deinde Cragius istam curam susciperent, existimamus tum in laudati Cancellarii præfatione, tum in gubernatorum regni decreto, quo historici munus Cragio delatum, extare. Verba non opus hic adducere, postquam de utroque scripto in antecedentibus meminimus. Potius hac opportunitate de uno & altero viro commemorabimus, quos eadem cura solicitos quidem habuit, veruntamen intra voti duntaxat & propositi fines stetit. In his primus nobis nominandus Joannes Stigelius, celebris ille olim poëta ac professor Jenensis. Ejus enim epistolam vidimus ad FRIDERICUM II. Regem scriptam, qua operam suam in conscribenda parentis ejus historia offerebat. Quod

(r) Id qua occasione propositum Regi a Philippo fuerit, dicendum. Petierat Rex, ut Melanchthon sibi quendam librorum Alb. Crantzii germanicâ lingva procuraret. Igitur rescribens Philippus, litteris Witebergæ d. 8. Febr. MDXLII, datis, laudat Alb. Crantzii diligentiam, & quod ex libris ejus insignis de ecclesiasticis rebus notitia, præsertim de episcopatuum & sacerdotiorum opulentorum origine, & quomodo successu temporum a primæva sua institutione degenerarint, hauriatur: In fine autem Regem sic alloquitur: „Ich bitt auch unterthäniglich E. Kö. Mt. wolle „durch Petrum Svavenium oder Svaningium die Reformation der Kirchen in E. Kö. M. Konigreichen und Fursténthumben durch GOttes Gnade Christlich vnd seliglich ins Werck bracht, ordentlich beschreiben „lassen, welches in viel Weg den Nachkommen nutzlich: Und bitt GOtt, „er wolle E. Kö. M. zu seinem Lob und der Kirchen und Landen Heil erhalten und allezeit regiren. Amen.„

Quod an concessum petenti fuerit, nullus scio. Constat autem, fatum viro haud satis temporis ad conficiendum tanti momenti opus reliquisse, cum triennio saltem Regio funeri superstes vixerit. Alter est Petrus Olai, homo Danus, qui quod olim, ante sacrorum emendationem, in monasterio quodam Fratrum Minorum vixerat, Minoritæ appellationem in libris suis retinuit. Sunt autem libri isti, quorum bini se nobis obtulerunt, mera collectanea historica, de rebus ecclesiasticis & politicis, ubi, inter plurima ex aliis & quidem notissimis auctoribus, Saxone, Crantzio, Hartmanno Schedel &c. descripta, nonnulla etiam occurrunt singularia, quibus nollet sane aliquis nostrarum rerum studiosus paulo diligentior carere. Ac in eorum altero, quem *Paralipomena Historiæ Danicæ* inscripsit, quando ad CHRISTIANI III. mortem pervenit, prælongam & verbosam virtutum istius Regis laudationem attexuit: cui lubenter in hoc volumine, aut saltem in præfatione nostra, locum dedissemus, nisi observatum fuisset, centonem tantum esse ex Hemmingii & Bordingi orationibus consarcinatum. Sola igitur ea, quæ auctor suis verbis protulit, enotabimus; atque hæc sunt: *Etsi autem vita ejus* Regis *multis excellentibus virtutibus ornata fuerit, nos tamen non omnia, sed aliqua ejus gesta commemoravimus supra, ideo oratum habemus omnes, ut integram vitæ ejus historiam. bella feliciter gesta, totumque politicæ gubernationis cursum describant, quibus & res & consilia ejus melius nota sunt. Regnavit autem annos viginti tres. Regnare cœpit anno ætatis suæ 32. Natus est anno 1503. pridie Idus Augusti, paulo postquam Ferdinandus Cæsar, Caroli Quinti Imperatoris frater,* Romanorum, *Hungariæ & Bohemiæ Rex, qui & nunc rerum in Germania potitur. Obiit Coldingæ* Jutiæ *Chersonesi castro, anno & die supra dicto Circumcisionis.* Postremo, etiamsi maxime vellemus, non tamen liceret nobis, citra vel ignorantiæ, vel alterius cujusdam causæ suspicionem, omittere, (præsertim cum in publicis jampridem scriptis celebratum sit ab Henr. Muhlio (s) aliisque,) illud quod nostra ætate, viginti aliquot abhinc annis, ab illustri optimoque viro Christiano Reitzero susceptum fuit. Nempe meditabatur ille historiam CHRISTIANI III. edere: primo quidem nihil propositum habens aliud, quam quod nos modo executi sumus, scilicet ut Nicolai Cragii annales ex bibliothecæ Academicæ latebris in lucem proferret: Verum illo postea mutato, alio cogitationem flexit. Etenim Cragium semel ac iterum relegendo, cum subinde hiulcum quiddam, neque omnino exquisitissima illa cura effectum aut exasciatum offendisset, (ut erat in illis, quæ ad dictionem latinam attinebant, acerrimus & delicati inprimis fastidii,) aggrediebatur in primis foliis auctorem suum emendare & corrigere: Verum mox laborem istum pertæsus, stylum ubique suum proprium adhibendo, aliam operi formam induere, totumque nova quasi incude diffingere. At quoniam plurimis præterea tum alibi, tum in suprema de jure respondentium curia negotiis distineretur, non multum ejus profligaverat, certe nondum secundum

 librum

(s) *Commentat. de Reformatione relig. in Cimbria pag.* 82. Vid. & Bernh. Raupach *de rei sacræ & litterariæ in Dania statu, pag.* 43. *&c.*

librum ad finem deduxerat, quum anno hujus seculi XXII. ad ampliorem in Norvegia spartam amandatus, hinc discederet. Atque tunc illa, quam possidebat, libraria supellectili, prædivite sane cumque paucis privatorum hominum in historico præsertim genere comparanda, Regi vendita, (unde Regiæ bibliothecæ nobilissimum accessit incrementum,) non tantum omne scriptionem hanc continuandi studium deposuit, sed & quodcunque ejus habebat affectum & elucubratum, totum flammis abolevit. Quod factum cum amicis ipsius, inque his mihi, quem incredibili amore & benevolentia semper complectebatur, non posset non displicere, multo tamen magis indoluimus, comperto, eandem sortem consecutum eosdemque in ignes ivisse omnem ad CHRISTIANI V. historiam apparatum, cui colligendo jampridem vir egregius accuratam haud paucorum annorum operam industriamque impenderat. Enimvero quem nostratium, nisi cui facultas & doctrina viri eximiæque in eo animi ingeniique dotes ignoratæ, non male haberet, usque adeo ipsum sibi nominisque sui famæ, addo etiam patriæ defuisse, neque illi alteri merito, quo cunctos sibi in perpetuum antiquitatum septentrionis amantes devinxit, nempe quod Thormodi Torfæi *Historiam Norvegicam*, nunquam forte alias prodituram, sua indefessa cura suoque ære publicandam curarit, hoc saltem, quod ad gloriosissimum Regem CHRISTIANUM V. spectabat, cujusque in ipsa Norvegicæ historiæ dedicatione spem fecerat, adjecisse? Sed deplorata hæc satis sunt: imo vani, quicunque de jam perditis proferuntur, questus. Postulabant potius virtutes viri, admirabilis inprimis illa, quæ eruditionem exornavit, cunctisque in actionibus ejus effulsit, probitas; postulabat exemplum sanctitatis & innocentiæ, quod in vita hac dedit, & cujus nunc præmio candidissima anima, dudum antequam terras relinqueret cœlo inserta, in æterna beatitate fruitur; postulabant denique innumerabilia in me beneficia, ut pluribus elogium ejus verbis instruerem, utque ille me potissimum, quem ab ipsis fere adolescentiæ annis fovit, nutrivit, erudivit, ornavit, tandem moriens (t) amplissimo paterni sui affectus documento prosecutus est, nunc in memoria sua cohonestanda minus parcum experiretur. Verum cum pietatis hoc officium alium potius locum videtur exposcere, dabimus operam, ut quamprimum convenientiorem seu ratio seu fors obtulerit, ei nequaquam dicendi simus defuisse.

Sed ad laudationes revertamur Regis, historico huic volumini a nobis insertas. In eis principem locum dedimus Orationi NICOLAI HEMMINGII, plane, ut fere omnia istius viri, pulcerrimæ. Et

(t) Obiit Flensburgi Cimbrorum anno MDCCXXXVI. die XXIX. Februar. ætatis anno LXXI. postquam in Academia nostra fuerat per XXX annos Juris Professor, à Rege interea Consiliarii Status & Justitiæ titulis decoratus, Præfecturam Diœceseos Nidrosiensis in Norvegia IV. annos gesserat, totidemque deinde annos præfecturam Diœceseos Alburgensis in Jutia, ultimo vero quinquennio privatus DEO & sibi vixerat.

Et fuit profecto admirabilis vir Hemmingius, ac five doctrinam fpe-ctes, five excellentia in religionem, in rem publicam, in Academiam & patriam juventutem merita, magnis hominibus annumerandus. Plura de ipfo dicere nunc non vacat; neque, fi vacaret, omnino opus effet, cum abunde exftet & fuis & aliorum fcriptis nobilitatus: &, quæ ad vitam ipfius pertinent, repræfentata habeantur, in Vindingii *Acad. Hafn.* in Melch. Adami *Vitis Theologorum*, in Molleri *Hypomn. ad Alb. Barthol.* atque alibi. Alterius Orationis auctor JACOBUS BORDINGUS, Medicus Regius & in Academia Hafnienfi profeffor, non quidem ex noftratibus fuit, fi de patria loquendum, (erat enim domo Antverpienfis,) fed qui tres quatuorve ultimos ætatis fuæ annos apud nos exegit: ficut ex vita ejus, apud Vindingium Melch. Adami, Thomam Bartholinum in *Cifta Medica*, Jo. Mollerum &c. difcitur. Doctrinam viri, artisque quam profitebatur peritiam infignis commendabat pietas. Atque iftis nimirum oportebat moribus effe, qui in familiam CHRISTIANI III. intrarent: quemadmodum eidem Regi nunquam non fuccedebat ex voto, talibus fefe miniftris in fanctiffima aula circumdatum & ftipatum videre.

ὡς αἰεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει Θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον.

plura de Bordingo, de fcriptis ejus, de elogiis ei tributis, de pofteritate, in promptu quidem foret addere, nifi & hoc jam præftitiffe Mollerum in *Cimbria litterata* crederemus, & pleraque nobis cognita occupaffet Jac. a Melle in *Notitia majorum pag.* 48. *feqq.* & *pag.* 54. *feqq.* Orationem, quam nunc damus, ex prima Hafnienfi editione expresfam, notum eft Wittebergæ eodem anno recudendam feciffe Phil. Melanchthonem, caufis inductum, quas ipfe familiariter expofuit ad Jo. Matthefium, quæque oppido merentur hic referri: *Et vita*, inquit, *Regis Danici exemplum fuit fapientis & pii Principis, & exitus ex hac vita docet, qualis effe præparatio piæ mentis in hoc agone debeat. Quare judicavi, edendam effe orationem ab ejus medico viro docto & fapiente fcriptam, ut multi alii legant. Vellem quædam copiofius illuftrata effe; fed confulto ufum effe auctorem in luctu hac quafi lugubri forma orationis exiftimo, cum quidem addere fplendorem potuiffet* (u). Eodemque tempore pleraque ex hac oratione excerpta capita, in germanicam lingvam converfa, feorfim prodierunt. Unde & utrumque libellum poft annos xxxv. conjunctim publicavit Theophilus Glafer, ecclefiæ Dresdenfis paftor, adjecta præterea oratione JOANNIS THOMÆ RIPENSIS; quæ & ipfa locum habet in noftræ fylloge. Isque ille eft Joannes Thomæ, cui non incelebre in patria nomen fecit hymnorum, in cœtibus facris ufurpatorum, collectio, muficis notis inftructa; quam primum

(u) *Epift. Melancht. lib.* 2. *n.* 97. *col.* 271. edit. Londin. Similiter in alia epiftola (*eft ea num.* 322. *col.* 359.) idem ad J. B. Hencel. *Mitto tibi orationem de morte Regis* Daniæ: *quam judicabis exempli caufa dignam effe, quæ a multis legatur. Scriptor, ut in luctu, non adhibuit fplendorem, quem tamen adhibere poterat, cum talis fit,* ᾧ ἔνι μιῇ μορφῇ ἐπέων ἐνὶ δὲ φρένες ἐσθλαί.

primum anno MDLXIX. in lucem dedit, tunc ad templum D. Virginis pastor Hafniensis. Sed orationem de CHRISTIANO III. illam recitavit in schola Ripensi, quam, priusquam Hafniam vocaretur, regebat. Typis illa descripta fuit Basileensibus anno MDLX. ac reperitur postea inserta *Orationum in Principes funebrium tomo III.* Francof. MDLXVII. in 8vo. De auctore Mollerus in *Cimbria literata* sua plura nos jussit expectare, quam vel ipse in *Hypomnematis*, vel Terpagrius in *Ripis Cimbricis* (x) Alb. Thura in *Idea histor. literar Danicæ* (y), aliive dixere. Subnectere orationibus (z) placuit unum tantummodo carmen, cum plura licuisset: Est vero hoc, quod dedimus, *Epicedium* à JOANNE SASCERIDE scriptum, non quidem inter lucidissima illa carmina, omni Musæo lepore contacta, reponendum, sed tamen neque ineruditum adeo, neque ut omitteretur, cum Regis universam vitæ seriem, a primis usque annis deductam, tanquam in tabella sistit, promeritum. Sascerides Belga fuit, Warmenhusii haud procul Alcmaria natus, qui propter professionem purioris doctrinæ de sacro munere dejectus, e Belgio Wittebergam venerat, ibique exacto triennio, ita se probaverat Philippo Melanchthoni, ut ad Regem ab eo litteras obtineret anno MDLVII. quibus tanquam idoneus docendæ Hebrææ lingvæ in Acad. Hafn. commendabatur. Et Melanchthonis litteris erat adjunctus liber, eodem anno editus à Sasceride, Regiæque Majestati dedicatus. Complectebatur is *Odarum sive Carminum, Davidicorum aliorumque libros IX.* (a a) in quibus multa sane haud infelici metro reddita. Ab eo tempore in Daniam delatus, professionem, quam diximus, annis XXXVII magna fide & industria administravit, homo minime vulgaris, & quemadmodum observavi, a doctis istius ævi, ob eximiam quandam pietatem, magni habitus. Quæ & ipsa in omnibus ejus scriptis elucet, hodie vix inveniendis, nisi fortuito & singulari casu occurrerint. Sed nec Vindingio & Alb. Bartholino satis illa fuerunt cognita; sicut ostensum a Mollero, pleniorem dante catalogum in *Hypomnem.* Attamen neque ad hujus diligentissimi viri manus pervenerunt cuncta. Sunt enim, præter enumerata ipsi omnia, (de impressis loquor,) in nostra supellectili I. *De Agni, seu Christi Victoria contra Gogum & Magogum libri quatuor. Hafn.* 1577. *in* 8*vo.* cum memorabili ad Wilhelmum Principem Auriacum præfatione. Est autem poëma heroici generis, in quatuor libros distributum, quo Christi contra draconem, ab origine mundi usque ad ejus finem, certamina & victoriam persequitur. Ubi in transcursu id notabimus, theologum hunc nostrum in omnibus fere scriptis

(x) *Pag.* 652.
(y) *Pag.* 67. & *pag.* 347.
(z) Jacobi Furmanni *Oratio*, quam anno 1586. in 4to prodiisse dicit N. P. Sibberus in *Biblioth. Histor. Dano-Norv. pag.* 179. mihi incognita est, neque eam memini me vidisse.
(aa) *Basileæ, typis Oporini* 1557. *in* 8*vo.* Meminerunt Vindingius, Alb. Bartholinus, Borrich, *Dissertat. de Poetis pag.* 172. *&c.*

scriptis suis admodum multum studio prophetico & apocalyptico, citra ineptias tamen, summoque cum sanctitatis studio indulsisse; neque hoc solum, verum in historiis biblicis cunctisque fere Veteris Testam. libris mysteria, typos, allegorias quæsivisse. Atque hactenus de Sasceride. Cujus vena si non ubique & per totum *Epicedium*, quod adduximus, expectationi respondeat, tamen haud defuisse isto ævo in patria atque ex nostratibus, qui carmine plane nitido gloriosissimi Regis laudes decantarent, vel sola Joannis Francisci Ripensis Elegia, quam *Iter Francicum* inscripsit, fidem facit. Habetur ea inter ipsius Carmina, Lugduni ab Antonio Gryphio, qui epistolam ad lectorem præmisit, haud una re commendabilem (bb), in lucem data, eodem anno, quo auctor medicæ artis professionem in Academia patria est adeptus, hoc est, MDLXI. Neque possumus animo temperare, quin nonnullos ex eadem cultissima elegia versus, in honorem æternæ memoriæ Regis, hoc loco affigamus:

„Interea rumor perculsas occupat aures,
„Sæva Palatinum fata tulisse Ducem.
„Exstinctumque tuum clarissima Dania Regem,
„Atque alium patriæ jam dare jura meæ.
„Non secus obstupui, quam si redimita colubris
„Ante oculos starent Gorgonis ora meos.
„Scilicet hic magnis fatalis Regibus annus
„Et Ducibus, dixi, Principibusque fuit.
„Occidit æternis Cæsar virtutibus ingens
„Carolus, Hesperia contumulatus humo.
„Carolus armipotens, cui secula pace vel armis
„Nulla ferent unquam, nulla tulere parem.
„Cæsaris adde duas sublatas morte sorores,
„Quæque tuas, discors Anglia, rexit opes.
„Regis & ipse sui consortem funere raptam
„Sarmaticus largis Vistula luxit aquis.
„Adde Duces, quorum letho Germania flevit,
„Adde Palatinæ funera bina domus.
„Nec satis hoc fuerat, sed te quoque Dania Rege
„Orbavit sævæ mortis acerba dies.
„Ergo jaces, patriæ pater o fortissime, cujus
„Dextra fuit factis inclyta, clara fide.

(Ee) „Vin-

(bb) Nam ut prætercam illa, quæ in laudem Jo. Francisci attulit, nec non quibus parentis sui Sebastiani Gryphii singulare studium in recensendis poetis, cum antiquis tum recentioribus, deprædicat, docemur inde, quomodo ille in Virgilii lib. VI. Æneidos v. 775. insititius versus *Laude pudicitiæ celebres addensque superbos*, primum repertus sit, nempe in vetustissimo codice, à L. Fabricio Lampugnano I. V. C. Mediolanensi cum Ant. Gryphio communicato, qui codex an idem fuerit, in quo Hadr. Junio occurrerit, nescio. Vid. De la Cerda & Emmeness. ad *d. l.*

„Vindicibus cujus virtus se sustulit armis,
„Fregit & hostiles Marte favente minas.
„Quid loquor ut subitos sedaveris inde tumultus?
„Ut dederit victas Hafnia capta manus?
„Nil locus aut muri, nihil insuperabile vallum,
„Nil circumfusæ profuit usus aquæ.
„Læta tamen niveis plaudens victoria pennis,
„Concolor & nullo sangvine tincta fuit.
„Sed majora canam. Tu juris amator & æqui,
„Tu cultor veræ religionis eras.
„Vana superstitio quod nostris exulat oris,
„Quod dedit impietas, cedere jussa, locum,
„Se debere tibi sincero corde fatentur
„Indigenæ, quotquot Dania fortis habet.
„Nec minus ad gentes sacra pura inferre studebas,
„Frigidus a celso quas videt axe polus.
„Dicite vos Musæ, quis vos adduxerit istuc,
„Qua jacet hyberno Dania cincta mari?
„Inclytus, in terras demissus ab æthere, Princeps,
„Hoc fera barbaries vindice pulsa fuit.
„Ille domum profugis & culta palatia struxit,
„Atque alio jussit vos Helicone frui.
„Hafnia, qua numero doctorum clara virorum,
„Aonias largo flumine fundit aquas.
„Per te parta quies, Rex o fortissime, per te
„Patria tranquilla pace quieta fuit.
„Qualiter halcyonum dum pendent æthere nidi,
„Per mare securum navita carpit iter:
„Non horrenda truces exercent prælia venti,
„Sed placidis abies labitur uncta vadis:
„Talis erat regni per te florentis imago;
„Usque adeo sanctæ pacis amator eras.
„Ergo velut cultis tollit se laurus in hortis,
„Servat & æterno frondis honore comam:
„Sic tua per populos, nullo delebilis ævo,
„Gloria se liquida tollit in astra via.
„Inter & Heroas frueris felicibus illis,
„Turba quibus Christi morte redempta, bonis.
„Jamque vale: tumuloque precor secura quiescant
„Ossa, sit exuviis paxque quiesque tuis.
„Eque tuo violæ crescant & lilia busto,
„Regia perpetuis floreat urna rosis.
„At tu, qui sumis regni successor habenas &c.

Ceterum, ut dicebamus, poëtarum lucubrationes in hunc censum deferre, ut inde volumen augeretur, alienum fuit ab instituto nostro: neque illud multorum fuisse credimus approbationem habiturum.

rum. Enumerantur quidem istius generis nonnulla a Joanne Mollero in *Isagoge ad histor. Cimbr. Part. I. cap. XII.* (cc) tanquam historiam Regis illustrantia, ex gr. Ludovici Priggii *de Coronatione* ejus: Petri Hegelundii *Epicedium:* Hier. Osii *Elegia:* & ejusdem alind *poëma de rebus gestis Christiani III.* Quæ & ipsa Nic. Sibberus in *Biblioth. histor. Dan.* ex Mollero repetivit. Sed quis dubitet, ejusmodi multa, cum istorum virorum diligentiæ, tum & nostræ se subduxisse? Neque enim iis in mentem venit de Joannis Boceri elegia, longa illa, & in laudibus CHRISTIANI III. operosissima: quæ auctoris *Carminum libro III. de origine & rebus gestis Regum Dan. &c.* (dd) occurrit. Non animadversus iis *Pieridum planctus*, quem Nicol. Selneccerus concioni funebri, de Rege in arce Dresdensi habitæ, subjecit, postea inter cetera ab eodem scripta *Epitaphia*, pone *Paraphrasin Psalmi Davidici XC.* (ee) recusum. Non visum fortassis Davidis Ciceleri Magdeburgensis carmen, paucis post diebus, quam *ex miseris humanis in cælum evocatus esset* CHRISTIANUS (ut habet inscriptio,) ad filium, novum Regem, scriptum, & Wittebergæ eodem anno editum, in 4to. Non laudant bina *Epitaphia*, inter illa Joannis Amerini Ripensis (ff). Non ullius eorum meminerunt, quæ ex Erasmi Læti ubere & fœcundo ingenio, sed non semper castigata arte, profluxerunt, quamvis plura in eis, quam in reliquis omnibus, sint historica: Suntque hæc videlicet, 1. *Gratulatorium in reditum Regis in urbem Hafniensem, anno MDLI. in 4to* 2. *Daphnis, virtutum ac pietatis imperiique felicis Christiani III. sanctissimi Danorum Regis, testimonium continens:* quæ est in *Bucolicis* (gg) ejus *Ecloga VI.* ac 3. perampla de eodem Rege rebusque ejus gestis narratio, quæ *Rerum Danicarum libro IV.* incipit, tandemque in quinti libri fine terminatur (hh). Ut taceam, quod idem poëta *libro VI.* dicti operis (ii), copiose, ut solet, memoret, sibi in Regis funere partes oratoris latini fuisse impositas, quas Otthiniæ in æde Divo Canuto Regi sacra, coram Rege FRIDERICO & Senatu, impleverit. Quod itidem repetit confirmatque in *Epistola nuncupatoria ad Senatum Noribergensem, pag.* *** *4. b.* Itaque inde discimus, ternas, eodem in loco, eodemque die, conciones in exequiis Regis fuisse habitas, primam scilicet Danicam a M. Paulo Noviomago, duasque latinas, a

Jacobo

(cc) *Pag. 181. seq.*

(dd) Integer titulus est: Joannis Boceri *Carminum de origine & rebus gestis Regum Daniæ, & Ducum Holsatiæ, Comitumque Schowenburgensium libri quinque, ad Sereniss. & Potentiss. Regem Daniæ Christianum III. Anno Domini MDLVII. in 8vo.*

(ee) Nic. Selnecceri *Paraphrasis Psalterii S. Carminum Davidicor. libri V. Epitaphia virorum insignium inserta Psalmo nonagesimo. Henricopoli 1573. in 12mo.*

(ff) Jo. Amerini Ripensis *Carminum varii generis lib. I. Witteberg. 1576. in 8vo.*

(gg) Edita sunt *Witteb. 1560. in 8vo. cum præfat.* Philippi Melanchthonis.

(hh) Incipit *pag. 198.* & finitur *pag. 248.*

(ii) *Pag. 255. seqq.*

acobo Bordingo & Erasmo Læto recitatas. Præter illas, quibus templa Hafniensia personabant, illamque ab Hemmingio in Academia habitam. Verum an Læti oratio unquam lucem viderit, magnopere dubito, & quæ causæ extiterint, cur eandem auctor. minime alias lucubrationum suarum parcus aut tenax presserit, lubenter vellem edoceri. At sarcivit ipse damnum hoc uberrime, in illa, quam modo citabam, epistola *quatuor de Republ. Noribergensi Carminum libris* quæ præmittitur, ubi longum de CHRISTIANO nostro præconium inseruit, quod certe pars poterit videri Orationis ejus. Illud vero totum, quoniam & nonnulla continet haud facile alibi reperienda, & haud amplius inter vulgares libros dictum opus numeratur, sperabo lectores æquo animo laturos, si unam hic quoque alteramque paginam impleverit. Ita vero habet: „CHRISTIANI TERTII nomen „& virtutum, quibus non domesticis tantum suis, sed multis Europæ „gentibus innotuit, commemorationem breviter complectar: ut & „hoc in locoranti principis memoria, ceu publicum virtutis, pietatis„que ac humanitatis ejus testimonium, cum grata posteritatis recorda„tione atque imitandi desiderio conspiciatur. Huic enim Regi nihil ad of„ficia, nihil ad virtutis cultum, denique nihil ad omnem animi benevo„lentiam ac pietatis curam deerat. Et cum pacem quacunque ratio„ne constitutam omnibus ex bello victoriis anteposuisset; equidem „ita pacis artes coluit, ut & charus omnibus externis, & suis subdi„tis cumprimis admirandus complectendusque esse videretur. Erat „in eo summa ad gerendum imperium industria, conciliandisque be„nevolentia ac morum suavitate hominibus à natura ipsa factus pu„tabatur. Supra enim formæ venustatem, qua, ut sciunt multi, (re„cens enim est mortuus,) mirum in modum excellebat; inerat ei „hæc, de qua nunc loquor, tacita naturæ vis ad contrahendas ex vir„tute familiaritates: adeo ut cum illum & sui suspicere; & externi „amare ac revereri sint visi; equidem clientela, affinitatibus ac fœde„rum religione præcipuam inter Christianos Principes nobilitatem, „egregia certe meritorum ac fidei constantia devinctam retinuerit; „semperque & sibi, & suis retinendam esse existimarit. Exemplo „autem intra parietes domesticos tali mehercle prælucebat, ut sum„mo rectissimoque ac plane Christiano morum usu omnibus homi„num statibus, omnibusque ordinibus eum commendari posse pu„tem. Si nihil fortasse officiebat valetudini, equidem primis diei ho„ris, ipso statim mane, de lecto solitus est surgere: expeditaque, quæ „circa vestimentorum ac corporis ornandi curam erat, consvetudine; „cum habitu ille simplici tantum, & nihil propemodum luxuriante „uteretur, ad preces sese contulit: in quibus ardenter, magnisque & „veris gemitibus coram DEO versatus est. Ab illis digressus, impe„rabat necessaria familiæ; protinusque accessit ad legendum: & si ni„hil negociorum aliorum magnitudine impediebatur, magnam ple„runque absumpsit temporis antemeridiani partem sacris Bibliis or„dine atque assidue perlegendis. Ita occupatum interturbare audebat „nemo. Finita lectione, quam voce clara expeditaque semper absol-

„vebat,

„vebat, fas erat ſingulis accedere, quæque cuiusque officii erant, di-
„ligenter exequi. Ipſe progreſſus extra curiam, paululum ante pran-
„dium vacabat ambulationi, cauſasque miſerorum cognoſcebat: cum-
„que ſupplices libellos diligenter etiam colligeret, equidem & beni-
„gne reſpondendo, & poſtea juſte providendo, multorum expectatio-
„nibus mature ſatisfaciebat. Salus igitur hæc cuique prima viſa eſt,
„ſi ipſum adiiſſet Principem: quod illo nullus eſſet ad juvandum mi-
„ſeros propenſior; & eorum querelas memoria arctiſſima cuſtodiret:
„ut qui vehemente admodum deſiderio expeteret afflictis, & quam-
„cunque neceſſitatem tolerantibus tempeſtive profecto ac magno con-
„ſolationis bono opitulari. Poſt prandium eadem pene ſunt repetita
„ſtudia: niſi quod tum quidem temporis interpretem aliquem Scri-
„pturarum evolvere ſit ſolitus. A quibus exercitiis ad interiores non-
„nunquam recreationes divertebat: quo præter familiarem unum aut
„certe alterum, neminem quidem induci ſecum paſſus eſt. Vel enim
„ipſe aliquid interdum operis mechanici tractare geſtiit: vel dirigen-
„dis æquandisque bombardis; quas ille affabrè politeque concinnatas
„paratasque e veſtris (*Noribergenſium*) artificibus habebat plurimas,
„delectabatur: Vel aliis aſtabat ipſe ſpectator operantibus; & iis qui-
„dem ante omnes maxime, qvi vel Chimia diſtillationibusque impu-
„ra puris tollerent: vel auro fabricando præcipuam induſtriam oſten-
„dere omnino potuerunt. Johanni vero Sibenio aurifabro, qui au-
„tomatis parandis ſummus erat artifex, & frequens aderat, & actio-
„num formas ſuo conſilio ac diligentia interdum auxit, interdum e-
„mendavit. Teſtatur hanc induſtriam venuſtum illud & cumprimis
„admirandum Horologium, quod ipſe fieri concinnarique & ornari
„juſſit impenſis plane maximis: cui ne hoc quidem æquandum eſſe
„ſtatuas, quod à Perſarum Rege Carolo Magno Imperatori donatum
„miſſumque eſſe referunt. Voluptas autem huic Regi erat pene ma-
„xima; in Bibliothecam, quam habebat inſtructiſſimam, frequenter
„ventitare, ibique aſſidere, ambulareque & aliquandiu commorari. E
„librorum numero, efferre ſecum ipſe interdum aliquem eſt ſolitus:
„interdum chartas tabulasque geographicas manu ſua pertulit in ca-
„meram. Hiſce enim exercebatur; & quidem æſtivis temporibus a
„cœna maxime: quod hujusmodi locorum limitumque deſcriptioni-
„bus mirifice oblectaretur: Stomachatus interdum etiam, quod ado-
„leſcens minus ſpacii, terrarumque ac nationum cognoſcendo perlu-
„ſtraviſſet. Hæc ſtudia admirabatur, non tantum naturæ ingeniique
„præclara indole; ſed cum doctrinas ex animo haberet charas, eas-
„que non magni tantum, ſed & maximi omnino faceret, equidem
„eruditos omnes non tantum honeſta voluntate complexus eſt: verum
„etiam ipſe ſibi in aula præſtantes voluit atque egregie doctos adeſſe
„plurimos: quorum vel conſilio, vel colloquiis eruditis ac modeſta
„ſvavique conſvetudine delectatus; optimam ſane vitæ partem hujus-
„modi quidem voluptatibus transmittendam ſibi eſſe exiſtimavit. Etſi
„autem haud tenui eos numero cenſeri poſſe ſtatuas, qui conſiliis ac

 „doctr

„doctrina clari, ceu ad manus semper adfuere Christiano: tamen post „admirandum illum atque incomparabilem Heroa, virtutisque omnis „antistitem & patronum Johannem Frysium, Cancellarium & para„staten; post Petrum Oxe de Gyssefelt; & Corficium Wlfeldium; vi„ros consiliarios & sapientes, præcipuos habebat secum Paulum No„viomagum, & Henricum à Bruchoffen Buschoducensem, concio„natores & theologos; Bernhardum Wichboldum Groningensem, „Jureconsultum; & Antonium ab Hanisck Misnensem, virum & vir„tutibus omnino ceteris præstantem, & animi constantia ita gratum, „ut cum cognitione literarum antecelleret, equidem ob exploratam „hanc fidei morumque rectitudinem, sigilli, quod secretum vocant, „custodiam illi committendam esse, Rex ipse arbitratus sit. Horum „igitur quod viri boni, & præclare eruditi omnes essent, consvetudi„nem ac familiaritates aulicis multorum ineptiis antepofuit: eosque „sibi velut conjunctissimos a latere non discedere, nusquam pene ab„esse passus est. Eorum vero studiis cum is ad cognoscendam doctri„narum liberalium præstantiam incitaretur, mirum profecto est, quan„to ardore, quantaque animi promptitudine bonas interea literas „complexus sit; idque hujusmodi omnino argumento maxime, quod „Professores ipsos & summa sit humanitate prosecutus, & hujusmo„di illos honoribus affecerit: qui non præsentem tantum aliquam te„stari benevolentiam potuerint: sed liberali eorum sustentationi plu„rimum attulerint præsidii: dum aliis Canonicatus, aliis Decimas, „quibusdam Vicariatus, ex aliis Ecclesiarum collegiis adjiceret: unde „facta stipendiorum liberalior accessio, eximiam profecto alacri„tatem intulit docentibus: quorum diligentia & Scholæ dignitas, & „nomen disciplinis comparatum est; quæ tum quidem apud nos & „depurgatæ sordibus, & manifesta utilitatis ratione proponi atque ex„plicari cœptæ sunt. Ventitabat in Scholam subinde non stipatus „multis; ingressusque operam dedit publice docentibus. Eo nomine „& reverentiam auxit in discipulis, & authoritatem doctoribus con„ciliavit. Invitatos interdum Professores, suæque mensæ etiam ad„motos non excepit tantum & tractavit liberaliter; sed & de Scholæ „statu rebusque necessariis diligenter sciscitatus est. Hac Regis bo„nitate judicioque consultum est honoribus docentium in Academia, „adversus calumnias eorum qui persequuntur literas: quorumque in „multis principum aulis copiosus subinde numerus est & proventus „singularis.

„Cum certamen aliquando esset Collegio Lundensi adversus „doctrinæ tum apud nos repurgatæ formam, (serius enim ejus Ec„clesiæ Canonici mutationem rituum & superstitionis abolitionem „suffragiis ac consensu suo approbaverunt): ea vero de re futurum „esset publice colloquium in Academia Hafniensi: cum sententiarum „collationem Lundenses minime detrectavissent; quod viris & doctri„na præcipuis, & authoritate maximis in hunc etiam diem Collegi-

„um

„um Lundense antecellat: ingressus Scholam est Rex CHRISTIA-„NUS die constituto: quodque mirum fortasse est, cum ingens fri-„gus esset, & de crure altero, ut scimus, laboraret; inter primos ta-„men adfuit; assediteque mediis in gradibus sine pompa atque osten-„tatione: E quo loco & justa authoritate, & exhortatione placida to-„tum colloquii actum ad optimum & salutarem Ecclesiæ finem per-„duxit ac gubernavit. Hæc res magnam ipsi cum pietatis laudem, „tum studii conatusque propagandi Evangelii de Christo, veram pro-„fecto & solidam existimationem attulit. Hujusmodi autem colloquio „id perfectum est, Palladii, Machabæique & Sinningii studiis atque „industria præcipua, ut sententia Lundenses cederent, seque Eccle-„siis nostris junxerint, & assensum subscriptionibus manuque sua „haud inviti confirmarint.

„Sed orationem hisce quidem de rebus non faciam hoc in lo-„co prolixiorem. Tota enim Regis hujus vita pulcerrimis ac sva-„vissimis morum exemplis, ceu fonte quodam ad omnem clementiæ, „fortitudinis ac bonitatis admirationem uberrimo ditissimoque re-„dundabat: ita, ut si in omnes actiones privatæ vitæ ac conversatio-„nis hujus intueri libeat, equidem & sanctissima vitæ instituta, & a-„gendi jucundissimas omnino rationes comperias ac fateare. Con-„flictabatur subinde morbis, iisque & maximis profecto, & interdum „etiam longissimis: a quibus tamen eluctatus est, partim naturæ be-„neficio, partim ope Medicorum qui apud hunc Regem summo sem-„per loco & habiti sunt, & authoritate valuerunt. Inter eos tamen „peritia ac medendi felicitate clarissimos novi Johannem Pomerium, „Anglum, Jacobum Bordingum, & Cornelium Amsfortium, Docto-„res; Paschasium vero, Jacobum Hasenbarthium, & Robertum „Geilshemium Chirurgos: qui & viri erant boni, & artificio præsta-„bant excellente; aulamque secuti magno certe consilio magnisque „deliberationibus hanc curam circa sanitatem Regis perfecerunt; do-„nec circumacta mali istius ultima fatalique periodo, sanctam pro-„fecto & gloriosam inter suos vitam Coldingi CHRISTIANUS fini-„it. Qui Ottoniam postea translatus est: ibique amplissimæ Nobili-„tatis humeris elatus: & a me laudatus oratione publica Latina; a-„stante FRIDERICO filio, designato Rege; præsentibusque Holsatiæ „Ducibus, fratribus; atque inclyto ipso regni Senatu jam tum pulla-„to, communemque patriæ atque amplissimi ordinis dolorem luctum-„que testante, in Canutina Ottoniensium æde sarcophago includitur: „qvo loci Regiam, quæ alibi futura aliquando est, sepulturam expe-„ctat ac præstolatur.„ Hucusque Erasmi Læti verba. Insuper no-bis compertum, per ipsum illud tempus quo justa Regio funeri pa-rabantur mandatum a FRIDERICO Rege exiisse, ut in toto regno tres continui dies sacri sequenti mense agerentur, concionum ac pre-cum exercitio, quo populus ex divino verbo de memoria defuncti Regis pie recolenda, atque de obedientia erga novum Regem admo-neretur, celebrandi. Ac de eo quidem ipsius Palladii ad collegas suos,

cete-

ceterarum diœcesium superintendentes, literas habemus ipsius manu subnotatas, quarum exemplum, lectori non invidebimus, ad oram hujus paginæ apponendum (kk). At, quod ex Joan. Molleri, sæpius nobis laudati, aliorumque indicio, persvasum multis fuit, extare aliquam, sub Petri Palladii nomine, latine scriptam *Narrationem de excessu* CHRISTIANI III. atque Hafniæ ipso anno MDLIX. seorsim editam, cujus Philippus Melanchthon auctor fuerit, plusquam simplicem errorem continet. Verissimum quidem], istius argumenti libellum a Palladio fuisse vulgatum eo anno: idque nobis, non tam Vindingii & Alb. Bartholini, (quorum neuter vel de editionis forma, vel de lingva, qua conscriptus fuit, meminit,) quam oculorum nostrorum testimonio confirmatum. Est idem formâ, quam vulgo *Bavam* appellant, & sermone scriptus danico. Nihil vero aliud, quan-

(kk) „DEI gratiam & pacem per JEsum Christum. Venerande Domine „Superintendens, frater in Christo charissime, post omnem animi gratitudinem & pro beneficiis gratiarum actionem. Audivisti procul dubio, Venerande D. Superintendens, summo cum dolore de obitu piissimi Regis nostri Christiani tertii, cujus beneficiis in utroque Statu per „continuos 24. annos & ultra in hoc regno, per ipsius administrationem „piissimam usi sumus. DEUS autem nunc in hoc novo anno splendidissimum Regni hujus lumen, propter ingratitudinem nostram e medio „tollere coactus. Quare filius ejus clementissimus, noster Princeps, Fredericus Secundus, omni virtutum genere nobilissimus, propter varias, „magnas atque etiam arduas causas, mox e vestigio, funebri pompa charissimi patris peracta prius, edito edicto, per totum hoc regnum dies „precum constitui curavit. Admiranda sane & laudanda, atque etiam „absque omni tergiversatione obtemperanda & amplectenda Principis „nostri clementissimi voluntas. Signavi igitur tuæ præstantiæ textus, „materiam & locos, de quibus tractandum erit publicarum precum diebus. Erit itaque Concio primæ diei, de *Magistratu Ecclesiastico*, ejusque officiis in ecclesia, cui serviet hic textus, ad Tit. I. *Hujus rei reliqui &c.* usque ad hæc verba, *sunt enim multi &c.* Concio secundæ diei, de *Magistratu politico ejusque officiis*, cui serviet hic textus, ad „Rom. 13. a principio capitis usque ad hæc verba, *DEI enim minister est &c.* Concio vero diei tertiæ erit, *de Subditorum vera obedientia* „*DEO & ordinario magistratui deferenda*. Cui serviet hic textus, „1. Pet. 2. *Subditi igitur &c.* usque ad hæc verba, *omnes honorate*, „*fraternitatem diligite*, *DEum timete*, *Regem honorificate*. Hos prædictos locos delegi in hisce diebus proponendos & promulgandos. Tempus autem, in quo celebrabuntur precum dies & inscriptæ proponentur „conciones per totum hoc regnum Danicum, erit videl. die Lunæ, Martis & Mercurii post Lætare, hoc est 6. 7. & 8. dieb. Martii. Rogo igitur „Dm. Superintendentem, ut has præscriptas conciones per semetipsum „formare velit. In hoc enim facit DEO & Principi nostro Clem. rem gratam & Regno perneceſſariam. Ego sane solito more formassem & amplificassem hasce conciones, si adversa mea valetudo hoc non impediret; quoniam lecto decumbo. Velim itaque ut Ds. Superintendens ignoscat, & infirmitatem meam consideret. Interim in Christo JEsu feliciter valeat. Hafniæ 8. Februar. 1559. *Tuus in omnibus Petrus Palladius propria manu subscripsit.*

quantum ad hiſtorica, continet, quam quod ex Bordingo Palladius accepit, & vernacule bona fide exhibuit (ll): reliqua ad FRIDERICUM II. ſunt conſolatoria. At illud, in quo Philippus ſuo illi amico veteri, ac tum maxime ægrotanti, ſtylum commodavit, aliud quiddam erat, neque ſeorſim editum, neque *Narrationis* titulo inter viri ſcripta poſitum unquam, aut ponendum. Erat nimirum epiſtola, qua *Librorum Moiſi explicatio*, notum illud Palladii opus, Regi FRIDERICO, parentem jam alterum menſem lugenti, inſcribebatur, quæque in ejusdem libri fronte legitur. Illa enim epiſtola, ſive præfatio, tota quanta eſt, in laudatione beatiſſimi Regis conſumitur, & exequialem potius concionem, quam quod vulgo dedicationem vocamus, refert. Nempe miſerat ad Philippum Palladius librum illum ſuum, cenſendum, & Wittebergenſibus typis imprimendum, (qui & ibi fuit excuſus:) atque haud dubie rogarat etiam, ut in alloquendo Rege ſuas ægrotantis & decumbentis partes ſubiret. Accedit, quod nemo, in utriusque viri ſcriptis verſatus, non illico agnoſcat Philippi manum. Idem enim naturale & candidum elocutionis genus, idem minime fucatus nitor, eadem verborum & ſententiarum conformatio, quæ in ceteris ipſius ſcriptis, hic elucet. Inſuper, (etſi hoc leve forſitan,) ipſa in concluſione epiſtolæ, nota temporis adſcripta Philippum arguit. Simili enim, ex ſua peculiari ſcilicet computandi ratione, ſæpe uſus deprehenditur: multosque in ea re poſtea imitatores habuit. Ac eandem plane adhibuerat biennio ante, in ſubſcriptione Academici teſtimonii, quod in noſtris nunc eſt manibus, candidato ſacri muneris cuidam dato, ubi ipſe Philippus manu ſua hæc ſubnotavit: „Datæ Wittebergæ anno 1557. die *25. Martii, quo die Filius „DEi ante annos 1523. in cruce victima factus eſt. Quo die & Adam & He„va creatos eſſe ſcribitur ante annos 5519. Philippus Melanchthon.*„ Verbo, omnibus collatis & expenſis, non amplius tantum veriſimile eſſe, ſed apertum & demonſtratum puto, laudatam epiſtolam dedicatoriam, Palladianæ *Explicationi librorum Moſis* præfixam, Melanchthonem dicere voluiſſe, quando illa ad Chytræum, quibus Mollerus aliique ad diverſam opinionem inducti, ſcribebat (mm). Num igitur ad eandem magni viri, Palladium mentiti, ſcriptionem digitum intenderit Willichius Weſthovius, quando in carmine, *Regiæ Danorum Academiæ* laudibus dicato, ſic cecinit:

(ll) Inſcribitur ſic: „Höyborne Fyrſtes och Stormæctige Herre og Konning „CHRISTIANS DEN TREDIE til Danmarck oc Norrige, rette Affsked aff denne forgengelige Werden. Anno 1559.„

(mm) *Epiſt. Chytr. pag.* 1218. ubi Philippus ſic: *Meminiſti Regis laudationem apud* Homerum, πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν. *Talis cum fuerit* Rex *Danicus, grati memoriam ejus ad poſteros transmittamus. Quare & opt. & doctiſſ. Viro D. Bordingo gratiam habeo, quod orationem de Regis Danici pietate & migratione edidit, & tuo officio delector, quod exempla mihi miſiſti. Curavi & hic a typographis edi. Et quædam de eo, nomine Palladii ſcripſi.*

Tertius ad reliquos cedit Christianus, ab ulla
Nunquam laudatus, nunquam laudandus ab ulla
Voce satis: quanquam laudatus voce Philippi.

an vero aliud quoddam opus Philippeum respexerit, nullius momenti est inquirere. Quis enim vel nescit, vel dubitat saltem, plures potuisse occasiones nasci, ac revera etiam incidisse, quibus ille Principem, quem in ore atque animo habebat (nn), ingentibus etiam in se suique similes beneficiis provocatus, celebraret. Denique nihil inusitatum, neque adeo nobis magnum habendum, quod tanta Rex pietate debitum excelsissimæ virtuti præmium, a doctis hominibus isto animo istaque indole, quali Melanchthon præditus, obtinuerit. Sed nec quidem mirandum, ut credidero, quod post fata sua, a magno scriptorum probatissimorum numero, a Chytræo (oo), a Thuano (pp), a Peu-

(nn) Huc pertinet, quod in Petri Hegelundii, Episcopi olim Ripensis, scripto quodam observavi, alibi etiam, & iisdem fere verbis in Joannis Thomæi oratione (pag. 452.) legendum; *Ferebatur per id tempus* (regnante CHRISTIANO III.) *piissimus doctissimusque Philippus Melanchthon sæpe deprædicasse Daniæ felicitatem, quam assimilabat* Reipublicæ *in Capernaum, cujus incolæ concivesque erant* CHRISTUS *ipse*, JAIRUS *Archisynagogus*, CENTURIO, *quia amabat gentem Judaicam, ædificavitque ipsis Synagogam, &* ΒΑΣΙΛΙΚΟΣ. *Ita in Dania fuisse tum bene constitutam felicemque Rempublicam, ubi* Rex *esset vere CHRISTIANUS, ecclesiæ & scholarum nutritius, reliqui* Magistratus *pii, Doctores Ecclesiæ boni &* ὀρθόδοξοι.

(oo) *Saxon. lib. XIX in anno* 1558. *p.* 555. ubi de Revaliensibus & Esthoniis agitur, sese & res suas Regi offerentibus loquitur: *Sed optimus Rex, jam senex & morti vicinus legatis respondit, satis sibi ditionum ac populorum a DEO subditum esse &c. - - & paulo post Calendis Januarii incohoantibus annum 1559. pie & placide animam sanctam & DEO caram reddidit.* Sic & in dedicatione *libri Josuæ explicati*, ad FRIDERICUM II. dicit parentem ejus *vere* CHRISTIANUM *& sanctum Regem, Josuæ Biblico, vera pietate, sapientia, magnitudine animi, orta ex fiducia præsentiæ DEI, fortitudine in prælius, justitia & moderatione in toto imperio simillimum fuisse.*

(pp) *Lib. XXII.* ab initio: *Januario ineunte Christianus* Daniæ Rex, *Friderici filius, princeps summa animi æquitate & moderatione fatis concessit Coldingæ, Chersonesi Cimbricæ oppido, cum annos LVI. menses III. dies XX. vixisset, ac XXIV. annos regnasset. Ejus maxime memorabilia hæc sunt: quod Clementem piratam Jutiæ vastatorem ceperit, & capitis damnatum quatuor rotis imposuerit: Lubecensium & Christophori Oldenburgi instructissimas copias quæ ditionem paternam invaserant, ad Asniam Fioniæ urbem edita ingenti strage profligaverit: parta pace S. Biblia in Danicam linguam transferenda curaverit: Hafniensem scholam & in ea bibliothecam instituerit. Paulo antequam moreretur, patruelem captivum perhumane invisit: cumque multa in familiari colloquio ambo simul contulissent, deprecati alternas inimicitias, invicem sibi injurias condonavere.*

a Peucero (qq), a Caselio (rr), a Beuthero (ss), a Leutingero (tt), a Lun-

(qq) In *Chron. Carionis lib. V. pag* 555. (edit. *in fol.*) *Ex bujus* (Christiani I.) *posteritate natus est Christianus II. in quo dubito justitiæne prius mirer bellive laborem. Reddit enim pacem Daniæ, sopitis atque sepultis bellis, reddidit lucem veræ doctrinæ, restituit Ecclesias, & justissime in summa tranquillitate regnum administravit.*

(rr) In *libro de laudibus Elisabethæ Cimbricæ* Rostoch. 1586. *p. C. 2. b.* CHRISTIANUS III. *regnum accepit, nec plane quietum, neque sine armis, uti fit, ubi non pacata sunt omnia. Sed initio juri potissima, reliqua, non multa, armis cessere, spatio annuo. Ibi tum Rex publice, otium, leges, judicia, scholas, religionem constituit: in primis Academiam ornavit, accitis viris doctissimis, quos & munifice habuit. A regia vero exterminavit luxum, injuriam, quæque his comitantur, assentationem & calumniam, ut esset veluti templum frugalitatis, veritatis, justitiæ, modestiæ, & quæ harum dux merito censetur, sinceræ in DEum pietatis. Ut autem ipse pius non simulato fuerit, cum omnibus vitæ partibus ostendit, tum extremo ejus actu, quando inter preces suas & amicorum, pæne id cernente familia, auctori animam reddidit, quod ut rarum apud Reges exemplum, diligenter litteris proditum est, & multi cum admiratione referunt. Hic frater, cujus regiæ potentiæ par vitæ sanctimonia perhibetur, Elisabetham educavit.* Ita & in *Epitaphio* libro *Friderico II. ad regni senatores, anno* 1588. permulta Caselius in laudem Christiani III. enarravit: nec non in pluribus scriptis, quæ inferre hic nimis longum.

(ss) In *Append. Commentarior. de rebus in Europa &c. gestis,* (*ed. Argent.* 1568. *f.*) *pag.* 108. *b. Calendis Januarii optimus summæque pietatis princeps, & vere Christianus, Rex Daniæ atque Norvagiæ, ex hac vita ad cœlestem patriam est evocatus.*

(tt) Longum & omnibus numeris absolutum est elogium, quod *Orationi in obitum Annæ,* Augusti Electoris conjugis, insertum legitur a Leutingero, (*pag. Opp.* 1423 - 1428.) quo CHRISTIANUM III. ut *regium pietatis & omnis generis absolutissimarum virtutum exemplum proponitur*: qui *non tantum publice talis videri, sed intra ipsa penetralia conclaviaque secretiora, quod quidem cum paucis commune habuit, etiam esse voluerit:* quod *nutritius Ecclesiam paterna cura adjuverit, justitiam ex æquo administraverit, imperium gesserit anæmaton, vocatusque ad fœdera, & exstimulatus ad bella, sapienter iis, conservata subditis suis pace, vicinis regnis undique belli incendiis gliscentibus & ardentibus, abstinuerit, & quasi tritum habuerit, facile esse regnum turbare & inquietum reddere, sed in tranquillum restituere, opus & laborem requirere:* quod *ejus clementiæ fuerit, ut non solum damnatos interdum misericordia ductus absolveret, sed in se contumeliosos quoque pro delicti gravitate minime ulcisceretur, & absque delectu beneficus esset, sæpe etiam sponte offerret;* quod *ad reliquas virtutes castitatem, sobrietatem & temperantiam adjecerit, quod in aulis tunc rarum esset &c.* quod *factum illi sit secundum verbum Domini: Honorantes me glorificabo. Cum tanta in auctoritate apud* Reges *fuerit, tanta apud suos gratia, in tanta denique apud omnes laude constitutus, ut quibus officiis, obsequiis & encomiis eum sibi demereri possent, vix invenirent. Et quamvis sanctus in vivis Rex crederetur, sanctior tamen post funera habitus, etiam apud adversarios: &c* quod *linguas & studia impense amaverit, aliisque auctor ad discendum fuerit, filios itidem præclare erudiri voluerit &c.*

a Lundorpio (uu), ab Ubbone Emmio (xx), a Conr. Lautenbachio (yy), a Reusnero (zz), ab Henningesio (aaa), ab Hamelmanno (bbb), a Ribiero (ccc), & ab aliis plurimis prædicatus, & tanquam singulare Principibus exemplum in humani generis theatrum productus sit. Verum ab acerrimo Principum censore, ab illo, qui tam parum Regibus indulgere noverat aut ignoscere, & qui nequaquam nostro huic obnoxius, tantummodo e longinquo virtutes ejus contemplabatur, hoc est, a Georgio Buchanano, eo esse præconio nobilitatum, ut OPTIMUS OMNIUM SUÆ MEMORIÆ REGUM (ddd) haberetur, fallor, annon in hoc genere judiciorum videri possit aliquanto amplius æstimandum. Sed vela nobis contrahenda, ne in grandem nimis librum excrescat præfatio. Vale, lector, &, si bonus es & candidus, tot propositis in uno Principe exemplis fruere. Atque ut, Divini Numinis beneficio, multi septentrioni, multi orbi Christiano, multi generi humano similes CHRISTIANO III. rectores contingant, nobiscum opta.

(uu) Lundorp. *Contin. Sleid. pag.* 110. *In anno* 1559. ubi post descripta Thuani verba, hæc addit: *Mirandum non immerito, Christianum hunc, per XXIV. annos, regnum tam pacifice, prudenter ac sapienter administrasse, quod tamen intra seculum nulli* Danorum Regum *contigit, ita ut illud plerique sapientum singulare* DEI *donum ac beneficium fuisse, non sinistre prædicent.*

(xx) Ubb. Emmius *Rerum Chronolog. lib. V. pag.* 207. *Christianus III. rex pientissimus & optimus post* 24 *regni annos, anno Christi* 1559. *ipsis Cal.* Jan. *vita defunctus.* Et *Histor. Fris. lib.* 57. *pag.* 886. de societate ejus cum Carolo Geldro, & disturbatis per eam anno 1536. consiliis Burgundicis loquens, vocat *solertissimi ingenii principem.*

(yy) In *Continuat. Sleidani*, germanice per Os. Schadæum, *P.* 1. *lib. IV. col.* 152. ubi ex Thuani, Peuceri, aliorumque verbis contextum elogium.

(zz) In *Stirpe Witikindea*, & *Opere Geneal.* Βασιλ. *pag.* 361. *s.* ubi & hæc: *Domus ejus fuit templum Spiritus Sancti, prudentiæ oculus, libra justitiæ, fortitudinis sedes, regula temperantiæ, honestatis exemplar, fons gratiarum, Musarum chorus, doctorum gymnasium, theologorum sacrarium, pauperum mensa, refugium innocentum, præsidium miserorum. Verbo: princeps pientissimus, christianissimus, invictissimus.*

(aaa) *Geneal. Monarch. IV. P. II. & III. pag.* 276. *Princeps pietate, justitia, moderatione, prudentia, sapientia, & reliquis heroicis virtutibus aliis Regibus prælucens.*

(bbb) In *Genealogiis Comitum &c. Opp. pag.* 367. CHRISTIANUS III. *animose omnes adversarios vicit & e regno ejecit, & deinde pacifice occupavit regnum &c. ac ita in vera pietate, in vera invocatione & timore DEI vixit omnibus diebus vitæ suæ.* Plura habet inferius *pag.* 454. item prolixa in *Chron. Oldenburg.* german. *pag.* 344. *ad pag.* 350.

(ccc) Ribier *Lettres & Memoires d' Etat, lib.* 2. *pag.* 103. *De ce Roy on celebre la pieté, la justice & moderation, la prudence, & autres vertus heroiques, plus que de nul autre des Roys de Danemarc. Aussi estoit il autant aimé & reveré de ses subjets, que le Roy Christierne II son proche parent, qu' il tenoit prisonnier, quoyque beaufrere de l' Empereur, en estoit hay.*

(ddd) *Rerum Scoticar. lib. XX. cap. XLII.*

) *** (

PRÆFATIONIS CONSPECTUS.

De Claudio Christophoro Lyschandro, *& qualis fuerit ab ipso inchoata* CHRISTIANI III. historia, p. 34.

Jo. Meursius *in scriptione historiæ laudati Regis*, *quantum nostro* Cragio *debuerit*, p. 34. sq.

Meursii & Cragii *dotes*, *utrinque eximiæ*, p. 36.

Specimina barbariei Lyschandrinæ, p. 37 -- 40.

Ejusdem scriptoris narratio de CHRISTIERNO II. *haud omnino inficianda*, p. 41.

Alia de eodem Rege narratio, *omnino falsa*, p. 42.

Fidelitas Cragii *in scribendo*, ibid.

Idem multa habet, Hvitfeldio *ignorata*, *certe omissa*; *quod pluribus exemplis declaratur*. p 43 -- 46.

Longa digressio de fœdere Smalcaldico, *belloque inter* Cæsarem & Protestantes *gesto*: *ubi calumniari eos*, *qui* CHRISTIANUM III. *violati fœderis & desertæ Evangelicorum causæ accusant*, *fuse & explicate ostenditur*, p. 47 -- 67.

Apud Hvitfeldium *quænam habeantur*, Cragio *præterita*, p. 68.

Meursius *quæ amputavit*, *memoratu parum digna arbitratus*, p. 69.

De partitione Ducatuum Slesv. & Holsat. quam scilicet uterque, & Hvitfeldius & Cragius, *leviter attigerunt*, pag. 69. sq.

Cragii *affectatio in nominibus propriis Romono more effingendis*, p. 71.

De Stephano Stephanio, *ejusque in continuanda hist.* CHRIST. III. *instituto* p. 71. sq.

De dicti istius scriptoris vita atque meritis nonnulla p. 73. sq.

Indiligentiæ ejus in historia pauca quædam exempla, p. 75. sq.

De Jo. Lascio, *& exulibus Anglis*: *ubi de denegato in* Dania *eis hospitio agitur*, *contra obtrectatores*, p. 76 -- 79.

De Petro Oxo *narratio* Stephanii *corrigitur atque explicatur*: *atque de vita*, *fatis ac meritis illius viri haud pauca proferuntur* p. 79 -- 88.

De Christierni Petræi *versione Danica* Saxonis Grammatici, p. 89. sq.

Locus Stephanii, *quo Regem de fatali bora admonitum fuisse refert*, *examinatur*; *& quantum credi de ea re possit ac debeat, indicatur*, p. 90 -- 94.

Pauca ex aliis auctoribus loca Stephanio *transcripta*, p. 94. sq.

De Additamentis *ad hanc historiam*, *videl.* 1. Sanctione, *seu* Recessu Hafniensi. 2. Libro Ordinationis Ecclesiasticæ: *ubi varia ad hujus historiam ex primo exemplari Danico MS. adducuntur*; *simulque refelluntur ii*, *qui de* Bugenhagio, *tanquam unico ejusdem operis auctore*, *loquuntur*, p. 96 -- 102. 3. De Academiæ Fundatione, p. 102.

De iis, *quibus*, *præter laudatos jam scriptores*, *propositum fuit*, *res* CHRIST. III. *litteris mandare*, p. 102 -- 106.

Orationum *adjectarum auctores describuntur*: Hemmingius, p. 106. Jac. Bordingius, p. 107. Jo. Thomæ Ripensis, ibid. sq. *ac* Jo. Sascerides, p. 108.

De Jo. Francisci Ripensis *Elegia*, *quam* Iter Francicum *nominavit*, p. 109. sq. *enumeratis hac occasione pluribus* CHRISTIANI III. *laudationibus metricis*.

Ex Erasmi Læti *præfatione ad Remp. Noriberg*, *longum eidem Regi scriptum*

INDEX
IN PRÆFATIONEM.

INDEX
NOMINUM PROPRIORUM,
in quibus latine interpretandis NIC. CRAGIUS non semper communem aliisve usitatam rationem videtur secutus.

Accius, & *Accilius*, Nomen proprium viri, Danice *Axel*. Ita *Accius Brabeus*, est *Axel Brabe*, sive, ut isto seculo communius scribebatur, *Axel Brade*. *Accius*, vel *Axilius Ugeropius*, est *Axel Ugerup*. Verum quin simplex illud *Axelius*, Stephanio adamatum, multo rectius sit, nullum dubium. Majores nostri nonnunquam *Absalonis* illo reddiderunt.

Æschylus. Ita, ex antiquitatis Græcæ amore, historicus noster perpetuo nominavit inclytum illum virum, cujus vera appellatio fuit *Eske* vel *Esge Bilde*. Stephanius *Eschillum* vocat. Sed diversa videntur esse nomina, *Eske* & *Eskild*. Et, siquidem in monumentis ac epistolis, longe plurimis, nunquam fere observaverim aliter nominari, quam *Eske Bilde*, dicetur, ut credo, latine rectius *Ascerus*, aut *Esgerus*. Sic apud Saxonem Grammat. varios habemus *Asceri* nomine: atque pag. 354. edit. Sor. *Eskillum Asceri filium*. Sic & *Esgerus Juel*, olim Archiepiscopus Lundensis, & *Esgerus Bonde*. An vero potius *Esico?* quemadmodum *Esico* Episcopus Merseburgensis &c.

Agerusium, arx Norvegiæ. *Agersbuus*.

Agrimarianum cœnobium, in Jutia seu Cimbria boreali. *Mariager-Closter*.

Albani ædes, Othiniæ. Alias, & communius *Templum S. Canuti*.

Album promontorium, Danice *Hvidoer*. Videatur Hvitfeld. p. 1420.

Allaburgum, nobile emporium Jutiæ borealis, *Alburgum.* Saxoni Grammatico *Alaburgum*, & *Alaburgia.*

Allaholmia, arx Lollandiæ. *Aalholm-Slot.*

Aquini Sylva, in Fionia. Danice *Hagenskov.*

Arnobochianum cœnobium, in Holsatia. *Arnsböcke.* Vid. Danckwerth. pag. 232.

Assania, oppidum Fioniæ, vulgo *Assens.* Pontano *Asnesum*, p. 722.

Avo, nomen proprium viri, Danice sonans *Ove* vel *Ofve.* Neque aliter celebris Antistes Aarhusiensis unquam nomen suum exprimebat in latinis scriptis: ubi perpetuo est *Avo Bilde.* Haud dubie rectius, quam ii, quibus *Oveni* vel *Ovidii* vocabula placuerunt. Ceterum an *Ove* & *Oge* (quod *Aage* scribitur,) unum idemque nomen sit, in quo littera *g*, quemadmodum in pluribus linguæ nostræ vocibus, in pronunciationem τὸ *v* transierit, nunc non disputo.

Barbius, cognomen Cancellarii Regii, qui postea Episcopus Lubecensis factus, *Andreas Barby.*

Borinia, iusula notissima. Vulgo *Boringholmia.* Saxoni Grammat. *Boringia.* Norvagicis & Islandicis scriptoribus vetustis *Borgundarholm.* Adamo Brem. *Holma.*

Bovisius, ac alibi *Povisius*: Familiæ cognomen. *Powisch*, vel *Pogwisch.*

Cœreteminda, oppidum Fioniæ, alias *Cartemunda.* Danice *Kærteminde.*

Cereris ager. Ita nostro placuit vocare rus illud suburbanum, seu campum, qui ad pagum *Serritzlof*, Hafniæ olim vicinum, pertinuerat. Danice *Serritzlef-Marck.* Vid. Hvitfeld. p. 1287. & 1483.

Cervorum insula. Vulgo *Hiortholm.* Castellum olim Episcopi Roskildensis, in loco, ubi nunc *Friderichsdal.*

Cogæa. Hoc nomine semel (pag. 101.) appellatam habemus urbem Sialandiæ *Kiöge*: alibi *Coagium.*

Collina, urbs Jutiæ. Vulgo *Colding.*

Contius (*Nicolaus*) p. 85. Vernacule *Niels Kuntze.* Vid. Hvitfeld. pag. 1442. Videtur tamen non cognomen fuisse, sed parentis nomen: *Nicolaus Cunradi.* Nam & Teutonicum vulgus *Kuntze* nominat, qui latina appellatione dicitur *Cunradus.* Sic *Kuntze von Kauffungen.*

Corcyra, Sialandiæ oppidum: id scil. quod *Kaarsöer* vocamus. Mirum, fuisse a nostro id nominis isti loco inditum, aliis *Crucisora* dicto.

Coronea, Scaniæ oppidum. Vulgo *Landskrone.* Ejusque incolæ & civel *Coronei* vel *Coronenses* nostro persæpe. *Coronia* Pontano *Chorogr. Descr. p. 695.* ubi simul, an eodem in loco fuerit *Landora*, Saxoni haud semel memorata, & a Wellejo reddita *Landscrone*, disquiritur.

Crassus, ut pag. 99. *Johannes Crassus.* At vocabatur iste vir nobilis cognomine gentilitio *Hans Krase.*

Daccius (*Nicolaus*) pag. 197. Idem, qui pag. 244. *Taccbius.* Et Stephanio pag. 375. *Nicolaus cognomento Dacke*, Hvitfeldius perpetuo *Tacke* scribit, & *Tackefeyden.* Sveci vero ipsi *Dacke*, & *Dackefeygden.*

Daba, cognomen gentilitium: nostris *Daae* scribi solitum. Sic appellatus *Claus Daae*, qui pag. 149. v[illegible]t. *Claudius Daba.*

Dra-

Draconia, arx Sialandiæ. *Draxholm*.
Dravi ostium, prope Lubecam. *Travemünde*.
Faburgum Fioniæ oppidum. *Faaburg*.
Fæonia. Nostro ita haud raro *Fionia* scribitur. Et *Johannes Fæonius* p. 125. est *Jens Fynboe*. Vid. Hvitfeld. p. 1478. *Feoniam* etiam Saxo appellat pag. 121. ed. Sor. & alibi.
Færæ Zelandiæ, vulgo *ter Veer in Zeeland*. Meursius nominavit *Veriam*.
Flenopolis, urbs Cimbriæ notissima. *Flensburg*.
Fraxineus (*Joh.*) Legatus Gallicus, admodum celebris, postea Episcopus factus Bayonensis. Vernaculo nomine *Jean de Fresse*. Apud Thuanum vocatur *Joannes Fraxineus Lapurdensium Episcopus*.
Geranium, castellum Langlandiæ, interpretante pag. 51. ipso Cragio, *Traneburgum*. Vocatur autem communius *Tranekiær-Sloe*. Γέρανος, nomen avis, Danice est *Trane*.
Golobiæ (*Anna* & *Sophia*) pag. 80. Harum cognomen gentilitium erat *Glob*.
Gosschius, ut p. 207. & 212. *Gosschius Rantzov*. Alias eundem vocarat *Gotschalcum*, vernacule *Godsche*.
Gostavus. Sic non raro nomen Sveciæ Regis exaravit, quod communius per *u* effertur, *Gustavus*. At nostro obversabatur fortassis, quod Sveci in vernaculis scriptis non *Guste*, sed *Göste* appellitant.
Gothia, i.e. ut mox eadem pag. 192. interpretatur noster, insula *Gothlandia*. Vid. & Pontan. Chorogr. p. 733.
Guido Galleus, nobilis Norvegus, patrio sermone dictus *Gute Galde*.
Halsinoburgum, urbs Scaniæ. *Helsingborg*. Vid. Pontan. lib. cit. p. 726.
Halsinora, & alibi *Helsinora*. *Helsingör*.
Harjali, p. 66. Juti, seu Cimbri boreales, ad partem regionis illam, quæ *Harsyssel* dicitur, pertinentes.
Hasæra, pagus prope Alburgum, vulgo *Hasseris*.
Hellesa, pagus Fioniæ, *Hellesoe*.
Himerai, pag. 65. Incolæ partis Jutiæ, quam *Himmersyssel* vocamus.
Jarimari turris, vernacule *Jermers Skandse*. Nomen habuit a Jarimaro, Pomeranorum illo Principe, de quo agit Hvitfeldius in vita Erici VI. p. 259.
Ivo, pro Ivaro. Sic p. 82. *Ivo Julius*, est *Iver Juel*. Sed *Ivo Reventlovius*, aliud nomen, in vernac. est *Iven*.
Lavinia, insula, quam semper fere hodie appellamus *Langelandiam*. Sed neque vernaculum illud nomen *Laffvind* prorsus obsoletum.
Lauuo. Ut *Lauuo Brabeus*, p. 60. *Lauge Brahe*. Alii rectius *Lagonem* nuncupant. Nam (quod supra admonuimus, alias vulgare satis,) *g* apud nostrates inter vocales positum nonnunquam in *v* degenerat.
Liberi mons, pag. 48. & 102. extra oppidum Lundense Scaniæ. Vulgo *Lybersboy*.
Lodesia, oppidum vel pagus Sveticæ ditionis. Vernacule *Lodisse*, *Lödisse*, *Lösse*. Antiquis *Liodhnus*. Vid. Torfæi Histor. Norvag. T. I. p. 35. Saxo Gr. *Liuthusium* vocat p. 258.

Longus. Hoc vocabulo noster subinde abutitur promiscue, ad significanda duo cognomina gentilitia, prorsus distincta, *Lunge* & *Lange*. Sic *Ove Lunge* ipsi est p. 54. *Avo Longus*, & alibi; quem rectius appellavit Meursius *Agonem Lungium*. Pariter dicti *Avonis* fratrem *Vincentium* melius vocasset Cragius p. 161. *Lungium*, quam *Longum*.

Lovarri, Juti septentrionales, regionem *Loffverfyssel* inhabitantes, pag. 65. v. ult.

Lucchius, cognomen familiae nobilis, Dan. *Lykke*.

Lundia, & p. 126. *Londia*, oppidum Scaniae, *Lund*.

Lundinusia, arx Jutiae, vulgo *Lundenaes*.

Luporum saltus, pag. 40. Dan. *Ulfsmose*.

Lycaonia, est *Wolffenbüttel*, aut, sicut plurimi malunt efferre, *Guelferbytum*. Eandem quoque *Lycaoniam arcem* appellare placuit Chytraeo Saxon. lib. XVIII versus fin.

Maeonia, insula Sialandiae subjecta, alias Mona. Vernac. *Möen*.

Melior. Quoties apud Cragium hoc nomen proprium occurrit, *Melchioris* illud intelligatur. Sic *Melior Rantzovius*; *Melior Svigius*. Offert se idem in medii aevi monumentis, e. gr. *Melior Cardinalis SS. Johannis & Pauli*, seculo XII. sub Urbano PP. III. Et *Melchiori Goldasto* eundem scribendi modum in suo nomine arrisisse, quis ignorat?

Middelfaria, oppidum Fioniae. *Middelfart*.

Milenus (*Bernhardus*) vocatur in germanicis scriptis atque nostris ut plurimum *Berndt van Millen* vel *Milen*. Loccenius *Bernhardum Mylium* nominat. Neque raro certe observavi in monumentis MSS. *von Myla* vel *Mila* nuncupatum, nec non in editis, e. gr. in tabulis *conventionis Naumburgens.* A. 1554. *Bernh. von Mila*.

Monachorum insula, haud procul Nidrosia, urbe regni Norvegici. Vernacule *Munckholmen*; quia olim monachis infessa.

Nemorosa vallis, p. 59. *Coenobium a nemorosa valle dictum*, h. e. *Dalum-Closter*, in Fionia. Nempe olim fuisse *Dallund* appellatum, animadvertit noster p. 95.

Norvegi cismontani, sunt Cragio aliisque nostratium *Syndenfieldske*, *Ultramontani* contra *Nordenfieldske*.

Orcella, arx Fioniae, *Orckel Slot*.

Oritanum fretum, vernac. *Öresund*, vel *Sundet*.

Pelona, oppidum Holsat. *Ploene*.

Perenius (*Ioh.*) p. 95. & *Ioh. Prienius*, pag. 109. idem vir est, idemque nomen, quod vernac. erat *Iohann Preen*.

Povisius, cognomen familiae nobilis apud Holsatos, *Powisch* vel *Pogwisch*.

Pretanum coenobium, vulgo *Preetz-Closter*.

Ranisia, & alibi *Ranuesia*, civitas Jutiae. *Randrusium* Saxoni Grammatico & aliis vocitata, nostratibus *Randers*.

Reginopolis, p. 290. sed alibi, & quidem p. 24. Rendesburgum. Vern. *Rendsburg*.

Rovaus

Revæus (*Joh.*) Episcopus Asloënsis, vernac. *Hans Reff.*

Ringonopolis, in Siælandia, p. 43. *Ringstædt.*

Rossenius (*Martinus*) pag. 240. perperam. Nam *Martinus van Rossem* vel *Rossheim* nuncupabatur. Ubbo Emmius *Rossemum* vocat sæpe, lib. 50. & Pontanus in *Historia Gelrica*, (ubi plurima de eo habentur, nec non ad pag. 866. ipsa memorabilis viri effigies,) *Rossemium* ubique.

Ruffus (*Theodorus*) vir nobilis, aliquando Bergis Norv. præfectus, vernac. *Thord Röed.*

Ruttius (*Canutus*) ex antiqua *Rudiorum* familia. *Knud Rud.*

Ruvia, pagus Jutiæ Septentrionalis, vulgo *Rye.* Lyschandro *Rhyovia.*

Samus, insula maris Balthici. *Samsoa.* Vocatur & *Samus Danica* Baudrando aliisque. Vid. Pontan. Histor. Dan. lib. 6. p. 305. & Chorogr. p. 662. In Saxonis Grammatici libris plus semel *Samsa* nominatur, alibi quoque *Sampsö.*

Serum insula, p. 86. in eodem mari sita, olim in historiis nostris haud incelebris. Saxoni *Syra* dicitur: aliis *Syroa*: nostratibus vulgariter *Seyerôe.*

Sigonius (*Laurentius*) Mareschallus regni Sveciæ, *Lauridtz Sigesson.*

Silicum mons, Danice *Flintebierg.*

Sliævigia, civitas Cimbriæ seu Jutiæ meridionalis, *Slesvicum.*

Stadium, pag. 278. urbs ditionis Bremensis, similiter Saxoni Gramm. vocata: aliis Stada.

Stigotus. Nomen viri. Utitur eo Cragius ad appellationes, in sermone nostro non solum pronunciatu, sed, ut credo, etiam significatu olim diversas. Nam qui nostratibus *Styge Krumpen* vocabatur, Episcopus olim Burglamensis, nostro pag. 54. est *Stigotus Krumpenus.* Ac postea *Otto Stigotius* ipsi dicitur, qui vernacule est *Otte Stigsön. Stigotus Stigotius*, pariter *Stj Stjsön.* Saxo *Stigonem* nominasset; apud quem *Nicolaum Stigonis* offendimus, lib. 14. p. 331.

Svavenius (*Petrus.*) Insignem hunc virum animadverti Meursio appellari *Svabium.* Neque inficior, propius hoc accedere ad vernaculum ipsius vocabulum, quippe quod deprehenditur in autographis, modo *Svabe*, modo *Swob* & *Swab* exprimi, plerumque tamen *Swave.* Verum *Svavenii* illud semper & ipse & alii ejusdem gentis, quoties latine scribebant, usurparunt. Videatur Seckendorfii *Index historicus I.* ac Simleri Biblioth. Gesner. ubi quæ allegatur *Apologia* ejus *pro Petro Mosellano contra Ioan. Cellarium* scripta Lipsiæ A. 1519. etiam in nostris est manibus, una cum libello alio, eidem opposito. Lutheri in comitatu fuisse ad comitia Wormatiensia, non quidem ipsi Seckendorfio in latino opere, (lib. I. pag. 152.) sed germanico ejus interpreti Eliæ Frickio, p. 343. observatum: jamque olim idem fuerat attestatus Paulus Eberus in Præfat. ad *Scripta publice proposita in Acad. Witteberg.* edita A. 1553. iterumque 1560. in Historia Regis Christiani III. a Pontano scripta, vocatur ubique, editoris an typographi culpa, *Scavenius*, vitiose.

Suenopolis Fioniæ oppidum. *Svenborg.* In monumentis veteribus *Svineburgum.*

Svenotorpium, pagus in Jutia boreali. *Svenstrup.*

Taurus mons, in Fionia. *Oxenbierg.*

Textor (Georg.) Is est notissimus ille *Georgius Wollenweber*, nostro haud unquam aliter, quam *Textoris* nomine, nuncupatus.

T*rugotus*. Nomen proprium; quod in Dania quidem pauciores, præterquam apud Scanienses, permulti vero in Norvegia atque Suecia viri nobiles gesserunt. Vernacule T*rud* vel T*ruid*. Sic *Trud Ulfstand*, est T*rugotus Ulfstandius*: recte, opinor. Nisi T*rudonem* mavelis, cum Loccenio aliisque. Nam Lyschandro, T*rudenum* interpretanti, non assentiendum.

T*rugotius*. Bene quidem, si T*rugoti* vel T*rudonis* filius indicatur. At Cragius noster, in nominibus propriis haud semper constans sibi aut similis, *Christopborum* T*rundonis fil.* classi Danicæ præfectum, appellavit pag. 275. T*rugotium*, & pag. 188. T*rudsonium*: cum tamen T*rundo*, & T*rudo* seu T*rugotus*, nomina sint distincta. Ergo propius vero accessit, de eodem viro loquens p. 257. vocando T*rondzenium*. Stephanius autem, in hac parte, quæ ad nominum scriptionem attinet, semper fere accuratus, *Christopborum* T*rundonis*, pag. 345.

T*uco*, vel T*ucco*. Danice Tyge. Sic T*ucco Crabbe*, vel *Crabbius*, est T*yge* Krabbe. Non culpandum: quamvis Loccenius, Stephanius, Er. Lætus, Hemmingius, omnesque fere T*ychonem* scripserint, hocque ipsum vel Tychonis Brahei exemplum suadeat. Attamen Episcopus quidam Scaniæ, D. Nicolai Palladii successor, T*yge Asmundsson*, voluit T*ychicus* nominari, ἑλληνικῶς scilicet.

T*uronius*. Turonis fil. T*uresson.*

Væsæus, de quo pag. 238. fit mentio, nobilis ille fuit atque celebris Johannes *Væs*, sive, ut ipsi Cragio postea, pag. 313. vocatur, *Vesalius*, (a natali urbe sic dictus,) qui archiepiscopam Lundensem cum exilio commutavit, & Christiernum II. regna deserentem secutus, postea a Romano Pontifice Constantiensem sedem obtinuit. Agit de ipso semel atque iterum Sleidanus, *Vesalium* appellans. Affert quoque ad historiam viri nonnulla Seckendorfius, partim ex Corn. Scepperi scripto contra Frider. I. exscripta, partim etiam in Archivis Saxonicis observata. Vid. Sekend. Ind. histor. in *Vesalio.*

Varvitia, *Varvitiani*, p. 66. War-Syssel in diœcesi Ripensi.

Veja, oppidum Scaniæ, vulgo Væ.

V*enilia*, pars illa Jutiæ borealis, quam nostrates *Wendsyssel*, Saxo Gr. modo V*endalam*, & incolas ejus V*andalos*, modo V*endilam*, illos vero V*endilenses*, recentiores nonnulli V*ensiliam*, Norvegi & Islandi veteres V*andil* & V*ændil-Skaga*, quemadmodum Geographus Nubiensis (is Saxone Gramm. medio seculo antiquior,) *Wendilskade*, (quod quidem, inter cetera Arabica nomina

nomina *Cim.* VII. P. III. pag. 274. occultatum, mihi amicissimus Collega, istarum & longe plurimarum litterarum callentissimus, Rev. Dn. D. Marcus Wöldike, indicavit,) alii aliter appellarunt; atque unde Vandaliæ populos originem nominis sui repetere, Pontano creditum, *Chorograph.* p. 662. & p. 711.

Vigoburgica diœcesis, in Jutia boreali, *Viborg-Stigt.*

Errata
sic corrigenda.

In Præfatione.

Pag. 7. *v.* 11. *legatur* adjunctum. *p.* 21. *v.* 6. *a fin.* magis. *p.* 31. *v.* 14. structa. *p.* 43. *v.* 13. *a fin.* cujus tam promta. *p.* 55. *v.* 11. *a fine*, partis. *p.* 71. *v.* 6. *a fin.* intelliget. *p.* 72. *v.* 12. *a fine*, esset. *p.* 100. *v.* 24. latinarum. *p.* 101. *v.* 6. mandatarum. *p.* 207. *circa med.* ἄγει.


In Historia.

Pag. 6. *v.* 13. *legatur*, suffragiis. *p.* 13. *v.* 7. navigatio. *p.* 7. *v.* 11. deferendi. *p.* 20. *v.* 23. fluctuaret. *p.* 62. *v.* 5. ut qui. *p.* 87 *v.* 18. adversus. *p.* 108. *v.* 12. allatum, *p.* 128. *v.* 5. *a fine*, electionem. *p.* 162. *v.* 10. remansit. *p.* 180. *v.* 16. solum. *p.* 209. *v.* 4. *a fine*, in controversia. *p.* 268. *v.* 5. *a fin.* certo. *p.* 293. *med.* fortunante. *p.* 309. *v.* 3. *leg. sic:* Danici erat, contentione. *p.* 329. *v* 24. quo. *& versu penult.* Imperatorem. *p.* 330. *v.* 6. trium. *p.* 354. *v.* 9. *a fin.* afflictæ.

In Additam.

Pag. 85. *v.* 30. *legatur*, sub communicatione. *p.* 86. *v.* 22. definierit. *Ibid. v.* 29. totius Capituli. *p.* 87. *v.* 16. Albertes. *p.* 88. *v.* 5. *a fin.* Superintendentum.







NICOLAI CRAGII
ANNALIUM LIBER I.



Ab excessu *Friderici* res ad interregnum venit. Nam tametsi proceres litteris fidem firmarant, successurum *Friderico* aliqvem ex filiis: tamen nondum nuncupatus erat, qvem ad id fastigii evectum voluere. Qvum igitur non esset, qvi, Principis nomine, cuncta sub imperium acciperet, summa potestas in Dania pro veteri regni jure ad Senatum devoluta. In Slesvigia autem & Holsatia *Christianus*, qvi fratrum tutorem se ferebat, res administrare cœpit; Utraqve enim harum provinciarum in jus hereditarium liberorum regiorum concessit, qvæ antea *Friderici* imperio simul cum Dania & Norvegia tenebantur. Ex qva separatione metuens *Christianus*, ne animorum aliqva seqveretur distractio, legatos ad Senatum regni confestim mittere statuit. *Trugotus Ulstandius*, & *Claudius Billeus*, qvi paulo ante ex legatione Norvagica reversi, Regi morienti præsto fuerant, visi ad hoc muneris maxime idonei. His igitur, una cum *Johanne Frisio*, jam in Daniam redire parantibus, hoc negotii datum. Qvi acceptis à Regina vidua & Duce mandatis, postridie qvam Rex diem novissimum clauserat, illico Hafniam commeant; ubi qvum invenissent Senatores, qvibus per absentiam Regis gubernatio commissa fuerat, aliiqve, qvi in propinqvo habitabant, accersiti essent, legationis negotia cum fide peragunt. In primis, of- An. 1533.

An. 1533. ficii ergo, mors Regis nunciata, & qvanto in luctu mœsta regia versetur, facunda miseratione expositum. Tum memoratis Friderici beneficiis, qvæ in omnes ordines, præcipue autem in nobilitatem contulisset, benevolentia Senatus liberis ejus exposcitur. Rogare Reginam & *Christianum*, si qvæ meritorum gratia supersit, qva ratione patres litteris se obligassent, iis consultum velint. Non dubitare qvidem de observantia & studio Senatus erga defunctum Regem: Velle nihilominus patres benigne monitos, ut honorem Regii nominis tueantur, nec pacta promissave aboleri, aut irrita beneficia fieri sinant. Ac mox prolata regni sigilla, qvibus *Fridericus* usus fuerat, jam ante in conspectu legatorum rupta, ad faciendam fidem, dolum malum pariter illinc abesse, abfore. Tandem additum, *Christiani* sententiam de comitiis esse, qvod ea absqve dilatione indici svadeat. Missurum legatos, aut ipsum interfuturum, dum deliberatio suscipiatur, qvomodo arctiore amicitiæ vinculo regnum Daniæ cum istis provinciis ad mutuum auxilium devinciatur. Et legati qvidem cum magna dexteritate de his, pro sua erga Reginam & liberos regios fide, apud Senatum orarunt. Sed negotia ipsa, *Christiano* ecclesiasticis inviso, minus grata. Placuit tamen comitia indici, qvia res tempusqve ita postulabant. Gratiores litteræ à *Johanne* Duce ex Fionia allatæ, qvibus Senatui curas suas commendabat. Nam qvod evulgatum esset, *Christianum* Chilonii conventum Ordinum acturum, incesserat regio adolescenti solicitudo, ne conciliato populi studio, plus juris, qvàm ferret pars hereditaria, frater sibi usurparet. Itaqve jussus novissimis patris mandatis, Senatui in omnibus dicto audiens esse, ejusqve auctoritatem amplexari, causam ad considerationem revocabat. Senatus, qvi nec *Johanni* qvicqvam decedere, nec *Christiani* potentiam augescere voluit, ut utrumqve horum vitaretur, in parte gubernationis, *Johannis* nomine, hærere satagebat. Ad qvam rem ut viam sibi pararet, per litteras à proceribus Slesvicensibus & Holsaticis petitum est diem conventus Chiloniensis indicari, qvo mitti ex Dania possent, qvi *Johannis* causam agerent. Nam in constituenda republica

ca æqvum existimari, ejus rationem haberi, ut qvem a natu maximo proximum & hereditatis consortem, ab administratione excludi non oporteret. Invitati itidem ad comitia regni proceres Slesvicenses, qvibus id juris erat, & seorsim Metropolitani litteris antistes *Alefeldius*. *Christianum* autem tantum aberat ut arcesserent, ut prorsus prætereita sint ejus postulata, per legatos exposita, metuentibus antistitibus, ne qva jus Regis eligendi, qvod Senatus semper sibi vindicaverat, ejus præsentis gratia aut timore corrumperetur. Rati qvippe ista vultus gravitate ac morum mansvetudine influere altius in animos hominum posse, qvam ut dubii amplius ambigere, adversi resistere ausint. Itaqve decora ejus, viro principe prorsus digna, in perniciem suam accipientes, qvem abominabantur animis, aversabantur oculis. Verum qvum nec responsum legationi, nec is ad comitia invitatus esset, qvid Senatus animi haberet, haud obscure videbat. Itaqve non expectato legatorum Danicorum adventu, qvæ animo instituerat, Chilonii peragit. Nam in fratrum impuberum verba pariter subditos sacramento adigit, sibi administrationem utriusqve provinciæ, saltim tutoris nomine, reservans. Neqve aliud qvicqvam sibi arrogabat, integer omnis ambitionis atqve injustitiæ, qvam qvod, inviolata fraterna charitate, jus per se tribuebat. Inter reliqvos autem, qvi in illis partibus fidem suam tunc liberis Regiis obstrinxerunt, primarius erat antistes Slesvicensis. Is igitur Chilonio reversus, regni Senatum absentiæ veniam flagitat, qvo minus comitiis interesse possit, se excusans. Non enim posse uni alicui fratrum sine reliqvorum offensa in petitione regni studere. Qvam grave autem sit, sub ipsorum ditione degenti, eos inimicos capere, haud ignotum. Agnoscere nihilominus Metropolitani jurisdictionem; nec Senatus auctoritatem defugere, a cujus consiliis sua segregata nolit. His ad universum Senatum perscriptis, occultis litteris Ecclesiam Slesvicensem Metropolitano commendat, rogans, ei, tanqvam periculo propiori, in solenni sacramento, qvod à Regibus exigi moris est, consulatur. An. 1533.

Jam soluto conventu Chiloniensi, instabat dies, in qvem patres comitia regni indixerant; Itaqve confluxere Hafniam

An. 1533. permulti ex omnibus ordinibus, animis in ſpem novi Regis creandi erectis. Legati â *Chriſtiano* Duce ac Lubecenſibus miſſi eo etiam acceſſere, diverſis tamen ſtudiis & voluntatibus, illi pacem, iſti bellum qværentes. Mox ut Senatus haberi cœpit, interna primum in deliberationem venere. Antiſtites enim, qvi opibus eccleſiaſticis nixi, auctoritate adhuc plurimum pollebant, ut a rebus ſacris initium fieret, obtinuere. Hinc igitur exorſi, de cultus divini neglectu, & rituum antiqvorum profanatione prolixe diſſeruere. Qvumqve invecti graviter fuiſſent in miniſtros novæ religionis, (uti tum vocabant,) cum acerba increpatione perſtringunt, qvi patrocinium eis præſtiterant. Miſſa laudibus ad cœlum evecta, qva religio Chriſtiana primitus conſtituta ſit: ibi & religionis catholicæ caput. Conditio & ſtatus eccleſiaſticorum magnopere deploratus, qvi pejore loco nunqvam eſſe qveat, qvam hæreticis jam occupantibus cœnobia, a monachis & virginibus ſacris deſerta. Plebs etiam petulantiæ ac proterviæ accuſata, ut cui imagines ſanctorum dejicere, ac vaſa ſacra aliaqve ornamenta diripere, religioni non fuerit. Præcipue autem ea indignatio, qvod eccleſiaſticis nulla veneratio impenderetur, ſed minuerentur in dies, qvæ ſacris inferre juris eſſet. Inceſſitur præterea convitiis nova dicta religio, ac ſi licentia ſcelerum omnium cum ea ſit invecta, ac fas omne numinisqve reverentia exterminata. Monere igitur & obteſtari antiſtites, ne patres religionem antiqvam, qva tum ipſi a pueris imbuti, tum majores etiam ſalutis & æterni gaudii participes facti, tam fœde ſinerent labefactari. Magnopere eo facere poſſe, ſi reſtaurari velint eccleſiaſticorum auctoritatem, bonaqve eorum contracta pretiis novæ hæreſeos mercandæ, deſtinatis uſibus reſtitui. Retrahendos etiam monachos & virgines ad ordines ſacros, votiqve obſervationem, qvotqvot eorum ab inceſtis nuptiis impolluti ſint. Exerendum excommunicationis fulmen in reliqvos, qvi ad novam hæreſin defecerant, ut ea abdicata, ad gremium matris Eccleſiæ ſponte revertantur, aliisqve pœnis atrocioribus in pervicaces animadvertendum: Hæc conſilia ſi patres unanimi conſenſu adjutent, non ſolum ex officio facturos, utqve viros conſtantes, graves, cordatos,

ac publicæ pacis communisqve salutis solicitos decet, sed An. 1533.
& Deo rem gratam præstituros, qvem non aliter maneat honor suus illibatus, & fidei suæ, qva catholicæ Ecclesiæ sint obstricti, consulturos. Postqvam in hanc fere sententiam antistites pro religione coram orassent, pleriqve in bona spe erant novandi libidinem qverelis hujusmodi exsatiatam. Sed deinceps patefactum, majora multo animis agitasse. Qvum enim patres segnius restituendæ religionis catholicæ curam capessere viderentur, cœperunt mox antistites aperte senatusconsulto Othiniano obtrectare. Qvod induci eo majore animorum contentione postularunt, qvo plus, demto metu regio, sibi jam licere existimarunt; qvesti enim per id decessisse plurimum juri ecclesiasticorum, qvibus antea pœnæ delictorum ex piis causis debebantur. Jam vero isto senatusconsulto facto, hoc juris, sacro ordini ademptum, cuivis ex nobilitate sine meritorum discrimine collatum, nec tamen, qvæ vicissim promissa, sincera fide præstita. Cautum enim, ut in reliqvis jus ac potestas antistitum nihil minueretur. Qvod omnino secius fieret. Ita enim eviluisse eorum auctoritatem, ut pauci sint, qvi cultum & venerationem aliqvam impendant: pauciores qvi censuræ ecclesiasticæ severitatem metuant. Lutheranorum autem hæresi complures indies accedere, qvibus præstetur etiam a primariis viris patrocinium. Atqve ipsos hæreticos doctores præmia habere seductionis, qvæ oporteret esse devotionis. Velle igitur hoc senatusconsultum ordini sacro tam perniciosum antiqvari, nisi contra promissa impleantur. Qvum intelligeretur haud obscure, consilia antistitum non nisi ad excidium reformatæ doctrinæ tendere, patres eam religionem professi, magnitudine periculi vehementer sunt turbati. Metuenda enim fuit hinc plebis seditio, si qvicqvam gravius contra religionem reformatam statueretur: illinc vis ac tumultus nobilitatis, si juri in suos qvæsito aliqvid detraheretur. Neutrum regno, diutina inqvietudine jam pridem fatigato, tolerabile. Itaqve impense adnixi, ut res integra ad cognitionem novi Regis reservaretur. *Goyæus*, princeps religionis reformatæ protector, paucis fatus: "Ego, inqvit, vos obtestor, venerandi antistites & patres con-

An. 1533. "conſcripti univerſi, ne reipublicæ novam calamitatem arceſſamus: ſuo ipſa malo laborans, nimis qvam invalida eſt. "Si denuo ſuſcitetur internus aliqvis morbus, nemo erit noſtrum tanta potentia & auctoritate, qvi eam ab interitu aſſeret. Res ſancta religio eſt, cujus neqve initium neqve finis in poteſtate humana ſita; damnatio hujus vel illius abſit, in tanta judicii noſtri inſtabilitate & cæcitate. Toleremus nos mutuo, nec privatæ vindictæ inſeramus cauſam religionis. Haud fas eam cupiditatibus noſtris obtendere, cujus violatæ, ac perperam qvocunqve modo uſurpatæ, DEUS ipſe vindex. "Ego partam ei libertatem Rege volente, non niſi Rege "in contrarium ſciſcente puto eripi poſſe." Sed antiſtites potentiores ſuffragiis erant, qvam ut unus aut alter contra eos obtineret: Itaqve ut in commune conſuleretur, qvidam patrum, qvi moderatiores haberi voluerunt, pacis ſtudio eccleſiaſticis aliqvid concedendum ſtatuere. Qvod tandem a *Goyæo* & ſociis acceptum, ne pro victis ſuccumberent, ſi antiſtites, ipſis neqvicqvam repugnantibus, obtinuiſſent qvod vellent. Tum ſenatusconſultum factum, qvo antiſtitum priſtina poteſtas in ſacerdotibus creandis atqve itidem repudiandis ita firmata, ut præter eos nemo alius munus eccleſiaſticum conferre, abrogare nemo poſſet. Decimas etiam exigendi jus eccleſiaſticis reſtitutum, nec ulli ſolvere detrectanti judicii patrocinium præſtandum eſſe. Deinde qvomodo templa, cœnobia, noſocomia, ſcholæ, academia, omniaqve eccleſiaſticorum prædia & poſſeſſiones inſtauranda, conſervanda & vindicanda ſint, decretum eſt. Tandem conſtitutum, ut legata pietatis cauſa ſacerdotibus qvibusvis capere liceat, modo tamen ne qvisqvam in ea plus erogare cogatur, qvam libera ejus voluntas ferat. Atqve iſta ſummatim fere ſenatusconſulto continebantur, cujus plura capita erant, ſingula fere ſuperioribus pœnis ſancita. Sed qvia redigendo in tabulas publicas, multa antiſtitum aſtu erant interpolata, multa inſerta contra patrum decreta, recuſarunt *Magnus Goyæus* & *Ericus Bannerus* id ſuis ſigillis pro more confirmare. Nihilominus, dum res ita ſtetit, pro legitimo ſenatusconſulto obtinuit. His impetratis, antiſtites poteſtatem ordinis eccleſiaſtici ita ſtabilitam arbitrati ſunt,

ut

ut nullius sua consilia oppugnantis tela formidare necesse esset. Itaqve, tanqvam periclitati satis jam adversæ partis ad certamen vires, de victoria ex prioribus augurium capientes, passi sunt de Rege creando ad Senatum referri. In qva deliberatione non minor patrum qvam antea solicitudo, flagrantior etiam aliorum, qvi comitiis intererant, expectatio. Duæ autem omnino sententiæ erant, qvæ Senatum distinebant. Antistites & qvi istarum partium erant, qvum hactenus dissimulassent qvid animi adversus *Christianum* haberent, qvia, vivente patre & inclinante tum multorum favore, intuta videbatur aperta ejus recusatio, jam eum aperte oppugnantes, *Johannem* Regem designari flagitabant. At religionem reformatam professi, & qvi ab illis stabant, enixe *Christianum* desiderabant. Pugnatum utrinqve rationibus non invalidis; neqve his neqve illis proposito cessuris, nisi eo Rege creato, apud qvem suæ parti patrocinium paratum sperarent. Pro *Johanne* allatum est, eum patre jam Rege natum, cui idcirco omnes regni incolæ obligati plus debeant. Eum sedula parentum cura in Dania semper educatum, qvod qvasi vinculum mutui amoris, principis erga cives, civiumqve erga principem. In tenera adhuc ætate esse, qva melius ad virtutem condocefieri, ac moribus Danicis assvescere posset, conformitate ista animos invicem conciliatura. *Christiano* vero objectum, qvod Rege genitus non esset, sed editus cum pater de regni spe ne per somnium qvidem aliqvid cogitare posset. Adolescentiam ejus in aulis principum propinqvorum per Germaniam transactam, ubi vita luxu & lascivia in crimine fuerit. Moribus & lingva etiam tantum a nostris dissidere, qvantum Germanorum & nostros intersit. Non videri igitur e re publica, *Christianum*, Danis fere extraneum, & ab eorum lingva & moribus longe abeuntem, Regem constitui. Sed *Johannem* multis nominibus ei præferendum. Contra ab iis, qvi *Christiano* favebant, regni tuendi & servandi necessitas in medium adducebatur: Non posse rempublicam diu sine Rege esse, ni turbarum fluctibus haustam atqve obrutam cernere vellent. Eum regni statum incidisse, ut puerum ad longam gubernationis spem educari non sinat, sed præsenti ope, tum pruden-

An. 1533.

An. 1533. dentis, tum fortis & magnanimi principis, potius regnum indigere. Hoſtes enim exterius eſſe longe potentiſſimos, qvi regni jus traducere ad ſuos qvibusvis artibus laborent. Imminere præterea infidos vicinos regni ruinæ, qvibus familiare, ſua commoda ex aliorum parare incommodis. Qvi ut maxime nihil moveant, (qvod tamen in incerto,) turbari nihilominus res, volupe iis fore, ac in pœna divina, fictarum injuriarum vindictam probroſe inſerturos. Sed nec in viſceribus regni ſubditorum animos aliter cohærere, qvam in vaſto corpore membra langvore marcida, qvæ, utut adhuc ſoluta non ſint, opem tamen mutuo conferre nec velint nec valeant. Multos etiam *Chriſtiano* captivo clam animis adhæreſcere, qvibus ſimul ac ducem ſe aliqvis præbuerit, vel cum falſa & inani commodi ſpe, haud defuturos, qvi tutis & pacatis inqvieta præferant. Itaqve, ni univerſos ſecum præcipites in exitium dedere velint, eum Regem qværendum, qvi & conſiliis maturus, & rebus gerendis idoneus ſit, qvalis haud dubie *Chriſtianus* ſit. Nam qvod ei objiciatur, patre nondum Rege genitum, id ne qvidem in regno hereditario officere, nedum ut in libero nocere poſſit. Æqvum qvidem, merita parentum ſuffragari liberis oportere, ſed iis potiſſimum, qvi parentum qvam ſimillimos ſe præſtant, & eorum gloriam factis æqvare ſtudent. Qvæ ſpes ita de *Chriſtiano*, ut non de ullo alio, certa. In cujus educatione nulli vituperio obnoxium, qvod apud exteros primos ætatis annos tranſegerit. Nam aliorum mores uſumqve diſcendo tantum prudentiæ ejusdem acceſſiſſe, eamqve manſvetudinem induiſſe, ut pœnitere imperii ejusdem neminem poſſit. Nec delictum ullum juventutis inſigne ad notitiam veniſſe, vel, ſi qvod fuerit, haud dubio in majus qvam par eſt, fama auctum, qvæ nulla manifeſta principum delicta ſinit eſſe mediocria. Multa vero ætati condonanda, præſertim in principali faſtigio liberius agenti. Alioqvin nullum unqvam futurum, qvem non modo a regno, ſed & qvovis magiſtratu probrum arceat. In moribus porro nihil dignum reprehenſione. Eſſe eos compoſitos ad ſingularem humanitatem pariter & gravitatem: nec, utut verum ſit a noſtris diſſidere, idcirco vituperandos. Etenim multos

tos tum publice per regiones et populos, tum privatim moribus a nobis diverſos eſſe, qvos ſi omnes reprehendere velimus, reprehenſione maxime ipſi digni ſimus. In principe viro minime reqvirendum, ut mores ad conſveta accommodet, duntaxat ut a dedecore et vitiis qvam longisſimè abſint. Qvapropter qvum iſta ſumma et alia omnia in *Chriſtiano* conveniant, qvæ optatisſimi Regis ſpem facere poſſunt, cenſere ei regnum deferendum. Sed non erat apud antiſtites tanti vel reipublicæ ſalus, vel *Chriſtiani* virtus, ut ad conſenſum flecterentur. Fixum immotumqve ipſis, in *Johannis* electione perſeverare, per eam regni poteſtatem affectantibus, ut reformatam doctrinam, priusqvam altius radices ageret, extirparent. Simul ſedit ſententia, adoleſcentem regium iſta ætate religione catholica imbui poſſe, in qva ſola ſi ejus devotio occuparetur, ita animo inhæſuram, ut poſtea ordini eccleſiaſtico nihil ab ipſo eſſet timendum: hoc pacto opportuna cuncta volentibus *Johanne* Rege fore. In hæc conſilia penetrabant facile acie judicii, qvi artes aſtusqve antiſtitum longo uſu didicerant. Qvi contra qvum jugum pontificium excuſſum unice cuperent, videbant, niſi *Chriſtiano* Rege, ſe aliosqve in libertatem conſcientiarum vindicari non poſſe. Nam nemini dubium, abuſuros antiſtites *Johannis* pueritia ad evertendas fortunas omnium, qvi religioni, catholicæ vulgo dictæ, renunciarent. Proinde pertendentes pro *Chriſtiano*, ut religionem et rempublicam in manus antiſtitum deſtituerent ſibi extorqveri non patiebantur. Gliſcebat indies magis magisqve inter antiſtites et reformatæ doctrinæ protectores contentio, qvò acrior, eo futura pernicioſior, qvam ulla antea hominum memoria. Illi magnis adnexi domibus, alliciebant ad ſe tum ex patribus, tum ex reliqva nobilitate complures, prout qvemqve vel emolumenti aliqva ſpes vel religionis metus ſtimulabat. Hi nec ipſi invalidi, nonnullos pariter in ſuas partes traxere, plebejis ad præſidium ſponte inclinatis, tamen qvo non ita uti parati, ut eccleſiaſticis formidatis. Ita primarius regni ordo in diſſenſionem haud obſcuram diviſus eſt, contagio paulatim ad plures emanante. An. 1533.

Tandem qvum hæc de Rege creando dimicatio aliqvam-

An. 1533. qvamdiu tenuiſſet, nec alii aliis concederent, propoſita ab eccleſiaſticis via qvaſi media, ut Norvagis, imperii jure conjunctis, nondum ad comitia regia vocatis, neuter qvi hoc tempore nominatus eſſet, Rex deſignaretur. Qvin potius res integra ut ad comitia proximi anni reſervaretur. Interim Norvagos ex lege fœderis ad creationem Regis invitandos, ita qveri non poſſe â publicis conſiliis excludi, & anſam movendi ſtatum ejus regni ereptam fore. In hanc ſententiam, aliis, nullo bono conſilio diem Regis deſignandi protelatum, moleſtè ferentibus, & dolorem taciturnitate tegentibus plerisqve patrum, itum eſt. Mox igitur alterum ſenatus conſultum factum, qvo,fide data & accepta, decretum eſt, neminem ſe regnare paſſuros, niſi qvem patres auctores facti, conſentientibus omnium ſuffragiis, probaſſent. Qvo nomine ſi qvid periculi reipublicæ crearetur, communibus viribus atqve armis qvorumcunqve hoſtium aut rebellium vim propulſandam. Tributa etiam poteſtas Senatoribus, qva cujusqve jurisdictio pateret, controverſias ac lites omnes componendi aut dijudicandi. Sed neqve hoc ſenatus conſultum in ſcriptum redactum, â *Goyæo* & *Bannero* eſt ſignatum; idqve eò maximè, ut ſe omnis culpæ immunes populo probarent, ſi qvid detrimenti respublica ex iſta dilatione caperet. Secundum hæc ita conſtituta, qvæ videri antiſtites voluere ad concordiam & ſalutem omnia, ordinari provincias regni placuit, ac mandata uni alicui primario ex nobilitate viro in qvavis provincia pacis ac tranqvillitatis publicæ cura, cui, ſi qvis vel belli externi metus, vel populi motus exoriretur, omnes parere ſcirent. Qva de re promulgatum vulgo Senatus nomine edictum, qvo ratio plebi reddita, cur comitia regia prorogari neceſſe fuerit, juſſiqve interim omnes parere ducibus ſuis, ſi qva neceſſitas arma ſumendi ingrueret. Verum qvia opulentiorum & potentiorum exemplum ad reliqvam plebem in fide & obedientia retinendam multum conferre creditum eſt, acciti in ſenatum magiſtratus Hafnienſium & Malmogianorum, qvos hac ipſa de cauſa comitiis intereſſe patres voluerunt; qvibus hæc patrum ſecreta erant expoſita, ac inprimis oſtenſum, qva neceſſitate in annum Regis creatio dilata. Non enim

fas

fas exiſtimaſſe, Norvagos, qvi ejusdem Regis imperio tene- An.
antur, excludi. Hoc jus poſtulare, absqve qvo ſit, vix diu 1533.
ſperandum concordes illos futuros. Monere ac hortari, ipſi interim in fide maneant, nec ſe ab obedientia aut ſua à publicis conſiliis disjungant. Senatui commoda utriusqve urbis & in univerſum civium omnium ſalutem curæ futuram. Illi læti patrum cura ac ſolicitudine, fidem ſubjectionis atqve obedientiæ dedêre, ſacramento præſtito, in poteſtate Senatus futuras iſtas civitates, nec ſe pro Rege habituros, niſi qvem patres auctores facti deſignaſſent. Aliaqve pollicebantur prolixè a ſe omnia, ſive adhuc integri a ſeditioſis conſiliis, ſive perfidiam tegentes tempus expectabant.

Tandem verò rebus internis ita compoſitis, legatos audiri placuit. Introducti primi in ſenatum, qvi à *Chriſtiano* miſſi fuerant, *Wolfgangus Poviſius*, & *Melior Ranzovius*, eadem fere qvæ priores legati adferebant, beneficia *Friderici* erga rempublicam Danicam ad gratam ſenatus memoriam, qva decuit modeſtia, paucis revocabant, monebantqve patres fidei ſuæ, quâ ſe *Friderici* filiis litteris obligaſſent. Tum de periculis imminentibus diſſerentes, qvantopere reipublicæ interſit, Regem deſignari, oſtendunt. Qvod ſi non placeat, ſaltim formam aliqvam gubernationis ordinum conſenſu conſtituendam, ne reſpublica qvaſi in medio fluctuans, omnium periculorum telis exponatur. *Chriſtianum* à ſenatu haud diſceſſurum, in cujus voluntate ita omnia collocet, ut haud ægrè laturus ſit, ſi vel alicui fratrum regnum deferatur. Nec eo minus pacem ſervaturum, ſed regni partes ſeqventem, conjunctim fœdus cum qvovis facturum. Ac jam cum Danicis ſuos legatos, pro pace cum *Maria* Belgii Gubernatrice firmanda, conjungere paratum. Etenim in pari cauſa Daniam & hereditarias ejus terras eſſe, itaqve e re communi fore, ut neceſſitudinis inſeparatæ fidem utrinqve *Mariæ* faciant. Reſponſum a Senatu perbenigne, inconſultis Norvagiæ proceribus, de Rege creando nihil ſtatui potuiſſe; itaqve rem in annum prorogatam. Tum ſe rationem *Chriſtiani* ac reliqvorum fratrum habituros, prout æqvius meliusqve viſum, nec fidei immemores futuros. Placere legatos in Belgium mitti, qvi cum *Maria* de fœdere a-

 gant.

An. 1533. gant. Cum hoc reſponſo legatis dimiſſis, in ore omnium *Chriſtiani* moderatio fuit, commendata eo maxime, qvod nihil ambitioſius regni deſiderio per ſuos tentaſſet. Non interceſſum pro aliqvo fratrum, ne patribus ad invidiam præjudicium adferretur. Nec eum pudori ſuo decorum exiſtimaſſe, ut ſibi regnum peteret, excluſis fratribus, ne ambitio in crimen verteret. Id lenis eſſe & moderati ingenii indicium. Talem principem regno dignum, aut alium nullum. His vocibus tum exteri, tum Danici laudibus *Chriſtiani* lingva animoqve favebant, ut indies virtutis gloria magis inclareſceret.

Mox hinc auditi qvi a Lubecenſibus venerant. Erat ejus legationis princeps *Georgius Textor*, homo audax, temerarius, factioſus, qviqve improbis artibus ex menſtruo ſenatore ad conſulatum in ea republica evectus fuerat. Cujus oratio verſabatur potiſſimum in exprobratione beneficiorum, qvæ regnum Daniæ à civitate Lubecenſi bello contra *Chriſtianum II.* accepiſſe jactabat. Suppeditata ad auxilium a Lubecenſibus, claſſem, militem, tormenta aliaqve bello neceſſaria, ſumptus eos graves adhuc reipublicæ eſſe, & vires inde haud parum diminutas, commoda ad regnum Daniæ rediiſſe, pericula & impendia Lubecenſium fuiſſe, præmio nullo. Nihil enim fere inde emolumenti eorum rebus acceſſiſſe, præterqvam qvod *Fridericus* priſtinas immunitates confirmaſſet. Nam qvod recens initum fœdus, id mox labefactatum, ut ferè nulli uſui fuerit. Oportuiſſe ex legibus fœderis piratas mari arceri, ac in primis Hollandos, commerciorum cauſa tanto numero in haſce partes ventitantes, freto Oritano excludi, ut confœderatis libera, qva vellent, præſtaretur navigatio. Qvod neutiqvam tamen præſtitum. Illos enim omni metu ſolutos, paſſim mari oberrare, in ſpolia navigantium intentos, qvorum opes agant ferantqve, remittentes domum naves ſuas, onuſtas haud ſpernendis ex præda qvæſitis. Id Danos, utut civitatum jus graviter lædi haud obſcurum eſſet, diſſimulaſſe, ac impunitum tuliſſe, Lubecenſes autem, Regis permiſſu, ad ulciſcendam injuriam claſſem aliqvoties paraſſe. Eam qvidem, præfecto *Marco Meyero*, præclaram ope-

operam contra piratas, ac præsertim contra Hollandos hinc expellendos, semel atqve iterum edidisse: Sed hoc anno aucta in immensum hostium classe, infelicius rem tentatam. Rempublicam Lubecensem non amplius huic oneri ferendo esse, nec videri Hollandos, maris hujus portus omnes navibus suis freqventantes, nisi aditu freti prohiberi posse. Rogare igitur, eis interdicatur insolita narigatio, ne huc commeent, nisi determinato navium numero, negociatione eorum ad certas etiam & definitas merces redacta. Qvod ni fiat, de confœderatarum urbium commerciis actum fore. Qvum haud dubie eo spectent Hollandi, ut earum detrimento & injuria rem faciant, & commerciorum omnium usum ad se traducant. Hujus mali provisu instantius regni Danici auxilium Lubecenses implorare. Nec æqvum deseri eos, qvi in nullo infortunio Danos deseruissent. Ipsi qvamvis monendo occupassent, rem nihilominus ad Danos pariter pertinere, qvorum magnopere intersit, ne potentiam Belgarum crescere sinant, qvi ipsos perditum eant. Si opes eorum adjutent, â qvibus male sibi indies metuere habeant, qvid sperandum amicis, qvi fortunas suas pro salute regni profundere non dubitassent? An. 1533.

Qvum deliberari de responso cœptum esset, visum patribus, perplexum & periculi plenum id negotium. Opes Lubecensium magnopere suspectabant, qvi maritimarum urbium communem causam egissent. Qvibuscum per interregni tempus inimicitias suscipere, haud consultum visum. In magistratu esse homines turbulentos ac seditiosos, qvi domesticos ingentes motus conciverant, consulibus & senatui priori magistratum abrogando. Jam has turbas qvodammodo consedisse, & summam rerum ad inqvietos homines rediisse. Qvid igitur aliud ab iis expectandum, qvam ut qvavis sumpta occasione ad vicinos se convertant? Nam si abnuatur fœdus, aut denegetur auxilium, pro injuria id habituros, ac malum regno machinaturos. Contra Belgarum potentiam late patere cernebant, qvam Imperator, multarum regionum dominus, gubernante res *Maria*, sustentabat. Ejus iræ materiam præbere, longe periculosius fore. Qvæsitam apud *Mariam* pacem, qvæ, si spernatur,

 illu-

An. 1533. illuſum ſibi tentatione exiſtimaturam. Tum vero inconſtantiæ fore, tractationem fœderis jam decretam, in cujus ſocietatem *Chriſtianus* etiam venire velit, temere omittere. Si *Chriſtianus* pacem impetret, Danis excluſis, illum otioſum ſpectatorem, Belgas hoſtes infeſtos futuros. In hac ancipiti deliberatione aliqvot diebus conſumptis, tandem *Textori* legato hoc reſponſum datum: videre Lubecenſes rempublicam Danicam ſine Rege eſſe, qvo auctore fœdus feriendum ſit. Grave enim Senatui eſſe, auctoritati Regiæ aliqvid præcerpere, nec poſſe Regem niſi ſuo promiſſo obligari. Fœdus, qvod initum cum *Friderico* prætendant, cœptum duntaxat, non conſummatum fuiſſe, &, ut maxime ad conſummationem nihil ei defuerit, aliam *Friderici*, aliam ſucceſſoris cauſam eſſe. *Friderico* enim mortuo, in ejus verba ſucceſſorem haud obſtringi. Nec æqvum cenſere, auxilium flagitari contra commerciorum libertatem. In eadem cauſa cum Belgis Gallos, Anglos, Scotos eſſe: Cum iis fœdera intercedere, qvæ commercia impediri non ſinant. Nec velle inimicitias cum inclyta domo Burgundica: Malle pacem fieri, ac bellum ſopiri, ac jam deſtinatos legatos ad *Mariam*, qvi de pace agant. Non poſſe igitur Hollandos hic oppugnari, illic interim pacis negotium tractari. Hoc non eſſe ſinceritatis Danicæ, non fidei & conſtantiæ. In his Lubecenſes acqvieſcant, usqve dum Rex creatus ſit, tum fœdus æqvum haud recuſatum iri.

Moleſtè ferebat *Textor*, non ad voluntatem reſponſum, acciditqve præter ejus pariter & Lubecenſium opinionem, qvod poſtulata negarentur. Rati enim, memoria recentis adverſus *Chriſtiernum* captivum præſtiti auxilii, qvidvis ſe impetraturos. Tametſi diſpar utrinqve ratio: Lubecenſibus tum *Chriſtiernum* oppugnantibus, non ut Danis gratificarentur, ſed qvia ipſi eundem ſimul hoſtem habebant. Jam vero cauſam ſuam agebant, cupientes Danos cum Belgis committi, ut commerciorum omnium uſum in ſuam poteſtatem redigerent. Qvod qvum iniqvum eſſet, nihil tamen ejus homini inſolenti curæ, nec ſpectare magnopere, qvid res tempusqve poſtularet, tantumqve ad propoſitum tendere. Ac fremebat tacite animo, non habitam petitionis

nis suæ rationem, repulsamqve ad contumeliam trahebat. Qvapropter ubi intellectum, ab aliis legatis Lubecensium, qvi in Sveciam missi fuerant, re minus ex sententia illic confecta, proditionem cœptam, existimans nihil a se actum, nisi & ille viam conjurationis aliqvam iniret, huc animum flexit. Visi autem homines ad eam rem præ aliis idonei, *Georgius Coccius*, & *Ambrosius Bibliopegus*, hic Hafniensis, ille Malmogianus Consul, uterqve in ea gente Germanica natus, qvæ semper Lubecæ plurimum potuit. His igitur, fide silentii data & accepta, qvod meditatus erat consilium patefacit. Existimare pium & dignum homine officium, periclitanti veræ religioni pro viribus obvenire. Qvum itaqve videat antistites hoc agere, ut cursum reformatæ doctrinæ impediant, nec in tuto esse, qvi eam profiteantur, putare ad incolumitatem ecclesiæ & reipublicæ pertinere *Christiano* Duci regnum deferri. Alioqvin, si res ecclesiasticis ad voluntatem affluant, pertimescendam immanem eorum sævitiam, qvippe iis vix cessaturis, priusqvam tribunalia omnia civium sangvine imbuantur, ignes per fora micent, aliaqve in plebem, catholicam religionem repudiantem, exqvisita supplicia parentur. Nam qvid aliud a tam violentis hominibus, impunitate per interregni tempus proposita, sperari qveat, qvi, ne qvidem vivente Rege, odium adversus religionem occultum habuerint? Si *Christianus* regnum oblatum capessat, protectorem religioni contra antistites inventum; cujus pietas jubeat sperare plus boni, qvam ex eorum crudelitate necesse sit formidare mali. At si recuset regnum, non defutura a Lubecensibus auxilia, qvæ à religione periculum propulsent, ejusqve libertatem asserant. Vellent modo, cum præsidia appellerent, portus aperire, & intra mœnia recipere, ut conjunctis viribus res geri possit. Nam necesse eos Lubecensibus opes suas ad regnum occupandum subministrare, uti ipsorum auspiciis tanto validius illud invadi possit. Eo pacto non solum securos religionis reformatæ fore, sed & præmium mansurum, qvod summum a Lubecensibus præstari posset, ut in fœdus commune civitatum, commodis ac immunitatibus iisdem cum illis fruituri, adsciscerentur. Non abhorrebant ab hujusmodi An. 1533.

con-

An. 1533. consiliis *Georgius* & *Ambrosius*, freti uterqve plebis in religione consensu, ille etiam tantum fidei apud plerosqve patrum nactus, ut consiliorum publicorum aliqvando conscius fieret, nemine aliqvid turbidi ab eo metuente. Qvum in hæc illis convenisset, convento *Trebavio*, qvi *Christiano* à secretis comes legatis ejus adjunctus fuerat, per eum *Coccius* Ducem certiorem facit de Senatus & plebis ob religionem distractione. Petit occultè, qvid animo statuisset, indicari. Si placeat regnum acceptare, non deesse rationem bene putatam, qva id sine cæde & sangvine tradatur. Interfuerat etiam comitiis Danicis *Nicolaus* qvidam *de Rusticis* nomine, ex Gallia cum litteris ad *Fridericum* missus, qvi, qvod mors Regis adventum ejus prævenerat, jussus litteras ad filium ferre. Huic deinde à *Textore* simul & *Coccio* negotium datum, *Christiano* regnum utriusqve nomine offerendi. Viam, qva id sibi suisqve parare possit, satis eos meditatam habere, nec esse adversariorum timendam potentiam, contra qvos necessaria civitatum confœderatarum subsidia promittere non dubitarent, ut qvi eorum certi essent. Post & *Textor* seorsum, per *Gunterum* qvendam Ditmarsis a secretis, idem offert, cum amplissima spe regni conseqvendi, si paululum saltim adniti velit. Sed *Christianus*, utut in facili videbatur regnum acqviri, semper institutum tenuit, cum ambitionis modum, qvem justitiæ, sibi statuens.

Dum *Textor*, *Coccius*, & alii in his sunt, antistites, qvi suæ potestatis jam cuncta fecerant, liberius agere, & ad arbitrium res disponere. *Johannis* Ducis educatione mandata *Olao Rosæcrantio*, tanqvam aulæ præfecto, & *Petro Scavenio* informatori, tributa ei una atqve altera præfectura, ut, tanqvam successionis certus, in usum ac possessionem regni introduceretur. Aliæ arces & castella tradita aliis, prout qvosvis aut ad res suas magis idoneos, aut arctius sibi beneficiis obnoxios fore existimabant. Edicta etiam promulgata, qvibus, qvarundam rerum exportatione inhibita, lucro negotiantium plurimum decessit. Qvibus aliisqve modis qvum vectigalia magnopere imminuta essent, impendiis publicis annui reditus regni vix responderunt. Itaqve necesse fuit venire ad solitum tributorum subsidium, impe-

perante Senatu plebi grandem pecuniam, unde primum irritatis animis rebellionis cogitatio inceſſit. An. 1533.

Exorta deinde alia tumultum conciendi occaſio. Antiſtites enim, non contenti probra & contumeliam in religionis reformatæ defenſores ingerere, ſubinde minas addebant in eos, qvi ſenatusconſulto non parerent. Nec ceſſaturos apparebat, priusqvam inſigni ſeveritatis exemplo plerosqve ab ejus profeſſione deterruiſſent. Offenſi ergo *Goyæus* & *Bannerus* iſta pervicaci antiſtitum feritate, qvum hactenus nihil non pacis & concordiæ cauſa tuliſſent, conſilium deferendi Senatus capere. Mox uterqve eorum, patribus reddita diſceſſus cauſa, invitos ſe a ſenatu ſegregari, Dei hominumqve fidem conteſtati ſunt. Videre ſe nihil a patribus agi, qvod in rem publicam pertineat. Indicta enim fuiſſe comitia Regi creando, ſed antiſtites nihil minus curæ habuiſſe, potiusqve ſuas egiſſe. Si itaqve per interregnum reipublicæ ſecius aliqvid accideret, nolle eum alienæ culpæ reatum ſuſtinere, nec ſibi crimini dari qvod præſtare non poſſent. Nec obſcurum erat ad antiſtitum invidiam diſceſſum horum vergere, nec tamen eo retinere abire parantes laborarunt. Qvos mox urbe exeuntes magna nobilium turba ac plebis innumera multitudo comitata, infeſtis omnes animis in antiſtites, a qvibus extrema mala metuebantur. Qvæ & confeſtim ab eorum diſceſſu erupere. Nam qvum jam amotis adverſariis in Senatu antiſtites dominarentur, religionis certamina, nulla nova cauſa exorta, reſumuntur. Antiſtites mollibus patrum conſultis minus religioni catholicæ cautum exiſtimantes, ut reformatæ doctrinæ miniſtros procul, plebe eis adhærente, amoverent, aut e medio tollerent, in animum ſibi induxêre. Itaqve recenti ſenatusconſulto freti, qvo docendi munus eorum injuſſu uſurpare vetitum, *Tauſanum* in jus trahunt. Accuſatores ſe ferebant ipſi antiſtites & prælati. Judices autem ſedebant reliqvi Senatores, qvi in comitiis remanſere, unaqve Hafnienſes ac Malmogiani conſules, aliiqve magiſtratus. Qvum inſtitueretur in eum accuſatio, id inprimis ab omnibus ei crimini datum, qvod libello qvodam typis excuſo ordinem eccleſiaſticum univerſum ad plebem traduxiſſet. Appellaſſe

C enim

An. 1533. enim antiſtites & prælatos tyrannos immanes & contumaces, reliqvos impoſtores & occæcatos truncos, qvi ignavi ventres & iners terræ pondus, neqve frugi neqve rei bonæ ſint, multaqve alia convitia in univerſos eum cumulaſſe, qvibus liber ſcateat. Deinde etiam inſeruiſſe contra miſſæ ſacrificium ac cœnæ dominicæ ſacramentum, qvæ catholicæ eccleſiæ Romanæ doctrinæ haudqvaqvam ſint conſentanea. Præter hæc ſeorſum *Ronnovius* ſuam qvandam injuriam perſeqvebatur: *Tauſanum* a ſe non vocatum aut ordinatum, ædem *Divo Nicolao* ſacram ſibi uſurpaſſe, qvam concionibus hæreticis, plebe catervatim ad eum confluente, profanarit. Nec, interpellatum iſta de re in cœtu eccleſiaſtico, eum æqvi aliqvid reſpondiſſe, ſed inſuper os impudens ad contumeliam aperuiſſe. De qvibus objectis *Tauſanus* paucis reſpondit: „Qvicqvid horum feciſſet, ad glo„riam Dei feciſſe, nec niſi hominum æternam ſalutem a ſe „ſpectatam. Privatim ſibi cum nullo eccleſiaſticorum, ne „dum cum *Ronnovio*, inimicitias intercedere, qvem ſi ver„bis per imprudentiam vel imperitiam læſiſſet, paratum „offenſam demiſſe deprecari. De ſacroſancta cœna Domi„ni nullius ſibi erroris conſcium, ſed ſi qvæ culpa in eo do„ctrinæ articulo libro commiſſa, eam librario ſeu typogra„pho imputandam. Fateri ſub ſpecie panis & vini, in „miſſa a ſacerdote conſecrati, non latere vel includi corpus „& ſangvinem Dominicum, nec arcula vel pyxide, ubi ſe„cundum Romanæ eccleſiæ ritum panis aſſervatur, illud „contineri. Qvum his aliisqve utrinqve diſceptata lis eſſet, pronunciata a judicibus ſecundum eccleſiaſticos ſententia; damnatusqve *Tauſanus*, uti jure & legibus plecteretur, ni antiſtites delicti gratiam exorare poſſet. *Ronnovio* autem adjudicata templa urbana Hafniæ, & qvæcunqve alia ejus ſacræ jurisdictioni fuiſſent exemta, qvæ deinceps teneret eo jure, qvo antiſtites Roſchildenſes unqvam liberrime templa ſua uſurpaſſent. Decretumqve inſuper, ut ſacerdotes ac concionatores ipſe inſtitueret, qvi verbum Dei docerent, ſacramenta adminiſtrarent, miſſas dicerent, aliaqve ſacra obirent, ut Chriſtianis dignum foret. At ſenatores ac reliqvi magiſtratus plebeii *Tauſani* apud antiſtites ſupplicium depre-

precantur, nolentes ejus damnationem emanare, ne qva plebem inde offendi contingeret. Qvi intercessione sua obtinuere, ut pœna relaxaretur hisce legibus, ne deinceps *Tausanus* conciones haberet in æde aliqva Hafniensium, neve alia sacra ibi perageret: ne libros ullos componeret, aut in publicum ederet; ut intra mensis spatium diœcesi Sielandica discederet, nec in Scaniam vel Sielandiam unqvam rediret. Si qvando Fæoniam vel Jutiam ingressurus, ne libros evulgando, aut ad plebem concionando, ecclesiasticum munus sibi arrogaret. Nec ecclesiæ se alicui ingerens, jus vel auctoritatem antistitum minueret, sed ipsorum consensum prius reqvireret. An. 1533.

Patribus hæc in curia civitatis agentibus, plebs Hafniensis sumptis armis furens, forum tumultu ac clamoribus implet. Indignari enim & fremere, ab reformatæ doctrinæ hostibus concionatorem suum in jus trahi, qvi causam apud eosdem judices & accusatores diceret. Audiebanturqve voces restitui *Tausanum* flagitantium, ac ne contra religionem gravius statueretur, adjectis minis, haud impune ecclesiasticos habituros, si secus fieret. Intellecta causa tumultus, periculum verita excivit curia aliqvos ex senatoribus, qvi plebem irritatam pacarent. *Tausano* nihil periculi esse; cui cum ecclesiasticis intercessione patrum jam probe convenerit. Nec interdici religionis reformatæ usum, tantum antistites desiderare, ne ministri in ecclesias, auctoritate ipsorum posthabita, involent. Irent igitur pacati domum, & res suas agerent; senatui curæ futurum, ne qvid iniqvum contra religionem, vel ejus ministros decerneretur. Sed plebs nihilo sedatior, in antistites probra & convitia ingerebant. Itaqve patres hac audaci petulantia acerbati, sonantiore voce, qvam ira expressit, ad pœnas expetendas inardescunt. Sed verba eorum, tametsi indiscreto sono parum intellecta, iram tamen indicabant. Proinde intumescente contra motu plebis, & ipsi armati infrendent, ac minabundi inclamant, exhibendum *Tausanum*, aut se fores molituros. Patres intento metu subacti, *Tausanum* plebi restituunt, cautione de vitæ securitate ei data. Mox e curia egressi, domum per mediam plebem se recipiunt, eo qvisqve tu-

 tior

An. 1533. tior, qvo a religionis reformatæ odio exiſtimabatur alienior. *Ronnovium* præ aliis ferocia inviſum plebs oculis trucibus aſpiciebat, infeſtis animis ſeqvens, ac piaculum furoris depoſcens. Sed evaſit tamen violentas eorum manus, *Tauſani* æqvanimitate ac manſvetudine, qvæ turbidos & religionis zelo præpoſtero flagrantes compeſcuit. Qvo nomine in ædium veſtibulo converſus ad comitantem *Tauſanum*, ei gratias egit, eiqve æqviorem benigniorem qve ſe exinde præſtitit; uſqve adeo ut non multo poſt, ad interceſſionem *Goyæi* & preces Hafnienſium eccleſiæ reſtitutus ſit, qvum prius fidem ſuam obſtrinxiſſet, ceſſaturum ab omni in eccleſiaſticos convicio, ac in honore commodisqve ejus ſtudium & operam omnem occupaturum. In qvæ tamen aliaqve ſponſorem *Ronnovius Goyæum* ſumpſit, a qvo promiſſum, qvicqvid periculi eo nomine crearetur, junctis viribus ſe depulſurum, etiam cum vitæ fortunarumqve omnium diſpendio. Nam *Ronnovius* arctiore amicitia *Goyæo*, *Bannero*, & *Magno Guldenſternio* junctus, cauſæ religionis reformatæ non uſqve adeo deinceps infeſtum ſe præbuit, modo opum ſacrarum ſecurus eſſet.

At reliqvi antiſtites, ſoluto ita Senatus conventu, ut relicta qvaſi in medio reſpublica ſine certo ordine aut ſede gubernationis huc illuc fluctuarat, qvum domum ſe contuliſſent, in ſua qvisqve diœceſi perſecutionem reformatæ doctrinæ acriter aggrediuntur. Metropolitanus *Torbernus Billeus* miniſtros evangelii, qvi *Malmogiæ* & *Veiis* haud infelici ſucceſſu docuerant, proſcribit. Civitatibus his aliisqve pœnam excommunicationis denunciat, ni eos a ſe abigant. Reliqvi ejus exemplo & ipſi per ſuas qvisqve diœceſes perſecutioni ac expulſioni miniſtrorum nihilo ſegnius inſiſtunt. Sed conſtitit adhuc tamen omnis perſecutio intra proſcriptionis pœnam, non niſi paucis irrogatam. Ad crucem, gladium, ignem nusqvam ventum eſt, nec religionis reformatio ſangvine cujusqvam redemta. Qvæ miſericordia omnino cœlitus præ aliis regnis Daniæ illuxit, qvum ubiqve fere in vivis ac mortuis cremandis extrema ſævitia exercita ſit. Cujus beneficii utinam nobis ita vigeat perenniter memoria, uti ſenſit inde multum emolumenti eccleſia.

Cæ-

Ceterum qvum antistites ab hujusmodi persecutionibus non desisterent, & ad exstirpandam reformatam doctrinam nihil operæ reliqvum facerent, pleriqve religionis excidium metuentes ad *Christianum* respectabant. *Goyæus* igitur, qvi pridem reversus ex comitiis, *Christiano*, tum venationi operam danti, regnum detulerat, jam denuo juncto *Bannero* & *Guldensternio* (nam is ex Scania communicato cum *Coccio* consilio hac causa venerat) *Christianum* ad regnum capessendum instanter invitant, polliciti ad subigendos resistentes, a se aliisqve in consilio consentientibus auxilia, atqve insuper plebem urbanam ac rusticam in partes venturam. Vellet is modo cum exigua manu peditum eqvitumqve in Jutiam ducere. Ubi mox eo ingrediente, paterent propugnacula & castella omnia. Inde comitaturos in reliqvas regni provincias, qvæ etiam absqve difficultate in ejus potestatem concessuræ. Sed ne sic qvidem *Christianus* a proposito expectandi legitimam electionem se abstrahi passus est: respondens, scire a Deo vetitum, sine legitima vocatione, seu vi seu dolo magistratum invadere. Non enim existimare auspicatum regnum fore, qvod astu partum, aut sangvine dedicatum. Existimare etiam regnum Senatui extorqvendo nomini suo ignominiosum, si spem successionis, fratribus pariter factam, interciperet. Sed & metuendum, ne motus inde existant, qvi rempublicam potius in ruinam dedant, qvam in tranqvillo sistant, ut illi sperent. Itaqve regnum, inter mortales rem augustissimam, violato gentium jure, & oppressa suffragiorum libertate, nolle pessimo exemplo sibi ita parare. Sed si prius patribus inter se de electione convenisset, tum pariturum ipsorum voluntati, & qvæ ab eo officii regii jure desiderari possint, pro viribus præstiturum. Qvum rogando & hortando nihil apud *Christianum* proficerent, *Goyæus* dolens, Deum testem implorat, culpæ se immunem fore, si qvid infortunii in regnum ingrueret: Ipsum redditurum Deo rationem, qvi gubernationem accipere detrectarit. An. 1533.

At qvod *Christianus* præ modestia recusavit, id *Henricus* Angliæ Rex ausus est pecunia redimere. Non ullo juris adminiculo, non populi Danici favore, sed externi tantum

An. 1533. tum hominis, *Majeri* Lubecenſis, magnificis in ſpeciem promiſſis fretus, forte cum captivum Anglus apud ſe hac occaſione habebat. Etenim reverſus ex legatione Danica *Textor*, turbulentis concionibus plebem Lubecenſem contra Danos & Hollandos pariter accenderat. Ira recens tamen in Hollandos magis tum eos ſtimularat, a qvibus claſſis civitatum fuerat paulo ante repulſa. Qvum ergo inſtructæ contra eos viginti qvatuor naves bellicæ, vaſtum oceanum ingreſſæ, ſub Norvagiæ littora vi tempeſtatis eſſent diſſipatæ, earum aliqvæ ſcopulis alliſæ, perierunt, aliæ in Albim delatæ ſunt. Prætoria qvæ fuit, vehens *Majerum* claſſis præfectum, in Angliam abducta. Ibi *Majerus* detentus, ut ſe captivitate eximeret, facinus audax aggreſſus eſt & temerarium. Regnum Daniæ Lubecenſes tradituros *Henrico*, vel cuicunqve ille vellet, pollicetur. Promiſſa viciſſim Lubecenſibus ab *Henrico* belli ſubſidia, aliaqve in regno ejus commoda, qvæ præmii loco expectarent. Hoc illis utrinqve gratum, ne fidei transactioni aliqvid deeſſet, reſtabat, ut legati mitterentur, qvi rem totam conficerent: de qvibus mittendis qvum conveniſſet, *Majerus* donatus ampliſſimis donis, & aurei eqveſtris ordinis dignitate auctus, dimittitur.

Ita qvum *Textor* pridem in Dania, *Majerus* modo in Anglia, belli conſilia contra regnum Daniæ inſtituiſſent, inſatiabili ejus occupandi cupiditate in dies magis magisqve inflammabantur. At redierant jam ex Belgio legati, pace cum *Maria* facta. Igitur antiſtites, qvibus id ſeorſum indicatum, rem ad totius Senatus cognitionem pertinentem, eo referri voluere. Qvapropter coactis denuo patribus Othiniæ a. d. XII. calendas Octobris, ibi renunciatum, qvibus legibus fœdus cum *Maria* ictum. Convenerat enim de mutuo auxilio contra hoſtes ſuppeditando, mittendis in uſum belli navibus, militibus, tormentis, commeatu, aliisqve neceſſariis. Sed conſultum amicitiæ Lubecenſium fuerat, ne Dani hoc bello contra eos ad ferendam Belgis opem obligarentur, neqve item Lubecenſibus contra Belgas opitulaturi. Si vero contingeret, Svecos & Hamburgenſes Lubecenſibus jungi, ut Dani tum operam darent, qvo pacto ſepa-

ſeparari poſſint. Promiſſum inſuper, pacem, faventibus Belgis, ſimul fœdere comprehenſum iri. Præmonendos, ut ſuos pariter legatos mittant, nec partem alteram cum hoſtibus, qvi modo ſunt, niſi altera parte conſentiente, pacem facturam. Adjectum etiam de navigatione per fretum *Oritanum* libera Belgis præſtanda, nec commercia terra marive impeditum iri, absqve tamen ſolitorum vectigalium ac portoriorum diminutione. Atqve hoc fœdus, ſublatis controverſiis & qverelis, qvæ huc usqve competere potuerunt, in triginta annos duraturum erat, ſi ratum utrinqve intra trimeſtre haberetur. An. 1533.

Nec diverſis multum ab hiſce conditionibus *Maria* & *Chriſtianus* inter ſe pacti ſunt. Hoc amplius eorum fœderi acceſſit, qvod ſenum millium Carolinorum annuum ſtipendium promiſſum militaturo auſpiciis Imperatoris Belgarum certo militum numero, qvum ita uſus veniret. Qvod ſtipendium in aliqvem fratrum transferretur, ſi *Chriſtianum* Regem creari contingeret. Sed *Chriſtianus*, tametſi hoc fœdere cum *Maria* percuſſo ſecurus periculi videbatur, non ita tamen amicitiam Belgicam amplexus eſt, ut Danicam prorſus aſpernaretur, gnarus longinqva auxilia ad opem ferendam lenta, in fide inſtabilia. Itaqve ſuorum aliqvos huc mittit, qvi nuncient, indicto conventu Slicevicenſium & Holſatorum Rendesburgum a. d. calendas Decembris, in animo eſſe fœdus cum regno Daniæ arbitrio procerum renovare. Hinc exiſtimare, in rem eſſe, ſi conſtare poſſit, qvantum auxilii, exigente neceſſitate, præſtandum invicem ac exſpectandum ſit. Rogari itaqve patres, qvum communium hoſtium metus urgeat, eo mittant, qvi leges fœderis dent, & accipiant. Ab iisdem exhibitæ tum litteræ, qvibus *Philippus* Pomeraniæ Dux Reginam viduam Senatui commendavit. Antiſtites, etſi *Chriſtianum* pridem peroſi, ac honorifico judicio Belgarum ad novam invidiam inflammati, tamen qvia pax ad perficiendum qvæ inſtituerant cum vicinis neceſſaria erat, fœdus haud detrectarunt. Deſignatis igitur aliis, qvi in Holſatiam irent, in Sveciam miſſi *Trugotus Ulſtandius*, *Nicolaus Vincentius Longus*, *Accius Julius*, ut de amicitia jungenda utrobiqve agerent. Statutum

An. 1533. tum enim cum patribus vicinorum potentiores qvosqve conciliare, ab imbecillioribus tranqvillitatem haud oppugnatum iri rati. Hæc a Lubecenſibus admodum adhuc metuebantur, ſeu qvia potentia non adeo valida ut regno eſſet formidabilis, ſeu qvia bello Burgundico impliciti, plus negotii ibi haberent, qvam ut cogitationes ſuas ad Daniam converterent. Sed & a Scoto nihil periculi videbatur, qvum *Alexander*, ad *Mariam* a *Ronnovio* miſſus, fidem fecerat, illum ad pacem propenſo ſtudio inclinare. Qva in re *Galvinus Dumbarus* Metropolitanus Glaſcuenſis, vir ſummæ auctoritatis, ſuam inprimis operam *Ronnovio* promiſerat.

Ceterum poſtqvam dies conventui Rendesburgenſi dictus aderat, Danis cum *Chriſtiano*, ipſius fratrumqve nomine, id fœderis convenit, ut arctisſimo amicitiæ nexu utraqve gens devinciretur. Inprimis acceptum utrinqve eſt, ne unqvam controverſiæ inter Regem & Duces exorituræ, in inimicitias, aut bellum erumperent, ſed ad arbitros utrinqve ex proceribus delectos devolvantur: Qvi bimeſtri ſpatio Collinæ ea componant, aut dijudicent ſine appellatione, neqve inde diſceſſuri niſi re finita; tantiſper dum hæc agunt, ſacramento, qvo qvisqve domino ſuo obſtrictus tenetur, ſoluti. Placuit deinde hoſtibus neutrobi receptaculum patere, aut protectionem præſtari, alio tamen ſupplicum jure: Qvibus affectis injuria a dominis ſuis, ſi negata juſtitia fuiſſet, hoſpitium benigne præberi poſſet. Nec eos dedendos ſi judicium pati vellent. Bellum absqve communi conſenſu non inceptandum: ni recuſato judicio vis inferatur. Ac tum auxilium invicem contra qvosvis hoſtes præſtandum, ut tamen ex Dania alterum tantum Ducibus adminiſtraretur. Inter ſubditos autem privatim, cujuscunqve ordinis ac conditionis ii ſint, benignam interceſſuram officiorum communicationem, ut mutuo commodo ſua invicem, qvantum poſſint, comparent. Hoc fœdus ſervatum iri promiſſum eſt, qvousqve aliqvis ex familia *Friderici* regnum in Dania teneret. Qvod ne lingvarum interpretatione aliqvam ſenſus diverſitatem pareret, germanice ſimul ac danice conſcribi placuit. Ita hic annus exactus firmandis amicitiis, nullo triſti caſu niſi ſaltim obitu Regis inſignis.

Pro-

Proximi anni initium non inauspicatum, revertentibus ex Svecia legatis, qvi fœdus cum *Gustavo* factum renunciarunt. Comprehensa eo omnia, qvæ ad benevolam officiorum communicationem vicinis regnis intercedere possint. Constitutumqve invicem, certum contra hostes qvoscunqve auxilium, qvod tamen Svecis tanto amplius a Danis præstandum, qvanto regnum Daniæ accessione Norvegiæ esset potentius. Nec non de possessionibus nobilium, qvas in alterutro regno habent, transactum, qvo jure ea teneant, ac qvomodo de bonis naufragio ejectis habendum sit. Præterea qve alia multa, prout tum tempora ferebant, ad salutem utriusqve regni necessaria, fœdere continebantur. In qvæ omnia eo lubentius *Gustavus* inclinabat, qvia cum republica Lubecensi graves susceptæ jam inimicitiæ. Lubecenses enim Svecorum naves attinuerant, qvod *Gustavus* reductus in patrium regnum, navibus & milite a republica suppeditatis, ac privatim a civibus qvibusdam pecunia adjutus, æs alienum, qvod exul & egens conflaverat, non dissolverat. Ille vicissim in bona Lubecensium suis jus dicens, involari ea permiserat, tantisper dum illi finem detentioni facerent. Lubecenses, qvum res repetitum neqvicqvam misissent, dolum variis viis instruxerant. Inita per *Hermannum Mollerum* in caput *Gustavi* conjuratio cum *Johanne*, *Justi* Comitis Hoyensis filio, cui, data in uxorem sorore, Gustavus provinciam Viburgum Finlandiæ attribuerat. Sed ea mox prodita, qvum Comes simulata invaletudine in Germaniam ad medici opem petendam profectus, *Lubecam* se contulisset. Nam primo suspectum hoc *Gustavo*, qvod non alio qvam ad hostes suos ivisset. Inde in complures, qvos familiarius Comes cognoverat, inqvisitum, qvi seu vere seu falso conjurationis insimulati, clam se periculo subduxere. Qvorum qvi præcipui erant, se *Lubecam* receperunt, ibi in reipublicæ stipendium asciti. Itaqve qvum hæc Lubecenses infeliciter tentassent, mox partim pudore irritæ conjurationis, partim vindictæ cupiditate aliam machinationem aggressi, id egere, qvo pacto *Gustavo* æmulum excitarent. Visus ad eam rem potissimum idoneus *Svanto Stureus*, qvem ex paternis honoribus spiritus gerere credi poterat. Ei igitur

An. 1534.

D

An. 1534. tur ex aula Saxonica Lubecam per fraudem avocato, qvippe qvi tum inter *Magni* Ducis purpuratos erat, regnum Sveciæ delatum: pollicentibus *Majero* & *Textore* Lubecenſium auxilia, qvanta ad hoc inceptum reqviri poſſint. Sed ea Svantoni vis animi, ut nec honore, qvi ſupra privati hominis modum in eum collatus fuerat, nec contumelia, qva contra jus fidemqve affectus a Lubecenſibus fuerat, ab officio dimoveretur. Itaqve aliqvanto tempore *Lubecæ* tanqvam culpæ reum detentum, tandem non ſine ignominia dimiſerunt, qvi hujus conſilii auctores fuerant, accepta prius cautione, fraudi detentionem haud fore. Hæc igitur cum in ſe ſtrui *Guſtavus* comperiſſet, aliaqve hujusmodi plura haud fruſtra timeret, fœdus cum Danis opportune oblatum contraxit, Lubecenſibus ſe hoſtem ferens, atqve eos viciſſim ſibi hoſtes fore tam evidentibus indiciis haud dubitans. Sed ne tamen ad arma veniretur, haud ita pridem *Magnus* dux Saxoniæ *Guſtavi* ſocer ultro intervenerat, ut ex æqvo diſſidium componeret. Qvod cum inani conatu periclitatus eſſet, pertendentibus utrinqve, ut ab adverſa parte initium detenta relaxandi fieret, jam Senatores regni Danici in id ſummo ſtudio incubuere. Miſſis enim litteris ſedulo Lubecenſes hortati, Svecorum naves cum mercibus dimitterent, haud dubitaturi, qvin ſua itidem a Sveco recuperarent: ac, ſi gratum officium haberent, operam in concilianda gratia collocaturos, polliciti. Sed Lubecenſes, nec priores detenta relaxare, nec controverſiam niſi apud ſe diſceptari paſſi ſunt. Æqvior *Guſtavus* viſus, qvi poteſtatem Senatui in Dania cauſam cognoſcendi facere, veritus maxime plebis Lubecenſis inconditis clamoribus pacem turbatum, animosqve irritatum iri. Ita cum neutra pars cedere in animum induxiſſet, haud vana noſtris ſuſpicio, Svecos ac Lubecenſes invicem ad arma venturos. Verum res tandem contra exſpectationem in contrarium cecidit.

Nam Lubecenſes, nec cum Svecis fida amicitia juncti, nec bello cœpto, omnem irarum molem in Danos nullius injuriæ manifeſtos verterunt, omiſſis in præſentia iis, qvos hoſtes eſſe palam erat. Qvum ergo Daniam armis adoriri

iis

iis deliberatum esset, ne distrahi alio vires contingeret, pacem prius cum Burgundis facere constituerunt. Conventus eo nomine Hamburgi habitus, missis a Lubecensibus legatis *Mayero* & *Textore*, qvi superbe, tanqvam triumphatis hostibus, ad sonum tubæ in armis eqvites urbem invecti sunt. At *Maria*, ex auctoritate Imperatoris, *Georgium Austriacum*, ac *Maximilianum Transilvanum* legatos misit. Initio pax convenire non poterat, qvod Lubecenses, qvasi mari Balthico dominantes, numerum navium præfigi vellent, qvibus Belgæ fretum Oritanum ingrederentur. Id legatis Burgundicis iniqvum visum, differentibus, haud alias leges suis dici oportere, qvam Vandalicis in Belgio essent impositæ. Etenim Christianæ reipublicæ eam esse conjunctionem, ut omnium commerciorum usum liberum esse oporteat. Belgas igitur in eas angustias haud redigendos, ut navium certus numerus, ac præsertim tam arctus, præscribatur. Ita qvum eo fere ventum esset, ut re infecta discederetur, tandem ita concordatum est, ut induciæ in qvadriennium essent. Interim Belgæ, haud vetantibus Lubecensibus, mare Balthicum qvot vellent navibus peterent. Hæc Principes, & qvi a civitatibus, Gedanensi, Vismariensi, Rostochiensi, Sundensi, atqve Luneburgensi, itemqve Hamburgensi, huc missi erant legati, vix obtinuere, ut utrinqve grata haberent. Nam istæ respublicæ omnes Lubecensibus qvasi in communi causa se conjunxerant. At *Christiani* Ducis legati, qvi & ipsi præsto erant, a Burgundis steterant, succensentibus valde eo nomine Lubecensibus. A Danis autem & Svecis ex lege fœderis reqvisitum qvidem fuerat, ut & illi suos mitterent, Burgundis hoc per litteras postulantibus. Sed cum a *Ronnovio* responsum esset, serius redditas litteras, qvam ut tam brevi expediri cum mandatis legati possent, spem tamen Burgundi fecere, Daniæ rationem habitum iri. Veruntamen non minus Dani qvam & Sveci induciarum pactione exclusi, sive postulantibus ita Lubecensibus, sive alienam causam minus curantibus Burgundis. Qvod eo indignius, qvia exhibita confirmatio Cæsaris, super fœdere *Gustavi* anno superiore facta, tradita nimirum legatis *Christiani*, ut ab eo in Daniam transmitteretur.

An. 1534.

D 2 At

An. 1534. At Lubecenſes, hoc modo pactis induciis, cura belli Burgundici ſoluti, atqve ab eorum hoſtium, qvos maxime formidabant, metu ſecuri, ad auxilia Anglica, qvorum contra Danos *Majero* ſpes facta, reſpectabant. Dumqve hæc eos expectatio tenet, in paucis diebus commodum accedunt *Hamburgum* legati ab Anglo miſſi, cum Lubecenſibus de ea re acturi, ſimulqve reliqvas civitates Vandalicas ad ſocietatem fœderis adverſus Pontificem Romanum invitaturi. Exarſerat enim in Anglum *Clementis ſeptimi* acerrima indignatio, qvod ab *Catharina*, *Ferdinandi* Hiſpaniæ Regis filia, qvam viduam a fratre relictam, duxerat uxorem, divertiſſet, atqve *Annam Boleniam*, ſpreto ſacro interdicto, ſibi conjugem ſumpſiſſet. Itaqve ut civitates divortium ſuffragiis ſuis odio Pontificis, a qvo non ita pridem defecerant, probarent, eas ſibi in ſocietatem aſciſcere voluit. Cum his igitur legatis Anglicis, tum de *Henrici* divortio in concilio propugnando, civitates reliqvæ, tum ſeorſum de Dania ei tradenda, Lubecenſes depacti ſunt. Ab his promiſſum, regnum Danicum, qvod ſpe vana præceperant ſuæ poteſtatis eſſe, ipſius fore, aut cujuscunqve alterius qvem ipſe regnare vellet. *Henricus* viciſſim pecuniam aliaqve belli ſubſidia ſe ſuppeditaturum ſpopondit. Atqve haud multo poſt, miſſis in Angliam legatis, decem aureorum Anglicorum millia arrhæ nomine, ſeu in partem pretii, ſunt repræſentata. Poſtqvam ita Anglum in belli hujus ſocietatem veniſſe intellectum eſſet, tanto facilius adjunxerunt ſibi Lubecenſes ex confœderatis civitatibus, Roſtochienſes, Viſmarienſes & Sundenſes, apud qvos plus valuit plebis auxilium decernentis conclamatio, qvam magiſtratuum pacem ſvadentium moderatio.

His igitur externis præſidiis reſpublica Lubecenſis freta, ſuæqve ipſa qvietis impatiens, toto hoc mari, qvod Daniam Sveciamqve interluit, ac late utramqve ambit, bellum moliri cœpit, Daniam armis aperte adoritura, Sveciam rebellione (uti ſperabatur) perditura. Sed conjuratio res perplexa, qvæ nec ab uno expediri, nec pluribus communicata, clam haberi poterat, *Guſtavo* pridem detecta, ut memoravimus. Itaqve ibi ſpe lapſi, Daniam ſibi in prædam deſtinant.

nant. Deerat vero imperator, cujus auspiciis bellum qvæsito colore inceptari poterat. Qvumqve ex vicinis Principibus non esset, qvem Lubecenses pollicitationibus suis ad tam periculosum bellum impelli posse sperarent, tandem post longam deliberationem ad *Christophorum*, ex Oldenburgensi stirpe Comitem, itum est. Is pro eo, qvo natus erat, loco, opibus haud admodum validus, sed exiguæ duntaxat terræ dominus familia cum fratribus herciscunda factus, ac præcipue collegii Coloniensis, cujus ille sacerdos erat, proventibus degens, supra fortunam gerebat animum, nihilqve non spe aliqva dignitatis atqve potentiæ ausurus putabatur. Hunc igitur ubi *Majerus* & *Textor*, Lubecam litteris accersitum, in potestate qvodammodo habuere, de nefario suo incepto ita cum eo communicant: " Bellum "Danis facere in animo esse, cujus, qvas causas habeant, "edocent. Cum Burgundis enim in perniciem civitatum "fœdus a Danis initum, eorumqve permissu qvotqvot ve"lint Belgarum naves, contra jura a Regibus indulta, freto "Oritano transmitti. Lubecensium autem, pristinorum "amicorum, merita neglecta, ac spretam amicitiam. Nam "missum ad proceres legatum pro renovatione fœderis, "cum repulsa reversum. Hanc contumeliam se ultum ire, "nec passuros contemptu Lubecensium Danos diu lætari. "Ipsum præ cunctis imperatorem sibi destinasse, cujus au"spiciis rem geri velint. Non deesse causam, cur ipsum "Danis pro se bellum inferre conveniat. Nam *Christier*"*num* propinqvum & consangvineum carcere ab iis attineri, "qvem si liberari ipsius ductu contingeret, magnam eum "laudem reportaturum. Qvod hoc tempore haud difficile "fore, ut modo res in Dania habeant. Nam primarias ci"vitates cum Lubecensibus sentire, qvæ patefacturæ portus "suos, qvam primum in mari Danico Lubecensis classis se "ostentaret. Harum deinde exemplum propter auctorita"tem facile reliqva Daniæ oppida consecutura. Nec ple"bem Danicam a *Christierni* liberatione alienam, in qvem "semper propenso fuerat studio. Haud dubie magnam fu"turam animorum inclinationem, si pro eo liberando su"sceptum esse bellum feratur. Id etiam pro religione dissi"dii inolevisse, ut non sperandum sit ecclesiasticis a plebe

An. 1534.

An. "auxilium, qvæ nihil malit, qvam aliqvem eis infestum Re-
1534. "gem creari. *Gustavum* in regni Svetici solio a Lubecensi-"bus collocatum, haud ambigere, qvin Danis, qvem lu-"beat, Regem qvoqve sint impositur. Apprime gratum "etiam Imperatori, Electoribusqve, præsertim Brandenburgi-"co, futurum, si *Christiernum* ejus opera liberari videant, "qvippe qvem ipsi antea omnibus viribus restitutum voluissent. Volupe erat Comiti hoc honoris a Lubecensibus deferri, gloriosum existimavit Regis liberatorem audire, nec recusatum periculum, præcepta spe, vel regni partem aliqvam sibi acqvirendi, vel amplas opes parandi. Itaqve cum *Majero* & *Textore* de summa rei compositum, bellumqve contra regnum Daniæ pariter & *Christianum* Ducem decretum.

Sed hactenus secreto collocuti, privatim inter se rem egerant, jam demum ad magistratus de ea referri placuit, qvi interpellandi de auxilio ad *Christiernum* captivum liberandum. Qvod primum in senatu, deinde in cœtu sexaginta virorum, moxqve ad centumviros, qvi plebem repræsentabant, propositum, mire omnibus gratum fuit. Nam Lubecenses in universum omnes Danis succensebant, qvod proceres Belgarum navigationes prohibere recusassent: Simulqve religionem reformatam amplexi, eam propagatam vel hoc nomine voluere, ut antistitibus in Dania ægre facerent, qvorum auctoritate & consilio res Belgarum niti videbantur. Ita rebus ex sententia compositis, *Christophorus* ad conducendum militem stipendio Lubecensium proficiscitur, qvi confecto numero peditum ad qvatuor millia, per Albim trajectis hisce copiis, Lubecam redit. Mox, ut bello inceptando prætextus qværeretur, litteræ ad *Christianum* missæ, qvibus captivus Rex custodia dimitti petitur. „Illum nullius culpæ reum, contra fidem datam, „tam immani teneri carcere, haud æqvum. Intercedere „cum captivo Rege eam Duci propinqvitatem, uti sponte, „qvod petitur, faciendum fuisset. Qvod si tamen recuset, „se cum amicis, qvorum complures sibi in societatem asci-„verit, in afflicto fortunæ statu ipsum non deserturum. Sci-

re

„re arcem in poteftate Ducis effe, ubi modo fervetur. Ei An.
„reddendam Deo hominibusqve rationem, fi diutius carce- 1534.
„ris fqvalore & tenebris maceretur. Neqve hoc fe duntaxat flagitare, idem complurium Principum communione „fangvinis junctorum effe defiderium, a qvo neqve ipfe fit alienus. Refponfum a Duce, *Chriftiernum*, regnante pa-„tre, a Danis, Svecis, & civitatum legatis, multorum fce-„lerum reum peractum, ac eorum judicio ad perpetuum „carcerem effe damnatum. Haud fas id judicium a fe re-„fcindi, qvod tot procerum ac præftantium virorum con-„fenfu firmatum. Nec qvia caftello Sunderburgenfi inclu-„datur, idcirco poteftatem dimittendi penes fe effe, qvod „mutuæ fidei obligatione tanqvam ad feqveftrum ibi fit „pofitus, ut nullius partis injuffu eximi inde qveat. Si „itaqve eum liberatum Comes velit, a Danis & Svecis hoc „petendum.„ Qvum Comiti hoc refponfo minime fatis fieret, alteræ litteræ minarum plenæ ad *Chriftianum* mittuntur, qvibus Dux arguebatur, ut qvi haud recte a Danis & Svecis excufationem ad negandum juftiffimum defiderium petiviffet. „Cum iis nihil negotii effe, nec alibi exiftimare „Chriftiernum fibi qværendum, qvam ubi inclufus fervetur. Caufam captivitatis differere nolle, qvæ ut maxime „ita habeat, ficut ipfe memoret, haud tamen juftum contra „fidem datam eum capi. Itaqve etiamnum perqvam eni-„xe petere, qvum *Sunderburgum* in ejus poteftate fit, *Chri-„ftiernum* immani ifta cavea & teterrimo carcere extractum „exhibeat, & fibi in manus tradat: qvod ni fiat, Deum te-„ftem facere, invitum fe fociosqve eam viam ac rationem „inituros, qvæ cum vi conjuncta. Nam non tam fluxam „fidem Lubecenfium fociorum aliorumqve, qvi fe *Chriftier-„no* in Norvegia obligarint, ut ejus immemores effe velint. „Nec tamen aliud propofitum, qvam *Chriftiernum* fuæ li-„bertati publico bono reftituere. Ei rei vitam fortunasqve „omnes impendere, ut intelligat totus orbis, fobrini injufte „capti liberationem ferio cordi fuiffe.„

Ita Comes denuo caufam *Chriftierni* bello perfeqvendam fumfit, five eum ferio reftitutum, five in poteftatem Lubecenfium redactum vellet, nihil penfi habens, qvæ inter Ducem & fra-

An. 1534. fratres ejus Comites Oldenburgenses intercesserant fœdera; qvi qvum omni ope antea in eo qvoqve laborassent, ut *Christiernus* exulans restitueretur, mortuo *Friderico*, metuentes filii Ducis offensam, promissis qvingentis peditibus, se ei, qvum peteretur, ad bimestre militaturos, pacem fecerant, & amicitiam junxerant. Verum *Christophorus*, inter eos acta haud ad se pertinere existimans, nihilominus adversus Ducem arma parat. Ipse jam sensum suarum litterarum Duci pro belli denunciatione fore ratus, facile judicabat, non eum cessaturum, qvin se qvamprimum copiis ad defensionem instrueret. Itaqve sibi etiam properato opus esse putabat, si forte imparatum adhuc posset opprimere. Mox fere in procinctu stans, ad Holsatos & Oldenburgenses notoriam evulgat, qva de instituto bello eos præmonet, petitqve pacato agmine transire liceat, qvod si admittant, nullam injuriam ab innocuo exercitu passuros: At si qva prohibere conentur, ferro ac flammis sibi viam patefacturum. Absqve eo vero benigne eis cupere. Inde ad Senatum atqve ordines regni Danici litteras dat, qvibus prolixe memorabantur, qvæ a *Christierno* primum in Norvegia, deinde in Dania & Slesvigia contigerant. Nec non Dux graviter accusatus, qvod fœdissimo carcere intrusum arcte custodiat. „Multas sibi causas esse, cur has injurias ultum eat, & opi„tulatum ipsi velit, si forte alio traductum, vel qva parte „corporis læsum ac mutilatum reperiat. Rogare Proceres, „ne conatus suos impediant, sed ad liberandum *Christier*„*num* sibi sociisqve suppetias ferant. Haud dubitaturos, si id „contingat, qvin utriqve regno sit bono futurum. Etenim „operam se daturum, qvantum qvidem fieri possit, ut *Chri*„*stiernus* injuriarum oblitus, qvibusvis offensam remittat, „utqve regno restitutus, jura ac consvetudines sedulo servet „stricteqve seqvatur.

His a Comite præmissis, ad eos, qvos sibi destinarat, hostes ipse e vestigio consecutus, repente cum exercitu Holsatiam invadit. Utinum, qvod antistitis Lubecensis est castellum, statim, nemine repugnante inopniato capitur, tum Tritoviam ac Pelonam oppida adortus Comes occupat. Inde

de per agros late populatus, pagis villisqve passim incensis, aut vastatis, universo Ducatui terrorem incutit. Amsbogianum & Renifeldianum cœnobia, ne violarentur, pecunia redemerunt. Cumqve castellum Segebergense impetu hostili capi non posset, obsidione aliqvandiu fatigatur; nam oppidum, ad radices montis situm, jam ingressus tenebat. Sed Comitem hactenus Holsatiam ingressum, ut Lubecæ vicina affligeret, ubi *Christianus* comperit suorum omnia pro libito ferre atqve agere, copias, qvas in tam repentino malo potuit, contrahit. Simul Senatum Danicum ex lege fœderis auxilia exposcit, qvod commune periculum, ipsis haud negligendum, ageretur. Patres, litteris prius a Comite acceptis, haud obscuro earum indicio intellexerant, qvid ab ipso pararetur. Nam insimulatis tecte, adeoqve in crimen adductis, qvorum voluntate & consensu *Christiernus* captus fuerat, haud dubie intelligere erat, bellum contra Ducem cœptum in Daniam translatum iri. Qvorsum enim pertineret, qvod liberatio *Christierni* utriqve regno esset bono futura, qvodqve is omnem noxam intercessione Comitis condonaturus, juraqve regni sincere servaturus; nisi qvod Regem & regnum suæ potestatis facere in animo haberet? Cernentes itaqve patres in pari periculo Daniam atqve Holsatiam versari, ut Duci subveniretur, nihil omiserunt. Mox evocati, qvi Hafniæ & Malmogiæ in hibernis erant pedites: iis antistites & reliqvi proceres regni ex suis aliqvantum eqvitatum adjungunt. Hæ copiæ, qvanto ocyus fieri poterat, ad *Christianum* missæ, existimantibus patribus plus ibi fore Comiti negotii, qvam ut tam brevi ad Daniam invadendam animum adjiceret. Qvod Duci qvidem magno ad sua recuperanda adjumento fuit; sed rebus hostium magis opportune accidit, a qvibus Dania militari præsidio fere vacua, jam tutius oppugnari poterat. Ita ad aliena pericula saltim intenti, suorum vero malorum securi homines, sæpe etiam aliis benigne faciendo, mentis cæcitate lapsi, sibi ipsi nocent. An. 1534.

Comes, qvum hæc satis prospere cecidissent, & initia ex voto essent, ad spem majorum, qvæ animo conceperat,

An. 1534. alacris erigitur. Inſtructa fuerat a Lubecenſibus claſſis, qvæ cum exercitu in Daniam trajiceret: hæc, eo ex Holſatia reverſo, ad navigandum parata ſtetit. Reſtabat ſaltim, priusqvam portu exiret, ut Comes & Lubecenſes inter ſe ſtatuerent, qvomodo de belli ratione ac victoriæ præmio habendum eſſet. De qvibus mox ita convenit: Senatus populusqve Lubecenſis ſpondet Comiti pro viribus auxilia ad liberandum *Chriſtiernum*, ſeu in Holſatia, ſive alibi rem geri neceſſe ſit, nec tamen deſerturos, ſi res aliter cadat. Inſuper ſtipendium militibus promiſſum, pignore caſtellorum in Holſatia captorum, in qvem pignoris nexum etiam venirent, qvæcunqve alia poſt occupari contingeret. Is viciſſim fidem Lubecenſibus obligat, ſe *Chriſtiernum* liberatum in ipſorum manus traditurum. Idqve operam daturum, ut immunitatibus in Holſatia & alibi reſtitutis, damna accepta recompenſentur, nec deinceps inſolitis vectigalibus eos oneratum iri. Ac ſi aliqvibus per bellum potiri contingeret, ea juris Lubecenſium una cum *Chriſtierno* fore, ſe, accepta pecunia, nihil amplius flagitaturum. Poſtremo utrinqve cautum, ne qva religioni reformatæ vis fieret, neve qvid ſtrueretur in eos, qvos lædi nefas eſſet. Hæc illi inter ſe pacta privatim fecere, palam fidem *Chriſtierno* datam ejusqve liberationem bello cauſam prætendentes. Cujus ſimulationis vanitas eos haud latuit, qvi norant, qvam exoſum ante *Chriſtiernum* Lubecenſes habuerant; qvippe qvem aperte oppugnare non dubitarant, juncta cum *Friderico* amicitia, contra ipſum Imperatorem aliosqve, qvi eum exulantem reſtitutum voluerant.

Verum priusqvam claſſis Lubecenſium ſolverat, miſſæ hinc inde holcades & celoces, qvæ obſiderent anguſtias maris Balthici, prohibituræ ſimul ab una in aliam provinciam trajectum. Unde turbata magna ex parte Comitia, qvod patribus navigatio ex Jutia & Fionia in Sielandiam non eſſet tuta: reliqvi autem ex aliis provinciis per infreqventiam Senatus ſtatuere de ſumma rerum non poſſent. Sed hi aderant nihilominus *Hafniæ*, expectaturi, ſi forte ex iſtis partibus Senatores tandem accederent. Qvi dum hac in

in spe incerti versantur, classis Lubecensium secundo vento evecta, in alto conspicitur. Ea erat navium viginti unius, ita instructa milite, commeatu, tormentis, aliisqve bello necessariis, ut ad resistendum majores vires, qvam quæ tam subito parari possent, reqvirerentur. Vehebantur una uterqve Consul Lubecensis, qvi belli hujus auctores fuerant, *Majerus* & *Textor*, hic classis præfectus, ille militum dux. Ubi nunciatum *Andreæ Billeo*, Mœoniæ insulæ præsidi, classem adventare, inermis ac contra hostes imparatus ingenti terrore percellitur. Datæ mox litteræ ad *Ronnovium*, qvibus significatur hostis adventus, simulqve auxilia in re trepida efflagitantur. Ad hæc consulitur, dandum *Axilio Goyæo* negotium cogendi sparsos per Siælandiæ oppida milites, qvi urbi Hafniensi præsidio sint. Sed hostes malum struentes, citius meditata exeqvebantur, qvam ut periculi inscii defensionis modum expedirent: qvibus, præterqvam qvod Lubecenses subito ex amicis infesti hostes facti, cum maximis intestinis malis, proditione & perfidia civium dimicandum erat. Itaqve nudata præsidio Hafnia & Malmogia, qvando nullus adversum nitebatur, classis angustias freti ingressa, ad promontorium, album dictum, qvatuor millibus passuum ab urbe stationem capit, ubi, prout littora intus recedunt, aut prominentia montium resistunt, in æqvali aditu insula sinuata aliqvalem portum facit. Audito Comitem cum reliqvis appulisse, *Georgius Coccius* huc confestim advolat, gratulatusqve eorum adventui, qvo in statu res *Malmogiæ* sint, edocet, hortaturqve, exscensionem in terram facere haud differant. Tum ejus svasu copiæ A. D. IX. Calendas Julii in terram expositæ. An. 1534.

Sed Comes ut in hosticum eundo prospera cuncta habuit, ita Lubecenses domi triste bellum excepit. Nam Dux interim ulturus acceptam injuriam, per *Johannem Ranzovium*, profligatis præsidiis, Utinum feliciter recuperarat, unde tantus terror reliqvos pervasit, qvi Tritoviam, Pelonam, & Segebergam tenebant, ut iis incensis ac direptis, sponte diffugerent. Mox junctis copiis, qvæ a *Christiano* post collectæ fuerant, cum Ranzovianis ad ostium

 Dra-

An. 1534. Dravi ducitur. Ibi oppidum a fluvii iſtius oſtio nomen habens, qvia Lubecenſium naves Daniam petierant, præſidio deſtitutum, per inſperatum *Chriſtiani* acceſſum, facile occupatur. Circa turrim ſeu propugnaculum, Mugenburgum dictum, plusculum fuit negotii, qvod aliqvoties fruſtra oppugnatum. Tandem ne ibi diutina obſidione langveſceret militum virtus, cuniculis actis eo Dux potitur. Ubi igitur jam cuncta ad portum ei obnoxia, caſtris ibi communitis, facile erat arcere omnes, qvi navigio *Lubecam* aliqvid importare conabantur. Poſtqvam compluribus, qvi neqvicqvam Lubecam petiiſſent, domum reverſis, teneri omnia a Duce nunciatum eſſet, uſus commerciorum intermiſſus, & omnis fere navigatio ad hæc loca ceſſavit.

Qvo animadverſo, Dux haud amplius ibi hærendum ratus, relictis caſtris, & everſa turri Mugenburgica, ad Molnam Lubecenſium oppidum ducens, tantiſper ad cœnobium Mariæ conſtitit, dum copiæ, qvæ ex vicina Saxonia expectabantur, advenirent. Iis auctus, qvum cœnobium permiſſu ejus eſſet a militibus direptum, cum exercitu Lubecam verſus redit, ac tandem obſidionem urbis parans, ad Premismolam caſtra transfert. Mox utramqve Dravi ripam ponte junctam inſidet, injectis ſarmentis, qva terram pons pertingere non poterat, ut opportunum fluvium ad traducendas copias ſibi faceret, qvacunqve parte urbem placeret adoriri. Qvod Lubecenſes haud fieri poſſe rati, antea qvidem otioſi ſpectaverant. Sed ubi ſenſere milites ultro citroqve libere commeare, ad opus affectum diſturbandum urbe cum militum globo eruperunt. Dux id futurum prævidens, ſuis locis ad excipiendum erumpentes præſidia diſpoſuerat, a qvibvs cæſi Lubecenſium centum qvinqvaginta, capti trecenti, reliqvi in urbem retro acti. Ea accepta clade, nihilominus interriti Lubecenſes aliam rationem rumpendi pontis comminiſcuntur, parantes binas onerarias, qvas, latioribus carinis planas, vulgo *Pramas* appellant, replent milite, tormentis, materiaqve ſuſcipiendo igni idonea, ut iis vi ventorum & ſecundo flumine in pontem impactis ſtructura ſolveretur: ſed & hoc fruſtra fuit. Nam *Prama* al-

altera, ab solidiore compage *Henrici Ferrei* nomine dicta, in fluminis vado hæsit, ubi a militibus Ducis, qvi pectore tenus in aqvas ruebant, cum omni fere apparatu & nautis plerisqve, præter eos, qvi interfecti, aut natandi periti profluenti se injecere, capta est. Altera ad pontem qvidem adacta, sed nullo obsidentium malo, qvod milites, qvi ad ripam sibi aggerem struxerant, & in arbores fluvium inumbrantes ascenderant, pilas plumbeas e tormentis ea vi ac multitudine exploderent, ut nec qvi in prora, nec qvi in puppi essent, officium facerent. Qvæ ita retro acta, vix evasit, octo duntaxat ex omni nautarum & militum numero salvis. Hac eruptione etiam infeliciter tentata, ne Dux altero eorum portu, qvi haud longe Megapolitana ditione est, Slucopia dicta, potitus, oppidum illud pariter, uti prius ad Dravi ostium cremaret, ipsi incendio prævenere. Qvod simul ac Duci compertum, eo missi, qvi restincto igne oppidum caperent: cujus qvod tum salvum erat, in potestatem Ducis venit, simulqve naves qvinqve majores seu corbitæ, qvæ instructæ nautis, militibus, tormentis, in Holsatiam mittuntur, reliqvis ad navigandum minus idoneis exustis. Itaqve cum in neutrum horum portuum Lubecensibus aditus pateret, nec urbe amplius tutum esset erumpere, arctiore jam obsidione, ad summam angustiam rerum omnium inopia redacti, premuntur. An. 1534.

Interim vero dum Dux eos urget, venit in castra, missus a *Maria*-Belgii Gubernatrice, *Johannes Creudenerus*, nuncians summatim qvid inter Anglum & Lubecenses actum. Compertum *Mariæ* certo indicio pacta inter eos intercessisse. Ea qvousqve se extendant, non satis qvidem constare, tamen haud temere credi, in exitium regni Danici omnia comparata. Nam famam esse, Lubecensibus propositum, ut Anglum in regnum Daniæ attrahant, idqve ipsi tradendo suum beneficium faciant. Imperatorem id prorsus non passurum, nec velle Regem fieri, nisi aliqvem filiorum *Friderici*, qvibus præ omnibus benigne cupiat. Si eis qvisqvam obsistat, auctoritatem viresqve, ad impediendum conatus adversariorum accommodaturum, neqve eos

 de-

An. 1534. deſerturum. Ad fidem promiſſis faciendam deſtinatos conſilio *Mariæ* legatos ampliſſimos, qvi non ſolum cum Duce iis de rebus agant, ſed etiam ſolennibus regni comitiis *Friderici* liberos commendaturi interſint.

Mox iisdem fere diebus legati, antiſtes Brixienſis *Mullartus*, *Ludovicus Delvigius*, *Georgius Deſplineus*, veſtigia *Creudeneri* fere ſecuti, Buſtehudam, ditionis Bremenſis oppidum, attigere. Ibi qvum intellexiſſent, turbatis rebus Danicis comitia interpellata, ex itinere domum redeunt. Dux autem per *Creudenerum* reſcripſerat, ac *Mariam* de re ad Lubecam feliciter geſta certiorem fecerat, petito ex fœdere Gandavenſi auxilio. Nam ſpem Lubecenſes ulciſcendi certam affulſiſſe, qvam non deſtitui juxta Belgarum ac ſua interſit. *Maria* e veſtigio litteris miſſis, hortatur Ducem, ne oppidum ad Dravi oſtium deſerat, expectaturum qvam maturrime auxilia. Moxqve *Gerardus Mullartus* ablegatus, qvi cum Duce de ratione auxiliares copias mittendi ageret. Sed neqve ille tum ulterius qvam Fordam, itidem Bremenſis ditionis, progreſſus, eo evocat, qvocum Ducis nomine communicare poſſet. Miſſo igitur *Uthenhovio*, qvum ei *Mullartus Mariæ* voluntatem erga Ducem patefeciſſet, confeſtim domum vertit. Dux tot *Mariæ* litteris ac nunciis ſpei plenus, ne, qvod ipſe prius deſiderarat, id oblatum aſpernari videretur, ad ipſam *Mariam Meliorem Ranzovium* mittit: & per eum pulvis pyrius & tormenta aliqva impetrata, ac certa pecuniæ ſumma Amſterodami promiſſa: Cujus tamen duodecim duntaxat aureorum millia, qvæ ex annuo ſtipendio debebantur, exſoluta.

Dum hæc ad urbem & in Belgio geruntur, Lubecenſes qvidem, rebus magnopere afflictis, de ſalute periclitantur. Sed qvi in Daniam bellum invexerant, fortunæ ſuæ proſperæ haud ſegniter inſtant. Et qvidem claſſis Lubecenſium hinc inde freto oberrans, nullis non infeſta erat: navigatione iis ſaltim tuta, qvibus Lubecenſes eam gratiam indulgebant. In hanc claſſem incidens *Æſchylus Billeus*, qvi Bergis Norvegiæ regio nomine præſidebat, qvum acceſſurus comitia regni, ſecum uxorem & familiam veheret, capitur.

Qvod

Qvod infortunium simul eos excepit, qvi *Billeum* comitabantur, missi a metropolitano Nidrosiensi & senatu Norvagico ad antistitem Arusiensem & *Magnum Goyæum*, ut eorum de Regis electione sententiam declararent. Nam in horum duorum virtute tantam Norvagi fiduciam collocarunt, ut eorum auctoritatem in omnibus seqvi haud dubitarent. Erat autem ipsis jam statutum, svasu *Æschyli Billei*, ut in eum Regem consentirent, qvem Daniæ proceres tanto fastigio dignum judicassent. Id saltim cautum sibi voluere, ut jura & immunitates regni, qvemadmodum moris est, a Rege confirmarentur. Hæc mandata perlaturi legati, tametsi publica securitatis fides data a præfecto classis Lubecensis, qvæ in oceanum contra Hollandos missa infesta omnia fecit, tamen delati in fretum, una cum *Billeo* capiuntur. Atqve hæc & alia qvævis eo liberius Lubecenses mari patrarunt, qvod classis Danica, portu Hafniensi inclusa, contra vim hostium nihil moliretur. An. 1534.

Sed & terra longe lateqve Comes omnia subegit. Primo deditionem Roschildiæ, qvo post exscensionem se contulerat, facile obtinuit, oppidanis interminatus, omnia se militibus in prædam daturum, nisi imperata facerent. Cujus oppidi potitus, ibi statim sacramentum fidei nomine *Christierni* captivi a civibus exigit; volente Comite spargi famam pro ejus liberatione bellum susceptum, ut tanto proclivius depositis armis plebs ei accederet. Qvo facto, qvasi jam regni potens, gerere cœpit, qvæ *Fridericus* Rex non ita pridem potestate regia sibi usurpaverat. Nam *Gustavum Trollium* Svecum, qvondam metropolitanum Upsalensem, jam patria extorrem, deturbato de sede *Ronnovio*, antistitem Roschildiæ creat. Etenim *Gustavus* post *Christierni* captivitatem hactenus Lubecæ delituerat, in utraqve fortuna ejus partes secutus. Jam vero adductus una in Daniam fuerat, ut ad dignitatem evectus, studium Regi captivo luculentius probaret. Verum *Ronnovius*, qvi Hafniæ se continuerat, ex qvo ad comitia regni eo profectus fuerat, ubi comperit a Comite hac se injuria affectum, simulqve aulam Roschildensem cum vicinis castellis Haraldiburgo &

Bi-

An. 1534. Biſtrupio direptam, ſpirans vindictam, in medium forum Hafnienſe proſilit. Qvo convocata plebe, in atrocitatem & perfidiam Comitis graviter invectus, obteſtabatur cives per Dei gloriam & reipublicæ ſalutem, ne fidem deſtituant: Se cum iis extrema qvælibet tolerare paratum, nec vitæ fortunarumve præſentiſſimum periculum recuſaturum. Ægris animis conſilium *Ronnovii* in pejus accipiebatur, nec erat, qvi recte monenti aurem accommodaret. Tanti apud vulgus momenti eſt; qvantum qvisqve conſilium daturus gratia ac favore valeat. Sed plerisqve magiſtratuum Hafnienſium, oratione *Ronnovii* ſuſpicantibus defectionis conſilia ei prodita, metus ſimul & ira inceſſit. Timebant enim, ne vir tantæ auctoritatis conatibus ſuis intercederet. Indignabantur etiam, religionis perſecutione plebi inviſum, concionis habendæ fiduciam ſibi ſumſiſſe. Ita igitur erga *Ronnovium* animati, aut urbe pulſum, aut certe in poteſtatem redactum voluere. Qvod ubi innotuit, clam ſe furentibus Hafnienſibus ſubduxit. Nec multo poſt iræ indicium erumpit. Nam *Ronnovio* fruſtra domi a plebe qvæſito, qvum forte arca per urbem in regiam ferretur, a qvibusdam eum incluſum opinantibus rumpitur. Qvi rumor evulgatus, reliqvos patrum timore perculſos urbe expulit, ut qvisqve qvam tutiſſime poterat, Hafnia deſerta, domum evaderet.

Ceterum Comes, rebus Roſchildiæ compoſitis, Coagiam cum exercitu petit. Id oppidum, antea patens, vallo foſſaqve circumducere inſtituit, ut caſtra in tuto haberet. Hinc in vicinas Selandiæ partes litteræ miſſæ, qvibus plebis conventus indicitur. Campus eſt in medio fere inſulæ uliginoſus & paluſtris, *Saltum luporum* vulgo vocant, qvo evocati freqventes confluxere. Comitis oratio per interpretem ad plebem loqventis, in eo verſabatur, ut oſtenderet „ſe in Daniam veniſſe ad liberandum *Chriſtiernum* propin„qvum ſuum. Velle eum, per vim regno deturbatum, „priſtinæ dignitati reſtitui. Qvod ſi contingat, exſpectan„dum non ſolum, ut plebeiæ libertatis ſe vindicem præſtet, „ſed etiam eum religioni reformatæ totis viribus patrocina-

tu-

„turum. Nam abunde eo loci cognitione evangelii imbu- An.
„tum, ubi reformationis initium cœpit. Non ipſi impu- 1534.
„tandum, ut malevoli velint, qvod ſuperioribus annis re„gnum turbarum fluctibus ſit jactatum, qvin potius eorum „hæc culpa, qvi æqva imperia in potentiores ac plebem „exerceri non ferebant. At jam malorum omnium finem, „divino favente Numine, fore; illi ſaltim ut cœptis fa„veant, & *Chriſtierni* aſſertoribus ſe conjungant. Non difficile erat, plebem inermem ignaramqve, qvo conſilia tenderent, ineſcare. Itaqve Comiti e veſtigio ab iis, qvi tum aderant, *Chriſtierni* nomine ſacramentum fidei præſtatur. Sed horum pleriqve plebeji tantummodò erant. Ex proceribus ſolus *Andreas Billeus*, qvi domum ſuam venerat, ut rem familiarem ſervaret, ad Comitem ſe tum demum contulit, qvum ſepto militibus prædio, undiqve telis peteretur, nec evadendi ſpem nec hoſtem pellendi vires haberet.

Comes ſecurus eorum, qvi Coagiæ moranti a tergo imminere poterant, ad Hafnienſes vertitur, ratus deditione iſtorum duorum oppidorum nihil actum, ni primaria civitas juſſa faceret. Nam ut ille inermes nullo negotio oppreſſiſſet, ita contra potentiores vix oppida patentia defendi poſſe. Cernens itaqve, belli ſedem Hafniæ collocandam, ut ad propoſitum voti ſumma evaderet, a civibus urbem ſibi dedi poſtulat, commonefaciens eos fidei, qva *Chriſtierno* etiamnum ſint obligati, ac propoſito exemplo eorum, qvi jam ante complures ad ipſum deſciverant. Illi, haud longa deliberatione ſumpta, reſpondent, *Chriſtierni* qvidem imperium non detrectare, ſed urbem dedi non poſſe, priusqvam ipſum aut ſui juris eſſe cernant, aut certe in poteſtatem Comitis eſſe redactum intelligant. Qvod reſponſum eo iniqviore animo acceptum, qvo minus de ipſorum voluntate dubitabatur. Mox intervenit *Georgius Coccius*, trajecto freto, qvi conſulit capiendum per inſidias regiæ arcis præſidem *Johannem Urnam*, tum reliqva facilia fore. Id ſecutus propoſitum *Georgius*, domi *Ambroſii* conſulis delituit, ut in præſidem prætereuntem armatorum co-

F hor-

An. 1534. hortem, impetu ex ædibus repente facto, immitteret. Sed præſes ad omnia intentus, nec civium fidei, amoto præſidio, credulitate nimia ſe permittens, opportunus inſidiis non erat. Qvi, qvoties ipſi in urbem commeandum fuit, ſtipatus eo præſidio militum deſcendit, ut duci per vim ſine magno motu ac cæde non poſſet. Qvum itaqve tumultum Hafniæ excitari nondum tempeſtivum eſſet, haud dum cognito qvo animo plebs rebellionis conſilium acceptura eſſet, a vi abſtinere viſum. Itaqve hoc fruſtratus conſilio, ad alium ſe vertit dolum, ut præſidem in ipſa arce opportune prehenderet. Qvem idcirco tanqvam officii ergo adit, ac ſimulati obſeqvii haud ignarus, ſtudium ſuum offert. Verum ille *Georgii* benevolentiam, præter ſolitum præſtitam, an ſuſpectam haberet ſubdubitans, diſſimulando gratam eſſe præ ſe tulit. Tum ut diffidentiæ opinionem amoveret, *Georgium* ad prandium invitans, ubi intellexit, eum complures ſecum trahere velle, portam & ipſe fortiore præſidio munit. *Georgius* jam qvodammodo certus præſidem ſe in arce oppreſſurum, accedit: ſed ubi ſeptam milite portam videt, nec inſidiis locum eſſe, peracto prandio inanis ſpei redit. Igitur Hafniæ, nulla re memorabili in publicum edita, qvum haud tutum ſibi diutius morari cerneret, ne fingerent interim conſilia domi ſolicitus, propere Malmogiam revertitur.

Comes iterum, ne mora noxæ eſſet, deditionem Hafnienſes inſtat flagitare, jubens de *Chriſtierni* liberatione ſecuros eſſe. Ea de cauſa in Daniam veniſſe, nec ceſſaturum, priusqvam rem confectam habeat. Tum illi, miſſis Coagiam qvi cum Comite paciſcerentur, his conditionibus inter alias dedi urbem ſpondent: „Ager vicinus & pagi cir„cumqvaqve ad duo milliaria ut civitati attribuantur. Juri„bus & immunitatibus a Regibus indultis nihil derogetur. „Religionem reformatam publice profiteri, & exercere ſine „fraude ſit.„ Hiſce legibus acceptis & litteris ſuper iis conſignatis, Hafnienſes Comitem læti & ovantes in urbem accepere. At præſes regiæ Hafnienſis *Johannes Urna*, nec initio hiſce conſiliis adhibitus, nec poſt arcem ut hoſti prode-

ret

ret adduci poterat. Itaqve Comes eum oppugnatum venit, tam civium, qvam suorum armis fretus. Tolerata ad aliqvot dies fortiter oppugnatio, tametsi locus urbem tenenti non ita contra hostium impetum validus. Tandem *Urna* a suis desertus, qvibus severitate imperii jam pridem invisus erat, deditionem facit. Præmium transitionis post fuit præfectura, *Johanni Frisio* ademta. Comes urbe atqve arce potitus, simul classem regiam, tormenta, machinas, atqve reliqvum bellicum apparatum in potestate habuit. Arcem ipse mox insidet: urbem, imposito præsidio, iis committit, qvorum ipsi satis explorata fides erat, prius tamen in verba *Christierni* sacramento adactis. Reliqvos magistratuum Hafniensium, qvi, tacite improbata defectione, fidem potius Senatui servatam voluerant, ne formidare necesse esset, Comes consilio *Ambrosii* & *Johannis Bosonis* ordine movit, & alios in eorum locum allegit. Nec facile alicui creditum, nisi qvi fœdiore aliqvo facinore, aut petulantiore convicio patres incesseret, atqve ita proditionis fidem faceret. Qvod ut qvisqve magis in propatulo & impudentius facere ausus, ita odium ejus infestius habitum, majore præmio rependebatur. Magna vero ea rebellionis pestis, qva pessimi plurimum possint, & præmia perfidiæ turbata republica ampliora proditoribus tribuantur, qvam constantiæ & fidei iis, qvi salvam & incolumem servare student. An. 1534.

Porro rebus Hafniæ ex sententia constitutis, per Selandiam edictum promulgatur, qvo Ringonopolin ad curiam provincialem omnes ordines convenire jubentur. Ubi aderat ex oppidis & pagis pleraqve plebs, plurimiqve partim metu adacti, partim spe melioris status illecti, comparent. Comes congregatis ad concionem, qvi in oppido præsto erant, postulat, iterato sacramento fidem *Christierno* obligent, qvotqvot eum liberatum ac regno restitutum velint. Ibi complures ultro ac lubentes nomina dant, aliis vel exemplo motis, vel qvia tutum non erat adversari, qvalicunqve voluntate assensum præbentibus. At nobilium pleriqve qvia *Christierni* fidem seqvi nondum animum induxerant, huic conventui se

 sub-

An. 1534. subtraxere. Qvocirca Comes apud se fremens, & qvod edicto paritum non esset, indignatus, ut spretam auctoritatem vindicet, nobilitati perniciem machinatur. Gnarus enim in hujusmodi ingeniis efficaciorem damni metum, qvam perfidiæ infamiam, & ubi res fidesqve agitur, emolumentum dedecori anteferri, malo cogere instituit, qvos spe attrahere non erat. Tum hinc inde suos cum plebe ad diripienda nobilium prædia dilabi sinit, hos cum illis, qvos ultos voluit, committens, illos præda ditans: qvi, venia data, non aliter contra nobilitatem agunt, qvam si in hosticum venissent, ubi omnia rapere, agere, violare fas. Nobilitas igitur, insigni clade ab iis affecta, ubi nihil in posterum sibi tutum fore videt, nisi Comiti se dedant, tandem in fidem Comitis, *Christierni* nomine, veniunt, maxime *Ronnovii* auctoritate eos permovente. Nam & ille cum Comite in gratiam redierat, & episcopam suam, tum secundum pecunia redemtam, recuperarat. *Gustavus* enim *Trollius* volens se antistitis Roschildensis munere abdicaverat, facta spe Fionicæ diœceseos. Qvæ tametsi tum in manibus *Canuti Guldensternii* erat, tradita ipsi certo pretio a *Johanne Andreæ*, tamen qvia partes Senatus seqvebatur, & *Christierni* se hostem profitebatur, inter reos numeratus, qvi beneficia regia adversando Comiti commisissent; pro condemnato erat.

Dum Comes in Selandia, qva patet insula, qvicqvid libitum animo pro potestate regia gereret, perlata in Jutiam Hafniensium defectio. Qvæ res admodum patres anxios habuit, versantes animis insignem calamitatem, qvæ rempublicam primariæ urbis alienatione maneret, exemplo inprimis ad reliqva oppida in fide continenda noxio. Prius tamen qvam hoc insperatum malum vicinos Malmogianos contingeret, visum eos litteris de consilio suo certiores faciendos. „Deliberatum esse, plerisqve patribus consentientibus, *Christiano*, ex Holsatia arcessito, regnum deferre, „ejusqve virtuti ac fidei protegendum committere. Ita ex „usu esse, ne respublica deserta hosti qvasi prædæ cedat. „Non esse religioni reformatæ ab eo aliqvid adversi timendum,

„ dum, ſed ejus exercitium futurum liberrimum, atqve om- „ nia pacata ab eo, utpote Rege benigniſſimo, expectanda. Monere igitur & obteſtari, in fide perſiſtant, nec ab Senatu ſe disjungant. Malmogiani, conſilio habito, reſpondent, cum *Magni Goyæi* & *Erici Banneri* judicio ſuum junctum velle, nec alias partes ſecuturos, qvam qva iis ſtare placitum. Ac tandem, cum præſide *Magno Guldenſternio* rem hanc agente, ad mutuam concordiam & auxilium ſe obligant. Qvibus proceres confiſi, in bona ſpe erant, tanto ocyus Hafnienſes ad ſanam mentem redituros, qvod Malmogiani a fide nondum exciderant. Sed ad fallendum compoſitum fuiſſe reſponſum, nondum matura defectione, audacia facinoris paulo poſt ſecuti oſtendit. Nam vix reverſo patrum Juticorum nuncio, caſtelli præſes in curiam urbanam, ſpecie negotii cum ipſo communicandi, evocatus, capitur. Nec virum tutata vel officii auctoritas, vel ordinis ſenatorii dignitas, qvin in cuſtodiam dederetur: tametſi in domo honoratiore & civium tantum ſatellitio ſtipata ſervatus. Qvod qvum grave qvidem, & in rempublicam hoſtile, præſertim præſide nullius culpæ convicto: multo tamen gravius, qvod mox arcem regiam, ejus fidei commiſſam, familia ejecta, diruerint ac funditus everterint. Eo enim temeritatis etiam auſa progredi plebis rabies, concitatæ a qvibusdam turbulentis ad veſtigia regiæ dominationis abolenda, ut deinceps ad modum civitatum Vandalicarum, cum qvibus conjuratum erat, reſpublica Malmogiana conformaretur. An. 1534.

Jam hiſce deſignatis, haud tutum amplius videbatur, urbem cuivis patere, offenſis defectione patribus. Itaqve vigiliæ ad portas undiqve diſpoſitæ cum mandatis, ut acciperent urbe qvosvis accedentes, egredi ſinerent neminem. Qvo factum, ut ad Hafnienſes ſerius fama rei geſtæ emanante, minus eo trajicere ex Selandia formidatum ſit. Certe *Trugoto Ulſtandio* & *Claudio Podebuſcio*, ignaris omnium, timori non erat eo venire. Qvibus nihil profuit pacato animo acceſſiſſe, qvin & illi, appoſitis ad cuſtodiam civibus, in ædibus, ubi diverterent, aſſervarentur. Ita hoſce

An. 1534. tres regni ſenatores in poteſtate tenentes, etſi pignora defectionis haberent, non abſtinuerunt tamen ab innoxia ætate; ſed abducta pariter nobilium pubes, ſtudiis ibi operata, in locum, ubi ad exitum cœptæ rebellionis includerentur. Qvorum omnium tanqvam ratio ipſis conſtaret, litteris ſuper defectione ſua ad regni Mareſcallum miſſis, recte huc ſe proceſſiſſe Malmogiani diſſeruere: „Etenim repurgatam „evangelii doctrinam ſe ſuſcepiſſe, qvæ qvantum ad pieta-„tis ſtudium emolumenti attulerit, cognoviſſe haud pœni-„teat. Et qvia ex edicto ſenatus deſerere religionem duxiſ-„ſent, metuiſſe pœnam, in miniſtros & eorum receptato-„res ſancitam. Nam eam mitigatum iri, nullam hactenus „ſpem affulſiſſe, qvod antiſtites, fugatis miniſtrorum com-„pluribus, nihil a ſeveritate & auſteritate remiſiſſent. Exi-„ſtimaſſe comitiis, qvæ hoc anno indicta fuerant, æqius „meliusqve aliqvid impetraturos: ſed iis fruſtra exſpectatis, „antiſtites ſe nihilo lenius qvam antea geſſiſſe, proſcriben-„do & eliminando extra diœceſes ſuas, qvi ſaniorem do-„ctrinam non abjicerent. Hanc evangelii Chriſti perſecu-„tionem pati diutius non potuiſſe, pro cujus propagatione „arma adverſus vim antiſtitum ſumta. Ideoqve arcem, a „*Friderico* contra fidem datam exſtructam, cepiſſe, ne ea „gravis libertati civium, religionis perſecutoribus perfu-„gium præberet.„ Hæc Malmogiani pro facti excuſatione ad Mareſchallum perſcripſere, non tam qvod magnopere purgare crimen deſiderarent, qvam qvod metuerent, ne is interea, dum Comitis adventum avide præſtolantur, contra civitatem aliqvid moliretur.

Sed qvæ ibi acta, utut urbs exire volentibus occluſa, non diu latuere, qvin in reliqvas provincias ac primum in Fioniam divulgarentur. Ubi *Canutum Güldenſternium*, antiſtitem deſignatum, regni periculum & fratris captivitas ad convocandum patres nobilitatemqve excivit. Horum conſilio mox vir nobilis *Antonius Antoniades* ad proceres Sialandicos & Scanicos cum hiſce mandatis mittitur, intellecta Malmogienſium defectione, veniſſe patribus Fionicis in mentem, ut ipſum legatum ablegarent, tum ut particula-

tim

tim rei geſtæ ſeriem referret, tum vero ut ſciſcitaretur, qvid conſilii adhibendum, ſi inſperato talis aliqva machinatio contra rempublicam ſive ab hoſtibus ſive indigenis iniretur. Videri ipſis ad ſalutem regni imprimis pertinere, ut naves comparentur, petito a Svecis & aliis jure fœderis obligatis auxilio, qvibus claſſis Lubecenſium pellatur aut ſupprimatur, ne Malmogienſibus ſuppetias ferant, aut provincias minorum inſularum adoriantur. Hoc enim eis propoſitum eſſe, ut per celoces paſſim mari Balthico errantes, trajectus ex una provincia in aliam, crematis navibus, prohibeatur; qvod *Chriſtiani* Ducis indicio patefactum. Contra talem repentinam invaſionem & vim hoſtilem non inſtructos Fionios, a qvibus qvicqvid erat copiarum, decreto Senatus *Chriſtiano* auxilio miſſum. Itaqve ni ex partibus Selandiæ & Scaniæ ſubveniri poſſit, videri e re communi eſſe, ut de Rege eligendo diſpiciatur. Qvod qvidem ſi fieri convenientibus patribus neqveat, ſaltim ex ſingulis provinciis, qvi ejus rei poteſtatem habeant, aliqvi deſignentur, præmonitis de neceſſitate, qvæ huc adigat, Norvagis. Inſuper allatum eſſe, *Georgium Coccium* uſum eo aſtu ad fallendam plebem Malmogianam, qvod finxerit, litteras a Senatu in perniciem civium ſcriptas: eam ſuſpicionem & perverſam opinionem videri contrariis Senatus litteris ex animis evellendam. Ac poſtremo commendata ea cura & cogitatio, quo pacto Senatores, Malmogiæ capti, liberari poſſint, aut ſaltim ad tempus cuſtodia relaxari. An. 1534.

Hæc mandata, auctoritate *Güldenſternii* antiſtitis deſignati, *Johannis Friſii*, *Georgii Qvitzovii*, nomine totius nobilitatis edita, perlata qvidem ad Selandos & Scanos. Sed utraqve provincia periculo propior, qvam ut certam auxilii ſpem facere poſſent. Promiſere tamen patres qvæcunqve ab iis præſtari poſſent. Comes vero, Malmogianos ſuos eſſe haud diffidens, ut jam procerum Scanicorum animos periclitaretur, litteris ad eos miſſis, cauſam adventus ſui eandem qvam Selandis reddit. Hortatur enixe, conatibus faveant, & reſtitutioni *Chriſtierni* conſentiant. Qvod ſi in animo habeant, ſecuri periculorum veniant fidem firmatum,

An. 1534. tum, nec dubitent, qvin is æqvum & benignum Regem ſe cunctis præbeat. Sin ei jurare abnuant, additis minis extremam perniciem denunciat. Illi intellecto Comitis deſiderio, tanqvam in ancipiti malo ſoliciti, conſilium ægre expediebant. Selandia enim hoſtem potitum videbant, & nobilitatem ibi ad eum deſciviſſe. Itaqve auxilium ſperari vix uspiam poſſe, regno inter ſe diviſo, & qvalibet provincia in communi periculo ſibi conſulente. Nec ſe a Malmogianis tutos, qvorum animos in rebellione obſtinatos ad qvidvis facile impelli. In hiſce igitur malis, qvod obvium maxime erat accipientes, decernunt, ut, petita a Comite publica fide, qvatuor proceres ad pacem expoſcendam mittantur. Itaqve litteris fidei publicæ transmiſſis, *Tucco Crabbeus*, *Oligerus Ulſtandius*, *Accilius Ugeropius*, & *Canutus Billeus* Hafniæ Comitem adeunt. Ibi ſtipulati fortunarum incolumitatem, ac corporum libertatem, fidem ſuam *Chriſtierno* adſtringunt: haud ulterius tamen progreſſi, qvam ut pro ſe qvisqve ei cautionem præſtaret. Comes vero non eo acqvieſcens, inſuper, ut totius provinciæ nomine fidem obligarent, contendit. Qvod ipſi injuſſu populi haud auſi, petunt veniam remeandi in Scaniam tantiſper, dum, qvæ reqvireretur ad hanc rem, auctoritas poſtularetur. Sed, reditu negato, contra fidem retenti ſunt, donec ſacramento pro tota gente Scanica concepto ſe obligarent.

Qvo facto, qvum res Scanicæ in tuto viderentur, Comes ipſe, ne ferventibus populi ſtudiis fortunæ ſuæ deeſſet, adjunctis proceribus qvibusdam Selandis, Malmogiam appellit: atqve tantiſper commoratus, dum conventus indicatur, cum eis rationem agendi inſtituit. Poſtqvam populus fide publica Lundiam veniſſet, in *Liberi montem*, ubi concio habebatur, Comes ſuis ac Malmogianorum armis ſtipatus prodit. Mox commemoratis denuo, qvibus antea *Chriſtiernum* Selandis commendaverat, ab omnibus ingenti alacritate ſublatus clamor, voluntatis & conſenſus index. Ille ſibi plebiqve de concordia gratulatus, conventu ſoluto, reliqvum populum dimittit: Senatores autem regni Malmo-


mogiam secum ducit. Qvo ille instructa acie reduci voluit, re fortunaqve ex voto stabilita, lætitiam in publicum facturus. Atqve ibi patrum benevolentiam sibi confirmaturus, simulqve remunerans, plerisqve nova in regno beneficia tribuit, omnesqve de *Christierno* bene sperare jubet. Nec Malmogiani præmiorum expertes, acceptis, liberalitate Comitis, dono fundis & possessionibus omnibus, qvæ undiqvaqve intra milliaris spatium urbi adjacent. An. 1534.

Verum Senatores regni, qvi Scaniam & Selandiam incoluere, ut Comiti pro acceptis beneficiis gratiam referrent, contrarias litteris Senatorum Juticorum litteras ad proceres Norvegiæ perscribunt. Hi indicarant Metropolitano Nidrosiensi, *Crucovio* & aliis, per *Vincentium Longum*, præsidem Vardhusianum, ex Jutia reducem, in animo se habere *Christianum* ad regnum vocare, eorumqve consententia suffragia flagitarant. „Nam liberis regiis fidem litteris „de successione dedisse, ac regni jam eum statum exortum, „qvi cunctari ulterius in electione Regis non sinat. Scanici cum Oldenburgici litteris suas adjunxerant, qvibus *Christiernus* captivus commendabatur. Neutro Norvegi inclinabant, sed otiosos calamitatis Danicæ spectatores se præbuerunt, ex eventu consilia capturi. Metropolitanus tamen Norvegiæ cismontanæ proceres certiores de utriusqve partis postulatis facit, addens, "se jam demum de spe regni li„beris regiis facta certi aliqvid comperisse, sed se non specta„turum, nisi qvæ ad pacem pertineant, & mutuam pro„cerum concordiam a Deo precaturum. Interim vero „rogare, ne illi externis rebus se immisceant, priusqvam „ordines regni convenire ad unanimem Regis electionem „possint, qvod per hiemis inclementiam tam brevi fieri „haud qveat, sed apparente vere futurum. Hoc se in me„dium consultum velle; illis si aliqvid melius in mentem „veniat, rogare pro salute publica, ne communicare recu„sent, simul qvæ de rebus Danicis adferantur, sine mora „nunciari curent.„ Ita consilio Metropolitani nihil dum in Norvegia moveri cœptum, sed suspensis eorum sententiis res qvodammodo pacatæ fuere.

An. 1534. Ceterum in Scania & Selandia ac per reliqvas inſulas varii animorum motus extitere. Qvibus cordi fuit *Chriſtierni* liberationi reſiſtere, in Jutiam, ubi minus etiamnum periculi erat, ſe ſubducebant, donec horrida illa ſeditionum tempeſtas in ſerenitatem commutaretur. *Ronnovius* ipſe, tametſi pro diœceſi ſua pecuniam denuo ſolverat, facta ſpe ſine noxa eam poſſeſſurum, tamen qvia multis modis fundi ruſticorum ac prædia ipſius lædebantur & violabantur, Comiti conniventi diffiſus, ad tempus cedit. *Johannes* Dux, qvem ad ſpem regni in arce Neapolitana educari memoravimus, ſumto habitu ruſtico, ne agnoſceretur, Sunderburgum cum paucis miniſtris elapſus, *Ditlevo Bruchdorpio* traditur: inde *Olaum Roſæcrantium* miſſum facit. Qvi ex aula *Friderici* per Selandiæ oppida hibernaverant, multitudine fallere haud valentes, diſcedere qvidem & ipſi voluere, petito ab hoſte commeatu. Sed qvum a ſe tutos fore tantum Comes promitteret, nec pro Lubecenſibus aut plebe ruſtica urbanave ſpondere vellet, nusqvam excedere auſi. Multi privatim trepidatione & metu domibus expulſi. Complures pertæſi præſentis ſtatus, & pejora indies metuentes, incertis ſedibus vagabantur. Qvis enim rebus ſuis ſalvum ac tutum aliqvid ſperare poſſet, in tam effrenata ſcelerum omnium licentia? Qvis ab injuriis protegeret, qvum regni invaſor ad rapinas & expilationes connivens, imperium detrectantes petulantiæ ac libidini latrocinantium exponeret? Impune enim erat, qvicqvid militi libitum, & in lucro reputabatur plebem adverſus nobilitatem qvam maxime efferare. Nec ceſſatum a peſſimis qvibusqve, priusqvam alios rebellionis intactos ſeducerent, & ad nefas aliqvid audendum inſtigarent.

Mox in Mœonia Selandiæ proxima, qvæ ſub gubernatione *Andreæ Billei* fuerat, arx Stecana qvatuor nobilibus ac totidem civibus concredita, interfecto procuratore *Johanne Stigotio*, dolo occupatur, haud multo poſt diruta. Inde regia Nicopiana in Falſtria, nondum a comitiis reverſo *Canuto Guldenſternio*, invaditur, tradita poſtmodum *Thomæ Foſſio*, & alteri cuidam *Franco* dicto. Iisdem fere diebus

bus Lalandia, per absentiam *Georgii Viscii* rebellat, ubi in castellum regium Alholmiam vi perrumpitur: qvod tantisper Comiti servatum, donec ab illo missi *Johannes Eberus*, & *Johannes* qvidam *Megalopolitanus* dictus id acciperent. Oppugnatum etiam prædium *Johannis Oxonii* a rebellibus, qvorum is duces muneribus corrumpere, atqve ita pecunia obsidionem redimere, qvia vis propulsari armis satis non poterat, tentavit. Sed eo evulgato, obsidentes acriori iræ stimulo concitabantur, tum contra duces, qvos contrucidant, tum contra *Oxonium*, qvem tanto fortius oppugnant. Tandem vero ipse ex falconio tormento globum in obsidentes ejaculaturus, triste sibi fatum arcessivit; nam qvum id ignis violentia rumperetur, frustum impactum femur ejus contundit. Qva clade eo demum mortuo, prædium rebellibus deditum. Arx Corsorensis nondum in potestatem hostium venerat: Ea, capto procuratore præsidis, qvem per speciem solvendi vectigalis evocatum apud se Schelsorenses qvidam retinuerant, astu pariter in potestatem redigitur: Nec erat fere locus reliqvus, qvi aliqva accessum in Fioniam impediret: nisi qvod Lavinia insula, qvæ nondum hostibus se submiserat, metui navigantibus esset. Igitur eo etiam hostes transmittentes, castellum Geraniam (seu Traneburgum) petunt, qvod non satis munitum, oppugnante *Henrico Longo* & *Severino Stampeno*, tandem cum *Ottone Crumpeno* præside in deditionem venit. Ac *Crumpenus* qvidem Comiti captivus adducitur; sed vir strenuus ac bellator ita habitus, ut, fide *Christierno* præstita, Alholmiam gubernandam acceperit. An. 1534.



NICOLAI CRAGII

ANNALIUM LIBER II.

An. 1534. Comes auctus harum provinciarum viribus, ſed adhuc tamen rebellione civium, qvam ſuis copiis potentior, ad transferendum ex Selandia in Fioniam bellum ſe comparabat. Qvod ubi innotuit, priusqvam domi bellum exciperetur, Senatores qvi in Jutia erant, tandem qvacunqve ratione reipublicæ conſulendum cenſuerunt. *Magnus Goyæus* erat, qvi hanc ſibi præcipuam curam ſumſit, eccleſiaſticis etiamnum ad præſentiſſimum periculum pertinaciter in adverſa ſententia obduratis. Is, habita cum *Bannero* & aliis qvibusdam deliberatione, Ruviam conventum nobilitatis indicit. Pridie Idus Julii, qvum freqventes eo proceres acceſſiſſent, pavidi qvidem omnes erant in publico malo, qvod haud dubie ingens, pleriqve tamen ita animati, ut Regem prorſus deſignari vellent. *Goyæus*, præ reliqvis gnarus, qvæ in Scania & Selandia contigerant, ac periculi Jutos & Fionios manentis non improvidus, adverſa reipublicæ expoſuit: „Ante oculos eſſe omnium, qvantis calamitatibus deſtituta Rege Dania immerſa ſit: inprimis enim eam cladem acceptam, qvod primariæ urbes „Hafnia & Malmogia deditione in hoſtium poteſtatem venerint. Nam ne qvidem mœnibus admotum militem, „ut ſaltim vim formidaſſe videri poſſint: ſed ultro rupta „fide Lubecenſibus ſe tradidiſſe. Paucorum id qvidem con„ſilio; attamen contagium rebellionis latius jam in utram„qve provinciam & adjunctas inſulas diffuſum. Plebem „enim ruſticam & urbanam inanibus facilem, ab hoſtibus „ſpe ac promiſſis impletam, non amplius imperio regi. „Qvin multos in rempublicam nefaria arma conjunxiſſe,

eos

„eos una spoliare, vastare, agere, qvantoqve in legitima „subjectione, conditionem suam duriorem putant, tanto „hoste adventitio insolentiores. Etenim qvo hostis per„meare locorum imperitia non possit, assumtis paucis ad „velandum crimen (si qvis tamen perditis pudor est) re„belles penetrare. Non tutum ulli inter eos liberi doloris „documentum dare, nec, absqve periculo, fidei memorem „officium patriæ debitum lingvam usurpare. Si qvis in „publicum consulendum dicat, proditorem libertatis audi„re. Adeo ad extrema malorum ibi ventum. Itaqve non „esse, qvod ex istis provinciis auxilium contra hostes expe„ctetur, qvas ipsi prorsus infessas tenent. Nec subvenien„do oppressis Jutiam & Fioniam esse, qvibus potius opus „sit undecunqve auxilium arcessere, ne eandem fortunæ „indignitatem subeant. Unde autem promtius & facilius auxilium peti possit, qvam a *Christiano*, ad Lubecam cum exercitu sedente, patres secum dispicere jubet: „Mi„hi, inqvit, ex dignitate populi Danici haud videtur, ut pro„vincias ab hostibus ereptas in eorum manibus relinqva„mus. An vero Principi impuberi ea fiducia sit, ut resti„tuere eas reipublicæ possit, eisqve restitutis libertatem red„dere, vos juxta mecum intelligitis. Itaqve, patres, con„sulite reipublicæ, consulite vobis & liberis vestris, consuli„te tot subjectorum saluti periclitanti. An. 1534.

Post hanc habitam a *Goyæo* orationem, missi in suffragia patres pleriqve censuere *Christiano* Duci regnum deferendum, eumqve contra hostes qvam maturrime arcessendum. Antistites adversabantur, metuentes, ne Rex factus eorum fortunas premeret. Tum reliqva nobilitas in patrum consessum irrumpens, sciscitata, qvid de Regis electione censuissent, ubi comperit nihil actum, resistentibus antistitibus, magno consensu astrepunt, *Christianum* se velle Regem eligi. Nolle hostis adventum expectare, nec ad periculum extremum exponi. Satis jam exemplo Scanorum & Selandorum edoctos, qvid projiciendo in annum regia comitia, mali sibi & universis consciviffent. Non rationi aut tempori consentaneum, ita antistitum voluntati sub-

An. 1534. ſubſervire, ut ſalus omnium in diſcrimen vocetur. Additæ minæ graves, ni huc patres condeſcenderent. Juſſi paululum excedere, ſpem bonam ſecum foras efferunt, *Chriſtianum* Regem fore. Tum antiſtites ſe apud patres excuſantes, qvicqvid differendo Regis electionem cenſuiſſent, bono publico feciſſe. Sed qvandoqvidem deſtinatum Nobilitati hunc Regem velle, ſe moram non facere, petere ſaltim ut Senatus curæ habeat, qvo jura & privilegia ordinum ab ipſo prius rata habeantur & confirmentur, ac ne religio per *Chriſtianum* evertatur. Qvod ſi fiat, ipſos Deo rationem reddituros. Precari ſe, qvod *Chriſtianus* Rex deſignaretur, felix fauſtumqve reipublicæ & ſingulis eſſe. Ita facto de *Chriſtiano* patrum ſenatusconſulto, legati deſtinantur ad eum arceſſendum, *Stigotus Crumpenus*, antiſtes Burglamenſis, *Olaus Munccius*, antiſtes deſignatus Ripenſis, *Magnus Goyæus*, palatii Magiſter, & *Avo Vincentius Longus*. Intererat huic conventui nuncius a Fioniis miſſus, qvi ut renunciavit cuncta Ruviæ acta, viſum patribus e republica fore, ut & ipſi cum totius inſulæ nobilitate rem nondum prorſus perditam conſilio juvarent. Sed in oppidum Othiniam congredi metuebant, ne fluxa fide vulgi, ad nundinas anniverſarias ibi congregati, rebellionis ſcelus in eos patraretur. Itaqve in ædem pagi Helleſſæ congregati, præeunte conſilio *Canuto Güldenſternio* antiſtite, unanimi conſenſu *Chriſtianum* ſibi Regem decernunt. Miſſus *Johannes Friſius*, cum plenis ſuper hoc mandatis ad legatos Juticos, cui poteſtas una cum illis data, totius negotii conficiendi. Caveri tamen etiam ſibi voluere de juribus & immunitatibus, ab *Friderico* patre indultis, qvibus ſi qvid mutandum, demendum aut addendum eſſe cum *Chriſtiano* conveniret, ratum ſe id habituros.

Seorſum autem *Friſius* hæc mandata ad *Chriſtianum* habuit, Fioniam non ita amplam aut potentem provinciam, præſertim miſſis in Holſatiam eqvitibus, periculo autem proximam: facturum Ducem e republica, ſi auxilium approperet. Hoſtem facilius acceſſu inſulæ arceri, qvam ea occupata ejici. Metuendum, ne plebs ruſtica decepta

pro-

promissis, ut in Selandia, deficiat: id eam haud tentaturam, si præveniat Dux. Non defuturum ipsi Fioniorum auxilium, ac sive tributo sive milite opus sit, eandem utrobiqve conditionem cum Jutis subituros. Junctus *Frisius* festinato itinere cum Jutorum legatis simul in Holsatiæ fines accedunt. Inde ad Ducem in castris degentem perscribunt, habere, qvod Senatus regni nomine cum ipso agant, ut locum & tempus commodum conveniendi designet. Dux non ignarus qvid negotii esset, qvippe qvod *Justus Urna*, nobilis Fionius, stipendiis vetus multumqve in bellis versatus, nunciaturus privato hoc ipsum nomine, accurrerat, tum diem dicit, qvo ad Pretanum cœnobium accedere velit, qvos ibi comparere jussit. Eo qvum utrinqve ventum, antistes *Crumpenus* paucis omnium nomine verba facit. „Qvod felix faustumqve sit, inclite Princeps, inqvit, Senatus populusqve Danicus te Regem sibi designavit, pollicetur qve honorem, obedientiam, studium, omniaqve bonorum subjectorum officia. Tibi placeat regnum paternum & avitum contra hostes protegere, neqve id a familia vestra dilacerandum permittere. Ac tametsi fateor in prospera nostra fortuna hunc honorem tibi deferendum fuisse, ut majore favore gratiam beneficii agnosceres; tamen nec modo nos aspernaberis: nam dilatus tantum honor, non neglectum erga te officium nostrum, qvod jam ostendimus: ac si in eo proferendo aliqva nostra culpa, forte ea læso Numini pœnam a nobis expetere libuit, qvam speramus te Rege mitigatum iri. Qvod enim summa qvæqve a tua virtute nobis polliciti simus, ex ipsa intelligere potes. Tu modo hoc regnum, nulli rectius qvam tibi debitum, tuoqve auxilio innixum, Deo propitio capesse, & in cunctis prosperare.„ *Christianus* assecutus a Danis fidem sinceræ caritatis, non diu solicitos legatos verbis suspensos tenuit, sed regnum a Deo & Senatu populoqve Danico delatum acceptare se ait, polliceturqve vitam, „fortunasqve omnes reipublicæ Danicæ saluti impendere „velle, & si Deus illum ad gubernacula venire velit, jus „æqvumqve omnibus administraturum, & qvæ immunita-

An. 1534.

„tes

An. 1534. „tes a prioribus Regibus concessæ, solenni sacramento pro „more confirmaturum.

His placitis conventis in tabulas majoris evidentiæ & fidei ergo relatis, Jutici unum secum ferunt, *Frisius* ad Fionios suos alterum. Ita comiter legati dimissi, seqvente eos haud longo intervallo *Christiano*, donec Hatherslebiam venirent. Ibi qvum natus *Christiano* filius, qvi *Fridericus* dictus, Rex Daniæ ejus nominis postea secundus, per sacrum baptismi sacramentum ex instituto Christi sancto ecclesiæ cœtui esset inferendus, testes honoris ergo rogati simul omnes legati adfuerunt. Cum qvibus tum Hatherslebiæ compositum est, ad qvem diem præsto in Jutia esse Ducem oporteret, & solenni sacramento omnia firmarentur. Interim Dux Lubecam ad castra subito excurrens, omnibus pro voluntate ordinatis ad propinqvam revertit diem conventus: qvo patres, tota nobilitas, ex singulis oppidis aliqvi, nec non ex qvolibet rusticorum conciliabulo qvidam, cum plena potestate omnium nomine Regem eligendi, accessere. Locus erat designatus Hottersnesiæ, ubi extra urbem sub dio omnia solenniter peracta sunt. *Christiano* fidem, obedientiam in omnibus obligarunt Senatus, populusqve Danicus. Is vicissim cuiqve ordini sua jura & immunitates se confirmaturum spopondit.

Sed qvia Senatores inter se discordes de forma solenni confirmationis, qvæ a Regibus obsignari solet, convenire non poterant, nec protelari auxilium adversus hostem res sinebat, communi consensu comprobatum, „ ut restituta „pace & tranqvillitate, Rex designatus rata haberet, qvæ „pater ipsius prius indulserat. Cautum tamen, ut volun„tate & consensu patrum, liceat mutare, derogare & adjun„gere, qvæ ex reipublicæ usu esse qveant. Tum a *Christiano* de concordia ordinum actum, qvæ in has leges convenit: „ut antistites, prælati, & qvicunqve ordinis sunt ec„clesiastici, si velint, retineant sacra sua, nec non bona om„nia ecclesiasticis attributa, donec parta tranqvillitate & „qviete, Senatus populusqve Danicus de iis aliter decreve„rit. E contra nobilitas etiam teneat, qvæ jam in posses„sione

„sione habeat. De religione interea nulla sit dimicatio, „sed qvi usitatis ritibus adhærescere velint, non vetentur. „Qvi amplecti reformatam evangelii doctrinam malunt, „id iis absqve fraude sit.„ Sed & ne qvid in juris pariter æqva administratione desideraretur, institutum, ut præsidibus curiæ Juticæ in judicio adsint *Jacobus Frisius*, *Joannes Hvassius*, & *Joannes Thomæ*, qvi nobilibus de bonis litigantibus, ex *Valdemari* legibus, qvatenus in rusticorum conciliabulis vel curia publica provinciali usum habere possunt, jus dicerent. „Qvibusvis tamen maneat dominium directum „in possessiones & fundos, ecclesiasticis majorum pia devo„tione collatos, redeunte annuæ pensionis fructu ad ipsas „ecclesias, qvibus donati. Qvumqve liberata ab hostili vi ad „tranqvillitatem redierit respublica, restituentur auctorita„te regia ecclesiasticis sua, atqve aliis qvibuscunqve itidem „sua, sive modo ademta sint, sive postmodum adimi ali„qva contigerit. Postremo sancitum, ut inter universos „pax & concordia illibata maneat, qvo hostili injuriæ late „se effundenti totis viribus resistere liceat, uti Danorum fi„de & virtute dignum. Regem designatum haud vicissim „commissurum, ut contra jus & fas qvisqvam sive inops „sive potens injuria & violentia afficiatur.„ Qvæ omnia ut inviolata servarentur, litteris ad mutuam fidem consignata sunt. An. 1534.

Tum *Christianus*, regni certus, undiqve auxilia sociorum expectabat, ut regni amissa ab hostibus recuperaret. Primo ad *Gostavum*, qvod per sorores utriusqve conjuges affinitas intercederet, hæc omnia perscribit: „Haud dubium sibi esse, qvin *Gostavus* gratum habeat, qvod Deo „favente Danorum Rex sit designatus; nam necessitudi„nem, qvæ inter ipsos intercedat, reqvirere, ut alter alte„rius gaudeat commodis, & summa qvæqve utrinqve ex„pectentur. Itaqve qvum bello regnum ardeat, nec ipse „contra Lubecenses occupatus, utrisqve hostibus par esse „qveat, rogare *Gostavum*, ut ex fœdere auxilium submittat. „Et si ea vis in armis sit, ut Scaniam hosti eripere qveat, „id pro fraterno amore operam det, fiduciariam *Christiano*

 post-

An. 1534. „postmodum tradat. Id ejus tam interesse, qvam ex usu „Danorum: nam qvod modo bellum in Danos est, posse „ad Svecos etiam transferri. Lubecenses enim, si desiderii „compotes fiant, non spem regnandi Daniæ finibus termi- „naturos. Metuendum etiam, ne hoc ipsum iis proposi- „tum in medio belli Danici fervore agitetur.„ Qvod ita habere *Gostavus* minime dubius, *Christiano* de imperio gratulatus, auxilium contra hostes spondet, ac copias se in Scaniam propediem missurum, qvibus hoc negotii detur. Sperare rem successu haud cariturarn, moram certe in auxilio mittendo se haud facturum.

Eadem spe ad *Mariam* in Belgium etiam litteras mittit, petens, ex legibus fœderis Gandavensis cum regno Daniæ initi, naves & reliqva, qvæ utrinqve promissa. Se jam Regem legitime designatum, auxilio contra Lubecenses egere, ut idcirco id ex fide bona repræsentare velit, qvod vel maxime eo præstandum, qvod bellum feratur a Lubecensibus contra Danos susceptum, denegato a Danis contra Belgas auxilio, permissa Belgis per fretum navigatione contra voluntatem Lubecensium. Sed *Maria*, qvum a Lubecensibus bellum in Dania *Christierni* captivi nomine geri comperisset, verbis spem qvidem ostendit, verum nihil auxilii misit, finem & eventum belli otiose spectatura. Certum enim habebat, *Christiernum* qvacunqve ratione liberatum iri, si in hostium potestatem regnum cadere contingeret. Nam apud Lubecenses & Comitem, tam potentibus capti Regis affinibus, liberationem ejus fore faciliorem existimabat. Erat qvippe ei nova affinitas, per filiarum nuptias cum duobus Principibus non invalidæ potentiæ juncta, *Friderico* Palatino, volente & agente hoc Imperatore, conjugio *Dorothea* sociata, altera filia *Christiana* Duci Mediolanensi *Francisco Sfortiæ* nupta. Horum conjugiorum respectu *Maria* a Danis animo alienior, non solum in præsenti opem non tulit, sed postea cladibus pluribus contra fœderis fidem ad apertum bellum affecit. Incumbebat enim in hoc una cum Imperatore, ut affines Palatinum & Mediolanensem in jus hereditarium duorum regnorum,

Sve-

Sveciæ videlicet & Norvegiæ, restitueret, qvod filiabus *Christierni* Hispanorum more deberi putabatur. Tum vero regnum Daniæ facile accessurum, qvod magnopere obnoxium existimabatur, propter ablatam ab *Isabella* dotem. Hæc igitur agitante *Maria* cum Imperatore & affinibus consilia, *Christianum* destituit, & auxiliis inanem commoto regno reliqvit. An. 1534.

Comes interim nihil eo territus, qvod Dania Regem designatum jam haberet, miserat, qvi Fionios ad defectionem invitarent. Facile id propensis ad nova consilia, & in spem melioris status Comitis pollicitationibus adductis, persvadere, præsertim qvibus ex vicina insula Lavinia hostes imminebant. Hi Svenopolitani erant, a qvibus cœpta defectione, pleraqve oppidorum, partim sponte, partim vi secuta sunt. Sed inprimis hi, assumtis Comitis militibus, aliisqve rebellibus civibus & agricolis, late incendiis, rapinis, cædibus cuncta impleverunt: qvæ antistitis erant, præpostero religionis reformatæ zelo ante omnia petentes. Itaqve arcem Orcellam cum publicis diœceseos instrumentis, ad servandum inibi in tabulario repositis, reliqvaqve supellectile exustam, penitus excidunt. Palatium antistitis, qvod Othiniæ erat, porta pice ac sulphure incensa, patefactum ita diripiunt, ut nec sacris nec profanis parceretur. Qvin occupata æde *Albani*, eo simul cum palatio usi sunt propugnaculo, unde tormentis suis pilas ejaculabantur, multis interfectis & sauciis, qvi arma contra ferre ausi. Cœnobium virginum devotarum, ab *nemorosa valle* dictum, sartor qvidam Othiniensis, seditiosorum dux, cum non ita multis complicibus suis evastavit. *Aqvini sylvam*, arcem regiam veterem, agricola qvidam *Johannes Lundius* cum nefario suo comitatu ingressus, cepit. Complura item cœnobia & nobilium prædia direpta, cremata & vastata. Eo plebis furentis tumultu nobilium complures capti, in verba *Christierni* captivi sacramento adacti sunt. Inter qvos *Hilarius Bollerus*, qvi a vicinis Svenopolitanis vinculis constrictus, in urbem ducitur, ubi *Justo Berrio & Allardo Flegio*, centurionibus Comitis, litteris fidem suam obstringere coactus

 est.

An. 1534. est. Alii eorum fugati clam evasere; qvibusdam arx Neoburgensis perfugio fuit. Nec usqvam tota ea insula nobilis qvisqvam consistebat, nisi *Christiernum* captivum agnoscere se Regem profiteretur. Ita plebs ei animis adhærescens, a nobilitate se disjunxerat.

Rex autem designatus Collinam transiens, audiverat qvidem aliqvid de motibus Fionicis, rumore tamen adhuc dubio: Sed *Johannis Frisii* aliorumqve nobilium litteris certior factus de totius insulæ defectione & nobilitatis periculo, opem ferre haud distulit. Itaqve qvos secum habuit plerosqve, cum antistitum aliorumqve Juticorum eqvitibus, adjunctis peditibus, qvos ea temporis angustia colligere sivit, auxilio nobilibus in Fioniam ire jussit. Regios ducebat *Johannes Ranzovius*, Jutis *Petrus Ebbonius* cum *Johanne Julio* præerat. Ii, qvum trajecto freto, qvo Jutia a Fionia dirimitur, pervenerunt, inconditam oppidanorum ac rusticæ plebis turbam sibi obviam habuere. Mons erat leni jugo se attollens, qvod ab sylvarum amœnitate nomen habet, ad qvem utraqve acies instructa occurrebat. Plebi non magna in armis fiducia, qvorum insolens, sed plus in fuga spei, locorum peritia. Itaqve qvum ad conflictum ventum esset, non sustinens regiorum impetum, facile loco cessit. Cæsis eorum in acie compluribus, nonnullis fuga elapsis, tota ea multitudo repente dissipata. Ex regiis pauci desiderati, nec procerum qvisqvam occubuit: solus *Lauuo Brabeus* vulnus in facie excepit. Hoc primo prælio pro liberanda republica Regis designati auspiciis feliciter gesto, totius fere insulæ plebs, clementia Regis invitata, in potestatem ejus venit, & *Johanni Ranzovio* ac *Johanni Frisio*, nomine *Christiani*, fidem dedit. Svenopolitani, a qvibus initium rebellionis factum, metu præsidii, qvod a Comite acceperant, redire ad saniora consilia non poterant, si maxime id cuperent. Et Othiniani, spreta regiorum paucitate, qvum se iis pares fore confiderent, nec se dedere. Qvapropter oppidum utrumqve militi regio diripiendum datum. Ita erepta hosti jam tota fere Fionia, præsidio, ubi necesse videbatur, oppidis imposito, *Ranzovius* & *Frisius* ad Regem designatum brevi revertuntur. Sed

Sed vix ii abierant, qvum Comes audito Fioniæ statu, copias suas ad eam recuperandam & subveniendum plebi navigio Cæretemindam tramittit. ArcemNeoburgensem cum oppido tunc tenebat *Olaus Rosæcrantzius*. Qvi, accepto Regis præsidio, nihil ab hostibus sibi aut oppidanis timebat. Sed dum securi agunt, noctu proditione civium in oppidum accepti Comitis milites, duce *Vbelachero*, cædem ingentem regiorum, per somni & qvietis tempus inermium, toto oppido ediderunt. Vix pauci evaserunt hostium manus. *Petrus Ebbonius* fuga servatus. *Bertramum Anefeldium*, per fossas arcis aqvis redundantes attractum, custodes difficulter ereptarunt. Nec via salutis, cum incedere vulneratus altero pede non posset, ulla patuisset, ni puer qvidam, eqvorum curam gerens, nandi peritus, funi, cujus extremo *Anefeldium* alligarat, ad custodes perduxisset. Verum potitus oppidi *Vbelacherus*, arce, tormentis & milite munita, excludebatur. Qvam qvum obsidione fatigaret, haud tamen in potestatem redigere potuit, priusqvam aqvam, qvæ per canales in arcem ducebatur, adfluere vetuisset. Ea demta, qvum spes subiti auxilii non esset, nec qvi in præsidio erant idem sentirent, pacti omnes simul vitam & fortunas suas, qvum in deditionem venissent, libere abire jussi. Ita Fionia tota denuo deficiens, haud post multo qvam Regi designato fidem suam obstrinxisset, ad Comitem redit. An. 1534.

Hamburgenses autem, dum haud minus Lubecenses domi obsessi periclitantur, qvam per Comitem in Dania prosperantur, ut ab utrisqve gratiam inirent, junctis sibi qvibusdam civitatibus Vandalicis, paci & amicitiæ inter Ducem & Lubecenses sedulo operam dant. Missi eo a Rege *Ditlevus Reventlovius*, præpositus Reinebeccanus, *Magnus Munccius*, *Johannes Frisius* & *Wolfgangus Vthenhovius*. Sed qvum pluribus diebus tentata permulta essent, nullam tolerabilem pacis conditionem Lubecenses admisere: rati enim res suas florentiores esse, & meliorem in Dania fortunam, qvam ut ad æqva cum Rege descenderent. Nam *Christianum*, etiamsi diutius in obsidione ad urbem sedeat, frustra laboraturum sperabant: interim vero ipsi regnum

 dese-

An. 1534. deferendum, qvod in discordia intestina plebis & procerum non difficile sit vel armis, si ita necesse, expugnare. Ita ipsi conventum hunc adiere qvidem, sed ad pacem non magnopere inclinati, vel hoc etiam indicio, qvod militari more per urbem promulgari jusserant, ut qvæ Lubecensium merere stipendio vellent, ad ædes diversorii nomina daturi convenirent. Nec dubitabat *Christianus* Rex designatus, irritam fore legationem, ac Lubecenses pacem non nisi segniter & magno suo commodo admissuros: qvi & ipse idcirco non destitit copias suas undiqve collecto milite augere. Ac, præter auxilia aliunde adducta, ex Brunsvicensibus turmam eqvitum ad bellum egregie instructam in Jutiam præmisit.

Comes jam in Dania trium provinciarum, videlicet Scaniæ, Selandiæ & Fioniæ, vires adjunxisse sibi visus, harum gentium ambiguum aut adversum nihil metuebat. Restabat igitur adversus Jutos major moles, qvod ea provincia reliqvis magis populosa. Eo præmiserat ad concitandam plebem, qvos Malmogiæ invenerat, *Clementem, Thomam, Hermannum, Johannem Friccium*, & *Olaum Clintium*, naucleros omnes & nobiles inprimis piratas. Socii ii *Cnipovio* fuerant, qui a *Christierno* captivo ex Belgio in oceanum missus, ut mare navigantibus infestum faceret, ab Hamburgensibus captus, scelerum pœnas dederat. Sed hi tum evaserant, & ubi *Christierni* partibus favor erat, se continuerant, expectantes rerum mutationem, qvæ hoc tempore incidit. Horum projecta audacia usus Comes, fortunam suam in Jutia tentandam statuit. Addidit naves & militem, qvantum sibi detrahere per metum periculorum poterat: Appulere hostes, duce *Clemente*, Allaburgum, non obscurum Jutiæ septentrionalis oppidum, eoqve non ita magno labore potiti, qvum auspiciis captivi Regis rem geri fidem facerent. Sed & arx, qvam tenebat *Petrus Luchius*, haud multo post dedita. Inde in Veniliam transgressus *Clemens*, totam plebem rusticam ita commovit, ut vix esset pars aliqva provinciæ ejus a rebellione intacta. Injectus enim terror omnibus, qvi convectis in horrea frugibus, timebant famem rei-

reiqve familiari perniciem, si annona incendio, qvod minabatur, corrumperetur. Ideo facile qvosvis ad se pertrahens, duxit inde secum ex juventute rustica audacissimum qvemqve, qvalitercunqve telis armatum, eo milite adversus reliqvos resistentes usurus. Circumducens itaqve undiqvaqve per Veniliam hanc latronum verius qvam militum turbam, adegit in verba Comitis, *Christierni* captivi nomine, qvotqvot reperit, intentatis minis mortis, carceris, incendii, aliorumqve malorum, qvæ extrema victi pati possint. Tum prædia nobilium complura direpta ac spoliata. Qvorum qvidam *Bago Grisius*, ulturus acceptam cum detrimento injuriam, facinus memorabile aggressus est. *Clementem* enim, ex vastatione & populatione Veniliæ reducem, Allaburgum accedit, amicitiæ & societatis obtentu. Qvo dictis ejus fidem habente, nihilqve sibi metuente, qvum familiarior usus intercederet, captata occasione ei in pectus cultrum *Grisius* adigit. Sed *Clemens* insidiarum metu inter coactos & infidos qvotidie degens, se lorica intra vestes contexerat, ut in corpus ictus vulneris nullus penetrarit. Verum consternatus tamen repentino timore, *Grisio* elabendi locum fecit, qvi infelix tentando egregium facinus, infelicior evadendo fuit. Nam eqvo vectus, qvum per vicos oppidi inseqventes effugeret, correpta forte tegula a sutore qvodam *Petro Beschco* capite lethaliter vulneratur: inventusqve haud multo post ad Hassæram paludem non obligato vulnere mortuus: Dignus profecto, qvi perduellis cæsi gloriam tulisset, ni privatæ injuriæ magis qvam publicæ calamitatis vindex extitisset. An. 1534.

Hisce in Venilia gestis, *Clemens* latius in Jutia per conciliabula Allaburgo vicina seditionis contagium propagarat, ut complures indies spe prædæ & libertatis insana cupiditate ipsi accederent. Ac videbatur brevi impulsurus ad rebellionem totam provinciam, nisi progressu ad ulteriora prohiberetur. Itaqve qvod ope & consulto plurium ea res egere videretur, Ranisiam complures ex nobilitate conveniunt, ducentes qvos poterant ex suis eqvites tam brevi temporis articulo ad prælium instruere. Eo misere etiam an-

An. 1534. antistites suos, tum ut labantibus rebus una cum aliis succurrerent, tum per se plebi religionis reformatæ studio infesti. Accessit & *Justus Globeccius*, a *Christiano* cum ala eqvitum Germanicorum missus. Sed copiæ eqvestres omnes vix ad qvingentorum eqvitum numerum ascendebant, peditum alterum tantum fere erat. Expectabantur enim a Rege designato qvatuor vexilla peditum, qvæ iis Ranisia moventibus nondum accesserant. His igitur instructi copiis *Oligerus Rosæcrantzius* & *Ericus Bannerus*, qvi universis præpositi, contra *Clementem* & rebellem plebem duxerunt: non qvidem viribus & numero pares, sed eo maxime confisi, qvod adversus inertem & ignaram belli multitudinem res gerenda esset.

Erat tum autumni finis, qvo tempore pluviis jugiter madefactum pingve solum, tota fere Dania solet per agros viasqve lubricum & difficile præbere iter. Sed nihilominus regii idibus Octobris ad hostes venere, & in Svenotorpio pago prima nocte consedere. Qvod ubi *Clementi* innotuit, fatigatis ex labore itineris, reqviem & reficiendi spatium haud dandum putabat. Summo igitur mane oppido plebis armatæ multitudinem sex millium & eo amplius educit. Et juxta paludes ad collem, pago qvo regii pernoctarant imminentem, enisus, ibi aciem sistit, copiamqve regiis pugnæ fecit. Arma erant plerisqve pila, ex fraxino, corylo, aliaqve materia, longiore cuspide præferrata, qvæ isti nationi ab antiqvo usitata, in hodiernum usqve diem vel nomine saltim hisce regnis horribilia sunt. Alii fustibus, sudibus & clavis manus armarant, nudi corporibus, & qvibusvis telis opportuni. Cornibus & tubis, seu cannis ligneis classicum agresti more canebant, tanqvam armenta sua in pastum acturi. Ita agresti qvidem more male instructi fuere; sed fiducia ducis sui *Clementis* erecti, præmiorum spe ferociam animis tanqvam præcepta victoria induerant. Regii qvanqvam ex iniqvo loco & contra tantam multitudinem pugnandum esset: tamen potius cum periculo belli aleam tentandam, qvam cum dedecore sibi fugiendum judicarunt. Itaqve milites ita dispositi, ut

Glo-

Dani a fronte hostibus congrederentur; a latere *Justus Globeccius* impressionem faceret. Dirimebant utrumqve exercitum interjecti agri, lata qvidem planitie, sed argilla & cœno impervii. Eos ingressis regiis, qvum onusti sessoribus cataphractis eqvi altius calcaribus adigerentur, tenaci solo, aut vestigiis hæserunt, aut cœno cum sessoribus volutati ceciderunt. Ea summa regiis clades, qvod nullo eqvorum vel armorum usu, rebellibus corpora impune fodienda & pulsanda præbebant, qvi agresti ululatu in eqvites invecti, immemores fidei, pietatis, clementiæ, immotos jacentes, qvos poterant, trucidarunt. Inprimis autem nobilibus infesti, mutuo hortatu se incitabant, densarent ictus, cruribus ferratos & munitos neci darent, proceres & eqvitum primores perimendos designantes. Alii eqvorum latera haurienda fremebant, sessores eis deturbatos facile obnoxios fore. Qvo factum, ut eo prælio pleriqve nobilium, qvi interfuere, cæsi sint: reliqvorum magna pars fuga se periculo subduxit. Occubuere autem ante alios noti, *Oligerus Rosæcrantzius*, *Nicolaus Broccius*, *Andreas Hacco*, *Christianus Scrammius*, *Ericus Flemmingus*, *Jvarus Julius*, *Georgius Clementis*, *Andreas Güldensternius* aliiqve plures, sepulti simul in cœnobio Agrimariani. Vivi in potestatem hostium venere *Albertus Goyæus*, *Jvarus Crabba*, *Franciscus Povisius*, qvi Allaburgum in carcerem abducti. Verum qvi fuga dissipati evaserant, diversis itineribus Rannesiam congregati sunt: qvorum *Justus Globeccius*, metune an dolo fervente improsperæ pugnæ, Danos deserens effugerat. Qvo nomine reus, aliqvanto tempore in diversorio tanqvam libera custodia attinebatur, post dimissus. An. 1534.

Clemens cum suis hanc victoriam adeptus, ne aut illam corrumperet sedendo ipse, aut manus seditiosorum torpescerent, late per Jutiam arma efferebat. Pugnantem pro libertate, ut ferebat, favor popularis insignis habebat. Itaqve in septentrionalibus Jutiæ numerus seditiosorum indies augebatur. Si qvi essent malo seditionis intacti, contra voluntatem adigebantur, ut ducis jussa facerent. Ita & illi qvotidiano usu illecebrisqve facile similes ceteris efficiebantur. Hoc pacto in Himeræis & Lovarris, Vigoburgicæ diœceseos, defectio

I non

An. 1534. non invalidas vires habuit. In Harsalis, Ripensis diœcefeos, nihilo infirmior, ubi regia Lundinusia cum aliis cremata. Ultra Scernoum amnem ipse tamen non progressus, in Varvitiam ex suis *Hermannum*, qvo legato utebatur, misit, qvi direptum antistitis Ripensis castellum Lonnoburgum exussit. Tum perculsi terrore Varvitiani accepere *Hermannum* pacate, qvi in oppido opperiens, ad ulteriores progrediendi opportunitatem præstolabatur. *Clemens* ipse suos inde ducens ad orientaliores Jutos movit. Ibi ad Rannesiam oppidum in *Monte silicum* castra communivit, ut oppidum caperet. Sed tuebantur id, qvi fuga incolumes ex pugna Allaburgica huc venerant, simulqve qvatuor militum signa, a *Christiano* contra hostes missa. Itaqve aliqvoties oppugnatio tentata infeliciter rebelli plebi cessit. Nam qvia tormentis destitutus *Clemens* erat, langvidior erat & minus formidabilis eorum impetus. Qvin rustici complures ebrii & insani, nulloqve ordine ad portas ruentes, tanqvam ipsis paterent omnia, magna cæde repulsi sunt. Qva Clemens clade accepta, metuens milites qvi modo Rannesiæ erant, auditoqve plures adventare, retro Allaburgum copias suas raptabat, inter vias populatus agros & nobilium complurium plurium prædia exurens. Ac involuti calamitate publica omnes, qva iter rebelles habuere, aut consortes facinorum, aut egregie ad cuncta dissimulantes.

Qvæ omnia impune acta, donec *Christianus* obsidione Lubecensi, qvam deserere turpiter non poterat, abstraheretur. Mox vero ibi de pace agi cæptum, *Henrico* Duce Megalopolitano, Philippo Landgravio Hassiæ, Senatu populoqve Hamburgensi, Senatu populoqve Luneburgensi, arbitris. Sed Landgravii, Hamburgensium & Lunæburgensium legati missi ad hanc rem fuerant: Megapolitanus ipse aderat. Urbem ingressi arbitri cum obsessis colloqvuntur, qvibus afflictis fame & inopia non difficile erat pacem persvadere. Tum Regem designatum adeuntes Stokeldorpii, impetrant etiam ab eo æqvum responsum. Tandem pax ita convenit, "ut Rex obsidionem urbis solvat, nec Lubecensibus

„bus ulterius bellum faciat. Lubecenses vicissim bellum ab An.
„Holsatia abstineant, nec Comiti iis in partibus suppetias fe- 1534.
„rant. De regno Daniæ autem sine fraude utrinqve dimica-
„re & vires periclitari integrum sit. Captivi utrinqve etiam
„sine pretio dimissi, & nominatim *Æschylus Billeus* cum sua
„familia. De damni accepti restitutione, utra pars sumtus
„læsis refunderet, cognitio eorum esset, qvi se pacis arbitros
„obtulerant, eaqve cognitio intra annum terminanda.„ De qva controversia pronunciatum, & condemnati ad solvendas impensas Lubecenses. Veruntamen *Christianus* gratiam collegio Lubecensi fecit, rogatu *Ditlevi* antistitis. In has leges utrinqve cautio litteris data. Causa Danica idcirco in medio qvasi relicta, qvia Lubecenses putantes sibi a Danis multa deberi, ob accepta a Belgis damna, jure belli ibi acqvisita relinqvere noluere, præsertim rebus ad voluntatem fluentibus: *Christiano* ea in Deo fiducia & in armis spes, uti regnum sibi legitime delatum favente Numine e manibus hostium eximere haud dubitaret. Nec cunctandum ratus, ut Danis opem ferret, Comite Fioniam tenente, & *Clemente* per Jutiam impune grassante, chariorem esse oportere Danorum salutem, qvam de Lubecensibus victoriam existimabat. Itaqve hæc cura ad regnum liberandum animum ejus a bello Lubecano inflexit.

Ducens vero *Christianus* jam in Daniam copias, ex itinere ad *Gostavum* affinem de pace Lubecana perscribit, petens argentum promissum exsolvi. „Nam stipendio opus esse militi sol-
„vendo, ut ad novum bellum alacriori animo duceretur. *Ma-*
„*riam* Burgundicam oratam auxilii nihil præstitisse. Ne se velit
„ille ab affini sejungere: sperare exitum belli fore, qvem
„uterqve optaret. Expectaturum *Gostavum* vicissim a se
„præsentem opem, si aliqvando usus veniat.„ Nec defuit *Gostavus* promissis, a periculo Danis imminente haud alienus. Lubecenses & ipsi, parta pace, & compositis domi rebus, post restitutionem prioris senatus, & abdicationem centum sexaginta qvatuor virorum, militem suum qvi urbi præsidio fuerat, cum supplemento, Comiti in Daniam auxilio mittunt, duce *Marco Mayero*. Adjunctus illi *Sebastia-*

 nus

An. 1534. *nus Gessenus*, nothus *Friderici* Electoris Saxoniæ, turmam eqvitum ducens, & *Justus* Hoyensis Comes, parti exercitus & ipse præfectus.

Sed regiæ copiæ jam occuparant alias Daniæ partes ingredi, qvas ipse Rex mox seqvebatur. Erant in exercitu ejus, qvi in Jutiam ducebatur, eqvitum duo millia, qvibus juncti Globecciani & alii antistitum ac nobilium auxiliares: peditum erant undeviginti signa, qvibus qvatuor præmissa auxilio contra *Clementem* adjecta, præter alios domesticos delectu passim habito scriptos. Hæ copiæ tum sufficere visæ, qvod nobilitas pleraqve cum *Christiano* animis juncta, nec plebs religionis studio ab ipso aversa, etsi seducta a malis consultoribus rebellioni consenserant. Accessit viribus prudenter ordinatæ & constitutæ per eas partes reipublicæ gubernatio, tradita moderatis & gravibus viris, *Avoni Billeo* antistiti, & *Magno Goyæo*, qvi Arrusiæ jussi se continere, ut inde militi necessaria in stipendium & commeatum submitterentur. Duces autem copiis præfecit viros bello egregie exercitos, *Johannem Ranzovium* & *Ericum Bannerum*, utriqve summam rei militaris ex æqvo commendans. Hi mox accepto milite a Rege, junctoqve eo, qvi per vias accessurus erat, arcem rebellium cum ipso duce recta petunt. Senis castris ad Allaburgum veniunt, ubi *Clemens* cum seditiosa plebe eos opperiebatur, jam ex diffidentia & metu se mœnibus tutaturus. Obsessum igitur mox undiqve oppidum, & acriter a militibus incursatum. *Clemens* cum suis ad paucos dies impetum oppugnantium sustinuit. Brevi segnior facta plebs, animi ferociam exuit, & ad tempus sumta fiducia elanguit. Expugnato igitur oppido, præda ingens victori cessit; Recuperata enim, qvæ rebelles passim vastando & diripiendo corraserant, qvibus civium facultates accessere. Omnes sexus virilis, qvi adultæ ætatis erant, ira hostili trucidati: pueris innocuis & fœminis parcere jussum est. Occubuere ibi ex plebe rustica ad duo millia; reliqvi fuga in Veniliam dilapsi. Qvi svasores fuerant & auctores rebellionis publico supplicio affecti. *Clemens* ipse supremum seditionis caput, capto oppido, inscendens

dens eqvum ad hoc freno paratum, evadere conatus; sed a rustico qvodam *Gaspare Riemanno* a fuga retractus & captus est. Missus deinde ad Regem Collinam, biennium fere duri carceris sqvalorem toleravit: donec, pacato tandem regno, judicum sententia perduellionis & majestatis damnatus, dignam nefandis sceleribus corpore pœnam luit, uti loco reddemus. Præmium *Riemanno* ob captum *Clementem*, pro re gesta exiguum, sed petenti tantum datum, ut immunis ipse & liberi villam, unde vitam tolerarent, possiderent. Inter alia naves etiam, qvæ complures in anchoris stabant, in prædam venere victori, tum aliæ, tum qvibus *Clemens* eo vectus fuerat. Unde statim nobiles, qvos ex infelici pugna captos diximus, carcere liberati ad sua rediere. *Hermannus*, *Clementis* sive legatus, sive ille socius, in australibus Jutiæ partibus eodem fere fato usus. Nam ab *Johanne Rantzovio* Vardis inopinato circumventus necatur. Qvos secum & ille traxerat, ne in rebellibus deprehenderentur, se ejus societate eripuere. Ita sublatis seditiosorum præcipuis ducibus & plebe sedata, consedit rebellio. Qvæ tamen ut penitus extingueretur, nec ex scintillis reliqvis incendium resuscitaretur, passim per Jutiæ oppida milites regii in hiberna divisi. Sed deinceps in Jutia nihil a rebellibus motum. An. 1534.

Comes vero interim, dum Rex designatus per duces suos bellum in borealibus partibus contra seditiosos gerit, in Fionia securus hæret. Eum qvum *Christianus* fide data & accepta ad colloqvium invitasset, venit propere Collinam, habens secum *Tucconem Crabbam* & *Andream Billeum*, qvibus, Senatu regni jam tribus in provinciis sibi obnoxio, consiliariis præcipue utebatur. Actum ibi de pace aliqva tolerabili, qvam Rex afflictæ reipublicæ omnibus modis præoptabat. Sed ubi ventum ad ferendas conditiones pacis, nimis qvam iniqvum Comes postulabat. Rex designatus æqvas conditiones haud abnuebat, pecuniam Comiti offerens, si regno cederet & provincias occupatas traderet: ratus enim satius jacturam facere pecuniæ, & bello defungi, qvam opes regni simul in militem erogare, & fuso

An. 1534. ſangvine humano tandem pacem qværere. Comes contra volebat Regem deſignatum Jutiæ finibus contentum eſſe, & *Chriſtierno* captivo Fioniam, Selandiam, Scaniam cum Norvegia reſtitui, qvas a ſe tradere certis legibus vellet. Verum Regi deſignato & conſiliariis diſcerpi regnum non placuit, qvod unius imperio inde usqve ab initio adminiſtratum. Fore enim, ut nunqvam inter ſe in ſecuram amicitiam coaleſcerent, qvod, utroqve regnum participante, alter ab altero teneri exiſtimaturus eſſet qvod ſibi deberetur. Ita belli metum & diffidentiam utrinqve hæſuram animis, non qvieturis, niſi amiſſorum recuperatione deſiderio expleto.

Ita re infecta Comes cum ſuis in Fioniam reverſus eſt. Ibi tum confeſtim comparat omnia ad arcendum inſula Regem, ſi forte cum ſuis trajicere conaretur. Arceſſit copias Midelfariam, qvantas neceſſe, qvæ præſidio oppido eſſent. Naves & ſcaphas ex utroqve litore ſubmovet, qvibus milites hoſtium tranſveherentur. Hic illicet præſidia diſtribuit, ut in fide oppidanos retineat, duces promiſſis onerans, ne in officio ſegneſcerent, deniqve omnia alia agit, qvæ ex uſu exiſtimabat. Tum rebus pro tempore ita ibi conſtitutis, ipſe Hafniam propere contendit, qvo conventum nobilitatis Scanicæ & Selandicæ indixerat: qvæ juſſu ejus freqvens mox aderat. Cunctis in arcem evocatis, collaudata prius eorum fide & obedientia, multaqve de ſuo erga eos ſtudio jactans, tandem pecunia ſibi opus eſſe oſtendit, qvæ militi in ſtipendium numeranda eſſet. Se jam pro regni „ſalute cuncta impendiſſe, & a ſociis grave ſibi ulterius „ſumtus bello flagitare. Petere igitur torqves, armillas, „mundum & cultum muliebrem cum ſupellectili argentea „in medium conferri, ut inde moneta cudi poſſit. Hoc „eos minus ægre ſperare laturos, qvod de protectione & „ſalute univerſorum agatur, qvos deſtitui & jam hoſtibus „exponi, tum ſibi probroſum, tum ipſis exitioſum futu„rum. Qvod ni fieret, ac ſi præſtare hanc opem detracta„rent, metuendum, ne milites, ſpreto imperio & diſcipli„na, irruerent ipſi in nobilium prædia, & in prædam ſuam

„om-

„omnia verterent.„ Nobilitas in ancipiti malo, hinc iniqva Comitis exactione, inde metu direptionis versans, vim ingentem pecuniæ pollicetur: mundum muliebrem & reliqvum ornatum uxorum & filiarum excusat; suæ potestatis non esse, qvæ iis per vim extorqvere, caritate conjugali & paterna vetentur. Gentes omnes ab humanitate cultas rata donatione huic sexui ea tribuere & conservare. Comes, adactis huc nobilibus contra fidem datam, qva immunitatem promiserat, pecunia se contentum fore ostendit. An. 1534.

Dum de his consultatur, *Georgius* Malmogianus & *Ambrosius* Hafnianus, cum octoviris recens lectis, & magna oppidanorum multitudine in arcem prorumpunt, & intromissi in Senatum, qveruntur de proceribus regni, crimini dantes, qvod eorum culpa hoc excitatum esset bellum. *Christiernum* iniqve captum, qvod plebi æqvior fuisset. Eos plebi infestos, non posse ne semel miserorum hominum sangvine expleri. Qvæ in nobilitatis invidiam eo criminabantur, qvod rati fore uti Comes captos proceres e medio tolleret. Sed ille eos ita a se dimisit, & qvietem oppidanis imperavit. Sibi curæ fore, ipsis ope & consilio subveniretur. Qvo responso irati plebeii arce excedunt. Iis digressis Senatus de hac plebis insolentia & importunitate ad Comitem solicita oratione differere cæpit, se jussu ejus conven„tum hunc obiisse, nec ullum periculum a plebe sibi me„tuisse; Nam ex qvo ei fides data, nulla eam parte viola„tam, nec a se maleficio ullo plebem esse læsam. Qvid „patres contumeliæ & injuriæ apud infensos maneat, „qvum in urbem redirent, præsciri haud posse. Æqvum „esse protegi, qvi bona fide, ad parendi studium ostenden„dum, accessere. Comes paulisper cunctatus respondit; „non jam primum qverelam eam ad se allatam, sed sæpius „id crimen senatui regni & nobilitati, plebeiorum accusa„tione impositum. Moderarentur iræ, & metum pone„rent, se plebem interpellasse, & a primoribus stipulatum, „ne qva vis hocqvidem tempore in Senatum fieret. Senatores, hoc audito, dissimulavere qvalitercumqve acceptam

a

An. 1534. a plebe injuriam, fed de cetero, ne fe periculo denuo committerent, inter fe compofuere.

Ubi rediere dimiffi a Comite qvisqve domum fuam, qvo plebis indignatio fpectaret, experiebantur. Nam perlata tandem fama de clade accepta in Jutia, ut nobilium vires adhuc fibi formidabiles attererent, ne fibi forte idem qvod Jutis accideret, tum milites tum oppidani ac ruftici crebris agminibus per Scaniam & Selandiam in prædia eorum irruerunt, prædasqve inde egerunt: qvosdam eorum capientes, alios ingenti pecunia multantes. Nec fceleris ac petulantiæ ullum fecere modum, connivente ad omnia & filente Comite. Infefta plus folito nobilitati plebs, ob cæfos in Jutia rufticos, infeftiorqve Comes ipfe, qvod a *Goftavo* in Scaniam miffus exercitus effet, qvem procerum fraude in fuam perniciem arceffitum exiftimavit. Infcius enim, *Chriftiani* rogatu *Goftavum* folicitatum, qvum is, in Jutia Rex defignatus, auxilium ex fœdere petiiffet.

Erant autem, qvæ tum mittebantur, hæc auxilia, feptingenti eqvites, & peditum figna qvatuor, ducibus *Johanne Turonio* & *Laurentio Sigonio*. Verum cunctantius & lentiore gradu miles Sveticus progreffus, qvodqve in Hallandia parum profpere pugnaffet, non magnopere a Comite timebatur. Nam Hallandiæ finibus hactenus fe tenuerat, ut Varbergam & Halmftadium in poteftatem redigeret. Ad Varbergam oppidum, qvod pro Comite tum faciebat, obfidio infeliciter eis cefferat, qvumqve aliqvoties id oppugnaffent, cæfis pluribus repulfi funt. Tandem vero poftqvam fruftra in plures dies continuata fuiffet obfidio, actum a *Claudio Billeo* & *Trugoto Vlftandio*, ut oppido & arci junctis idem animi & ftudii adverfus Regem defignatum effet, utqve in ejus fidem fe dederent. Ita ab Varberga difceffum & tum ad oppidum Halmftadium exercitus ductus, ubi nihilo felicius tentata oppugnatio. Nam bis urbem invadere fcalis aggreffi Sveci, magna clade affecti fuerant, pueris & fœminis faxa volventibus & ignem injicientibus haud fegnius, qvam viris armis eos propulfantibus.

Jam-

Jamque desperata oppugnatione, incensis castris, Sveci discessum adornarant, qvum sublato clamore oppidani in mœnibus laudes Deo pro victoria contra hostes concinuere. Qvod in contumeliam & contemtum suum Sveci accipientes, retro agmen vertunt, & acriori effervescentis iræ stimulo concitati ad oppugnandum oppidum omnibus machinis se parant. Qvod ex mœnibus cives conspicati, extrema jam metuentes, tentare qvid animi obsidentibus esset, priusqvam denuo ad arma venirent, voluere. Missus igitur alter duumvirum, cum paucis civium, sciscitatur, cujus auspiciis oppidum oppugnatum venissent, & cui deditionem fieri velint. Qvibus ut responsum est, Regi Daniæ designato se auxilio missos esse, ei deditionem oppidi petere, omnium nomine pollicentur in ejus fide oppidum futurum, se dominum agnoscere velle qvem regni Senatus & proceres Regem sibi designassent. Ita deditio facta, & in verba *Christiani* cives jurejurando adacti. An. 1534.

Sed dum oppidum oppugnabatur, tum demum Comiti de adventu Svecorum allatum. Qvi ingentis ea parte periculi haud dubius, non negligendam rem Scanicam putavit. Itaqve ad qvatuor signa peditum, qvi recens Lubeca advecti duce *Marco Mayero* Helsinoræ hibernabant, qvinqve aliis advectis, qvibus *Johannem Hoyensem* Comitem, *Michaëlem Bliccium* & *Olaum Gigleriam* præfecerat, in Scaniam simul omnes trajicere jubet. *Georgium* deinde *Coccium*, cum Malmogianorum & Coronensium civium tribus signis, eis accessurum evocat. His peditibus, ad duodecim simul signa, auxilio Halmstadianis ire mandat. Sed post oppidum deditum serius accedentes, qvum fines Scaniæ ingressos Svecos comperissent, citato agmine ad inferiora Scaniæ remeant, correpti metu, qvod se hostium eqvitibus haud pares fore opinarentur. Inter vias autem ne tardarent reditus celeritatem tormenta, qvæ advexerant, eorum unum majus in amnem prope *Engelholmiam* demergunt: Alterum haud multo post nimio pulvere ultro ingesto rupegunt, ne in hostium potestatem venirent. Comes autem non satis adhuc gnarus rerum ad Halmstadiam gestarum,

 præ-

An. 1534. præmissis peditibus pone seqvi jusserat *Sebastianum Gessenium*, qvi eqvites in Scaniam ductabat. Sed is, privatone consilio an jussu Comitis incertum, qvum mandatum accepisset, ut Coroneam adiret, ac se ibi conjungeret eqvitibus nobilium, qvi ex edicto Comitis accessuri erant, Lundiam ad prædam capiendam deflexit, ubi inventum summum Daniæ antistitem *Torbernum Billeum* cepit, & secum ductum in custodia habuit. Tum inde Coroneam abiens, oppidum ipse ingressus, illud confestim suæ potestatis fecit, & cives sibi ad qvodvis imperium dicto audientes esse jussit.

Venit demum dies, qvo eqvites nobilibus Scaniæ imperati Coroneam venturi erant: præmissa fuerant impedimenta & necessaria omnia, ut hospitia parata haberent, qvo advenientes commode diverterent. Qvocirca *Gessenius*, tanqvam hoc honoris proceribus Daniæ daturus, & hospitii copiam facturus, eductis suis eqvitibus oppido cesserat, relictis tamen peditibus, qvi ibi præsidio fuerant. Sed erat officii simulatione dolus compositus, qvem ad proceres qvidam clam enunciaverat. Indici referenti a Comite mandatum *Gessenio*, ut nobiles capti Hafniam mitterentur, facile fides habita. Nam captum jam summum pontificem audierant, qvi a *Gessenio* Halsinoburgum, ibi servandus, in cœnobium mittebatur, inde tamen a *Tuccone Crabba* exemtus. Hinc metu perculsi, ne eadem sors se maneret, formidabant. Ac postea apparuit non de nihilo hoc fuisse. Nam qvum nobilium eqvites non venirent, ratus, qvod erat, *Gessenius* proditam indicio fraudem, in impedimenta & calones omnem iram effudit. Itaqve ex composito spoliata & direpta omnia a militibus, *Gessenio* noctu reverso ignarum se omnium simulante. His aliisqve perfidiæ exemplis periculi magnitudinem metientes nobiles, ut erant eorum jam congregati qvingenti eqvites, duce *Accio Braheo*, & vexillifero *Christophoro Hvitfeldio*, abjecto consilio proficiscendi Coroneam, Veiam se conferunt. Inde per conciliabulum Gothorum errant, & pagos vicinos, dubii an ad sua qvisqve redirent, an Varbergam, Bahusium, Aggerusium castella ingrederentur, donec melior spes affulgeret.

Dum

Dum hæc inter se consultant, adfertur Sveticas copias Scaniam ingressas. Eo rediit animus Scaniam haud deserendi. Ac confestim ad Svecos *Johannem Turonium* & *Laurentium Sigonium* mittunt, petitum ut ocyus ad inferiora Scaniæ descendere velint, se e vestigio eis accessuros. A qvibus accepto commodo responso, mox Scani Comiti fidem renunciant. Exprobratum ab descifcentibus, "venisse „eum in Daniam, non indicto legitime bello: Invitos se & „coactos sacramentum dixisse: Videre non esse ei vires & „potentiam, qvibus possint defendi; Sed & contra fidem „captum summum antistitem: nec ab ipso Comite denun„ciatum periculum, qvod ipsis pariter a *Marco Mayero* & „*Coccio* struebatur. Itaqve qvum nec ejus protectione se„curi esse qveant, nec hactenus promissorum fidei tuto in„niti licuerit, ne expectet qvam non servavit fidem, sed se „aliud præsidium, qvod cuiqve promtum, qvæsituros. An. 1535.

Nec mora facta, eqvites Scani cum Svecis se jungunt haud procul Engelholmio, ubi mutuo data acceptaqve fide, se Regis designati auspiciis per Scaniam bellum circumlaturos promittunt. Tum inde simul versus hostiles copias movent, qvæ reversæ Halmstadio Halsinoburgi ex fuga substiterant: Nam Hoyensis & *Giglerius* saltim in Selandiam transfretarant; *Mayerus* &*Georgius Coccius* cum *Bliccio* in oppido stationem militibus ceperant. A qvibus, dum ibi hærent, enixe laboratum, ut castellum, qvod paucorum, suorum tantum ministrorum, præsidio *Tucco Crabba* firmarat, in potestatem dolo redigerent. Modo unam, modo aliam fraudem commenti, per speciem amicitiæ eum accessere. Sed eos certo nnmero militum comitatos adesse jubet, nec plures admissurum, qvam qvibus par cum suis esse possit. Deinde qvum ea ratione nihil efficerent, petunt, ut tormentum majus servandum in arcem accipiat; sed hunc astum ita redarguit, ut pontem ligneum ferendo ponderi non esse responderet. Itaqve spe semel atqve iterum frustrati, qvum de *Crabbæ* fide dubitare inciperent, castra in oppido & cœnobio vicino collocant, ut qvavis ratione aut noctu scalis inscensa arce, aut vi ea expugnata potirentur.

 Sen-

An. 1535. Sensit hoc agi *Crabba*, nec ignarus erat, qvid sibi imminere, si res obsidentibus ex voluntate succederet. Tum suos convocatos paucis in hanc sententiam affatur: „Obnoxium se qvidem Comiti sacramento, nec id diffiteri posse. „Mansisse hactenus in fide data, nec eam fuisse deserturum. „Nunc autem qvid a Comite qværatur, manifestum. Nam „non hoc agi„ ut fide data cum uxoribus & liberis incolumes sint: sed ut proditi ad ludibrium hostium, & tandem ad necem trahantur. Id haud dubie *Georgio Coccio* „aliisqve propositum, qvi insidias & vim arci parant. Rogare, ut insidias vigilantia evitent, vim præsentis animi „fortitudine repellant. Non se iis defuturum, sed ad extremum cum illis halitum pugnaturum.„ Illis fidem & alacritatem promittentibus, *Gaspari Frisio* turrim commendat, adjunctis iis, qvi tormentis pilas ejaculari norant, ipse inferiora arcis cum reliqvo milite tutaturus.

Jam diei itinere aberant Helsingoburgo Sveci, junctis Scanorum eqvitibus, qvum consultare inter se duces incipiunt, qvo consilio uterentur, progrederenturne ad arcem, an ibi subsisterent. Nam incerti erant, *Crabba*ne in Comitis fide persisteret, an vero ab eo sibi auxilium expectarent. Qvi vicissim anxius erat, extrema a *Coccio* & *Mayero* metuens, si arcem occupari contingeret. Tum principibus Scanorum, qvi erant *Accius Brabeus*, *Oligerus Ulstandius*, *Magnus Guldensternius*, *Accius Vgeropius*, visum, ad oppidum ducendum, ut ex loco præcipiti in hostem tutius impetus fieret. Vespera autem diei castellum accedentes, noctem eam qvieti dederunt. In alterum diem cessatum etiam ab armis, qvod castra hostium non nisi refecto milite oppugnare placuit. Tum a *Crabba* noctu emissus nuncius adfert, eum pariter hostes in oppido oppugnaturum, & junctum cum Svecis & Danis esse velle. Qvo nuncio læti tandem tertio die oppugnare oppidum incipiunt. Primum autem tormentis res acta, qvibus in oppidum fulminabant. Ac dum rari globis icti cadunt, arcem animo intrepido oppugnant. Postqvam vero *Frisius* e turri castelli pilam ingentis ponderis ejaculatus, qvatuordecim milites Malmo-

gia-

gianos uno ictu ſtravit, tunc perculſi hoſtes, qvi ab arce ad qvemvis ictum ſe expoſitos videbant, terrorem haud celantes, domibus ſe occultant. Unde additus animus Scanis & Svecis, ut alacrius in oppidum ruerent. Cæſi igitur Lubecenſium milites univerſi: ex reliqvis pauci ſuperfuere qvi vivi in poteſtatem venere. Inter qvos *Mayerus* & *Bliccius* capti, cum *Chriſtophoro Hoccio* & *Petro Geldro*, Ducis Geldriæ notho. *Georgius Coccius* ſe clam ſubducens, perſeqventium manus vix evaſit. Qvi ſeu præſagiens infauſtum pugnæ eventum, ſeu inſito metu, ſcapham ſibi in portu ad fugam pararat, qva tandem Malmogiam incolumis appulit. An. 1535.

Captorum eo prælio alius alio in cuſtodiam traditus. *Petrus Geldrus* Heccebergam miſſus aſſervabatur, ubi ſciſſis ſtragulis lecti lineis funem nexuit, qvo ſe feneſtra dimittens evaſit. De *Mayero* nonnihil contentionis inter Danos & Svecos fuit, utrisqve ſibi ejus capti gloriam vindicantibus. Sveci victoriam eam ſuam aſſerebant, qvod numero militum ſuperarent, ideoqve *Mayerum* ad Regem ſuum mittendum. Dani contra niti, eum in cœnobium fuga elapſum, Danorum fidei ſe permiſiſſe: qvum audita ab eo vox, qvod mallet vitam perdere, qvam Svecis ſe dedere. Sed lis ita diremta, ut Varbergam mitteretur, ſervandus tantiſper, dum inter Reges conveniret, cujus ille captivus foret. Id interim cautum, ut ſi in Sveciam mittendus eſſet, fide publica ſecurus vitæ eſſet. Eam curam hoſtis, etiam magna injuria laceſſiti Dani habuerunt.

Sed beneficium poſtea maleficio *Mayerus* rependit, inſigni perfidiæ exemplo edito. Præſes caſtelli Varbergæ *Trugotus Ulſtandius* erat, cujus fidei ſervandus traditur *Mayerus*. Is hominem bellica laude haud vulgarem judicans, ideoqve virtutem honorans, comiter & laxe eum in cuſtodia habuit, ita ut accepto fidei ſacramento, animi gratia venatum ſecum aliqvando duceret. Ac tum qvidem oppidani a præſide & præſidiariis caſtelli diſſidebant; hi Regis fidem ſeqventes, illi iterum Comiti adhærentes. Qvo diſſidio

An. 1535. dio durante nihil molitus *Mayerus*, continuit ſe in fide data. Tandem ipſius conſilio inter præſidem & oppidanos ita convenit, ut eventum belli ad certum tempus otioſi ſpectarent: interim cunctis commeandi ac redeundi poteſtas utrinqve ſine fraude & maleficio eſſet. His qvaſi induciis pactis, *Mayerus* ſacerdotem, qvi ſacra in caſtello faciebat, corrumpit, ac per eum ſibi Germanos qvosdam milites ex præſidiariis conciliat, ut cum oppidanis militibus de capiendo caſtello componerent. Placuit dolus promiſſis magnis erectis & nefariæ prædæ avidis militibus. Itaqve ſcalis ex ſparteis funibus confectis, eisqve ad feneſtram arcte alligatis, qva *Mayerus* cœnaculum ſuum habuit, eis aſcendunt præſidiarii oppidi octoginta. Hos *Mayerus* in cœnaculum ſuum accipiens occultavit ad multam diei lucem. Præſes ab oppidanis nullas ſibi inſidias metuens, pro more comitatus a plerisqve ſuorum, prodierat extra portam caſtelli, ut rem familiarem in propinqvo prædio viſeret. Ibi erupit *Mayerus* ex inſidiis, & confeſtim portæ cuſtodes obtruncat, eamqve obſerat. Tum milites, aliosqve præſidis miniſtros, nullo motu huc illucqve ſparſos, e medio tollit. Pauci in turrim evaſere, qvibus fuga ſaluti fuit. *Vlſtandius* præſes, trepidantibus & diſcurrentibus undiqve multis, ad portam ſe curſu recepit, qvam ut ſibi occluſam vidit, aſportari jubet malleos & trabes adigi, ut iis porta rupta pateret. Sed dum hæc ad portam molitur, inclamant, qvi in turrim evaſerant, ex oppido armatos ad caſtellum approperare. Qvare coactus *Ulſtandius* eqvos cum ſuis inſcendit, & vix qvidem ita evaſit. *Mayerus*, captis ibi conjuge *Ulſtandii* cum liberis, ingentem conſecutus eſt prædam. Nam tum *Vlſtandius* ipſe ſua huc contulerat, tum *nobiles* in vicinia habitantes res qvasqve ſuas pretioſas ſecuritatis cauſa ibi depoſuerant. *Accius Goyæus* inprimis haud exiguo damno affectus. Ita tum oppidum, tum caſtellum in hoſtium poteſtate fuit, miſſusqve a Comite navigio commeatus, ut nihil deeſſet.

Vlſtandius mœſtus conjugis & liberorum captivitate, & perfidiam *Mayeri* incuſans, Deum ultorem ſceleſti facino-

noris inclamavit. Ipse dubius consilii, nec qva tuto ire possit certus, tandem ad nobilitatem Scanicam, qvæ Lundiam ex prælio Halsinoburgico petierat, se contulit. Nam relicto modico præsidio Halsinoburgi copiæ regiæ, nihil resistentibus oppidanis, huc ingressæ: qvibus se *Vlstandius* jungit. Sed ante ejus accessum, missus ad Regem designatum fuerat *Christophorus Hvitfeldius*, ut nunciaret, qva fortuna Halsinoburgi adversus hostes sit pugnatum. Jam Scaniam fere totam rediisse in fidem procerum, ac Regis partes seqvi. Facile debellari posse, si una legio saltim mittatur. Teneri Malmogiam & Coroneam hostium præsidio, contra qvod majoribus viribus opus sit. Reliqva oppida & plebem dicto audientem esse, & proceres ei navaturos insignem operam ad cuncta recuperanda. De rebus autem Varbergicis adhuc ignarus nihil memorare potuit. An. 1535.

Mox transvecta legio, qvæ petebatur, stipendio Gostavi Sveci, (convenerat enim ut ab eo id solveretur,) in Hallandiam appulit, atqve inde Lundiam adiit. Præerat hisce copiis tribunus *Albertus Belsiccius* rei militaris egregie gnarus. Sed hactenus regii tantum Lundia ad prædam & populationes faciendas in agrum Malmogianum & Coronensem excursarunt. Hac legione adjuncta, ad obsidendum utrumqve oppidum se parant. *Holgerus Vlstandius* & *Magnus Guldensternius* ad Coroneam obsidendam eunt, qvam *Raymarus Valdius* præsidio tenebat. Primo accessu oppidi parte cremata, abigunt omnis generis pecora in prædam capta. Sed oppidum capere non poterant, *Raymaro* id haud segniter cum oppidanis defendente. Itaqve tracta hic in aliqvot menses obsidio. Malmogiam obsessum venerunt *Tucco Crabba*, *Accius Brabeus*, *Accius Vgeropius*, *Canutus Billeus*, cum reliqva nobilium turba, qvi vastatis ante agris, jam molas oppidanorum extra mœnia excusserunt. Unde oppidani ira perciti, cladem clade compensantes, & ipsi ædes nobilium, qvot in urbe erant, funditus everterunt. Sed munito egregie oppido, & defendentibus se fortiter, qvi intus erant, obsidio diutius etiam hic tenuit.

Cete-

An. 1535. Ceterum dum utrumqve hoc Scaniæ oppidum ita a regiis premitur, ex edicto convenientibus ad supremam Selandiæ curiam nobilibus cum tota plebe, eo Comes etiam accedit, in comitatu suo ducens Hafniensium complures, qvibus satellitibus utebatur. Actum hic a Comite, ut ultro tributa ad belli subsidium conferrent, qvod eo loco res essent, ut sine insigni pecuniæ vi subveniri non posset. Sed ægre erat aliqvid impetrare a spoliatis, & magna injuria affectis. Id enim pleriqve nobilium qverebantur, qvi contra fidem publicam redempta haud exiguo pretio fortunarum incolumitate, a militibus tamen & furente plebe rapinis & populationibus vexabantur. Ex qvibus *Anna Rosæcrantzia*, fœmina omni matronali decore ornatissima, pro auctoritate, qva in aulis trium ex ordine Regum, gynæceo præfecta, polluerat, liberius aliqvantum in militum insolentiam, ob acceptam injuriam indignata, invehebatur; simulqve fertur constante voce enunciasse, hac ratione *Christiernum* nunqvam ad regnum rediturum, se qvidem viva. Qvam libertatem, etsi non injustam, plebs sui enormiter impotens indigne ferebat. Itaqve plures simul strictis gladiis eam impetunt, & matronam vel ætate venerandam multi armati fœde lacerato corpore trucidant. Idemqve fatum mansisset duas virgines *Annam* & *Sophiam Golobias*, ni ætatem & speciem miserati nobiles qvidam, Comitis ministri, in superiora templi e media turba eduxissent. Hujus cædis a pluribus simul patratæ vindicta potissimum in Hafnienses vertit, qvorum aliqvi, post deditionem oppidi, noxæ ejus convicti pœnas dederunt. Mox sedato eo plebis motu, & impunitate tam enormis facti proposita, seu qvod in multitudine nullus subjici reus potuit, nemine solicite per metum proprium inqvirente, seu qvod Hafniensibus, crudelitatis ministris, deditus Comes, eorum animos pœnam exigendo alienare a se nollet, impetratur a toto populo auxilium. Nobilibus igitur pecunia imperata: ex plebe decimum qvemqve militem scribi placuit.

Sed tametsi haud ignotum Regi, qvantum virium Comiti milite Selandico accederet, tamen pacata Jutia & re-

rebus Scanicis non improſpere cedentibus, bonam ſpem recuperandi totius regni ceperat. Opus autem erat navibus, ut fretum Oritanum, qvod hoſtis claſſe infeſſum tenuit, pervium ſibi faceret. Nam Hafniam & Malmogiam in freti iſtius anguſtiis ſitas, nec obſideri, nec hoſtibus eripi poſſe cernebat, ni commeatus navigio invehi prohiberetur. Itaqve ad amicos & confœderatos, ut claſſem undiqvaqve compararet, naves petitum miſit. Nam claſſis regni in poteſtatem hoſtium, dedita Hafnia, venerat. Miſſo ea de cauſa in Belgium, Angliam & Scotiam *Svavenio*, diverſa data reſponſa, qvæ tamen omnia in eo convenere, qvod nihil auxilii mitti poſſet. Apud *Mariam*, opem ex fœdere rogatam, prævaluit recens cum Palatino contracta neceſſitudo, præ qvam promiſſorum fides, qvo minus paſſa aliqvid a ſe impetrari. Qvin contra inde legati ad patres miſſi, *Georgius* Brixienſis antiſtes & *Carolus Bredovius*, aurei velleris eqves & Imperatori a conſiliis, nunciaturi conciliatas nuptias inter *Fridericum* Palatinum & *Dorotheam*, *Chriſtierni* filiam natu majorem, ideoqve eum Regem Daniæ deſignatum. Qva de re etiam litteræ Barcinone ad Senatum datæ. Anglus interpellatus de iis, qvæ cum Lubecenſibus ipſi interceſſerant, pecuniam qvidem mutuo datam haud inficiabatur; ſed fœdus aliud qvam a multis abhinc annis jam nuperum factum negabat: Affirmans tamen, nec *Chriſtiano* vel cuipiam Principum aliorum in juris ſui uſurpatione moleſtiam creare, aut negotium faceſſere in animo eſſe. Qvo ancipiti reſponſo, qvum non eſſet ubi ſpes figeretur, qværentem *Suauenium*, ecqva ejus tandem ſententia, *Chriſtianum*ne an hoſtes in poſterum fovere & juvare vellet? perplexo itidem hic ſermone & intricatis verbis circumduxit, ac incertum a ſe dimiſit. A Scoto flagitatum, poteſtatem faceret iis, qvi vellent Regi ſtipendio militare, ibi naves ſuas inſtruendi, & militem mercede conductum domo efferendi: ſimulqve Anglum, neceſſitudine junctum, ex benevolo officio æqvi & pacifici Principis commonefaceret, a Dania oppugnanda deſiſteret. Sed nec ille auxilia ex Scotia Regi venire voluit, prætexens, uti pridem, pari utrumqve Regem, captivum & jam deſigna- An. 1535.

An. 1535. tum sangvinis propinqvitate junctum esse; itaqve non decorum fore, alterutri ad alterum opprimendum vires aliqvas suppeditare: Anglo tamen svasurum, ut a Dania arma animumqve hostilem abstineat. Nec non ad Lubecenses missurum exploratum indubitatas belli causas, eisqve pacis amplectendæ auctorem futurum.

Ita ab hoc derelictus, ab illis parum tutus, *Christianus* suis viribus tantam belli externi & interni molem, terra mariqve sustinuisset, ni *Albertus* Borussiæ Regulus & *Gostavus* Svecus navibus etiam subvenissent. Qvi auxilio ferendo tanto promtiores & benigniores, qvanto malo ipsi propiores. Fuerant autem ad Svecum missi legati, *Avo Vincentius Longus* & *Juo Julius*, qvi per ingentia pericula, hiberna navigatione litora Norvegiæ appulere. Illac enim ire jussi, acceptis a Rege mandatis, qvæ ad ejus regni senatum essent perferenda. Sed ubi eo venere, qvomodo Regis designati procerumqve Juticorum nomine negotia imposita expedirent, ancipiti cura volutabant. Nam Senatus brevi convenire non poterat, & moram ibi longiorem trahere res tempusqve non sinebant. Comperto tandem, *Claudium Billeum* Regis designati rebus insignem operam in Scania navasse, nec ab ejus electione dissentire, accepta fide ei totum hoc negotium Norvagicum committunt. Postularant autem Regis designati nomine proceres Jutici a Senatoribus regni Norvegiæ, *Olao* Archiepiscopo Nidrosiensi, *Magno* Hammerensi, *Johanne* Aslöensi, *Nicolao Luccio*, *Vincentio Longo*, *Martino Crabba*, *Gvidone Galleo*, ut secum idem sentirent, nec se in electione Regis disjungerent. „Qvod Dani ad *Christiani* electionem descendissent, inconsultis Norvagis, necessitate urgente factum; non qvod „eos a se separatos vellent. Haud neglecturos fuisse officium reqvirendi prius eorum consensum, ni tempore exclusi fuissent, irruentibus in Daniam hostibus Lubecensibus præter omnem expectationem. Non posse pœnitere ejus Regis, cujus nec potentia invalida, & fortuna ea, „ut per plerasqve provincias, qvo copias suas miserat, satis „prospere res ejus auspiciis gesta sit. Posse eos ab hoc Rege om-

„omnia summa sperare, nec dubitandum, qvin jura & im- „munitates regni propensus sit confirmaturus; qvum paca- „to imperio potiri contingeret. Qvam ad rem si opem & „ipsi conferrent, & si naves ad transportandum copias regias „in Jutiam mitterent, ex officio eos facturos, simulqve ab „designato Rege magnam gratiam inituros.„ An. 1535.

Hæc postqvam cum Senatu Norvegico agenda *Billeus* suscepisset, legati recta in Sveciam perrexere, in reditu responsum repetituri. Metropolitanus, intellectis a *Claudio Billeo* postulatis Danorum, in diem dominicum, qvi sacrosanctæ Trinitati consecratus celebratur, confestim Nidrosiam comitia regni Norvagici indicit. Interea in Daniam ad *Avonem Billeum* antistitem Arrusiensem; & *Magnum Goyæum* litteras dat, qvibus sententiam suam qvodammodo patefacit, & de propensa sua voluntate erga Regem amplissima qvæqve promittit. „Declarasse se jam pridem stu„dium haud vulgare, qvum potestatem illis ipsis faceret, „consentiente toto Senatu Norvagico, omnium nomine „Regis eligendi, idqve ex litteris missis potuisse manife„stum fieri; ni *Æschylus Billeus* qvi eas perferendas accepe„rat, a Lubecensibus fuisset interceptus. Idem suum stu„dium adhuc manere, sed tam repente, nisi vocato ad „consilium senatu, nihil statui posse. Turbari nonnullos „procerum Danicorum discordia, qvorum aliqvi jam pri„dem Comiti, *Christierni* captivi nomine, adhærescendum „svasissent, qvum jam ut in *Christianum* Ducem consen„tiant, flagitetur. Sed de summa negotii jubere tamen cos „bene sperare. Qvod naves transportandis militibus exi„gantur, rem difficilem esse; nam earum non ita ma„gnam copiam ultramontanis Norvagis esse, qvibus &, pro„cul a Dania dimotis, longinqva ea esset navigatio, sed & „eis jure qvodam veteris immunitatis cessare permissum, in „qvibuscunqve bellis Vandalicarum civitatum, seu cum „Danis, seu cum Norvagis cismontanis: Idqve ne com„mercia emporii Bergensis, qvæ sine extrema pernicie ul„tramontanorum interpellari neqveant, impediantur.

Hæc qvidem metropolitanus Nidrosiensis ad proceres

 Da-

An. 1535. Danicos perſcripſit: verum haud obſcure *Chriſtierno* captivo favens, interim aliud animo meditatus ſtruebat. Nam ad cum etiam datæ fuerant ab Imperatore litteræ de Palatino, ideoqve, averſis a *Chriſtiano* ſtudiis, huc totus inclinabat. Cujus non ignari cismontani, primum proferri comitia ad feſtum Johannis Baptiſtæ petunt: inde conſilium freqventandi comitia a metropolitano indicta prorſus omittunt: *Chriſtianum* interim ſibi Regem, Danorum exemplo, legentes. Qvod tamen ne temere factum videretur, metropolitano ſe excuſant, qvo minus ad comitia venire qveant. Viam enim prolixam & difficilem tot gentibus fore, ac rem non pati moram. Qvodqve ſummum duceretur, ægre omnes ferre, qvod *Nicolaus Luccius* in gratiam cum metropolitano rediiſſet, qvem inceſtu pollutum (conſtupraſſe enim dicebatur *Luciam*, demortuæ conjugis *Ingebergæ* ſororem) omnes vitent, & abhorreant, adeo ut in conſeſſum admitti nolint. Adjungunt deinde ad metropolitanum earum litterarum exemplum, qvibus *Chriſtiano* fidem obligarant, & Regem ſibi deſtinarant. Metropolitanus, eo intellecto, graviter offenſus, aperto diſſidio a cismontanis ſe dejunxit; ita ut in diverſa ſtudia utraqve regni pars deinceps abierit. Cismontani nihilominus litteras memoratas ad *Claudium Billeum* transmittunt, cui conſilium ſuum rationibus probant: qvi viciſſim *Accio Brabeo* eas Lundiam ferendas tradit; a qvo ad *Avonem Billeum* antiſtitem & *Magnum Goyæum* in Jutia perlatæ ſunt.

Dum hæc apud Norvagos fiunt, durat etiamnum ad Malmogiam & Coroneam obſidio, copiarum Scanicarum omnium duce *Tuccone Crabba*. Sed nihil ad ſummam rei in alterutram partem magnopere effectum, oppidanis modo ex muris hoſtes irruentes fortiter arcentibus, modo portis erumpentibus: Qvum interim nec ſegnius ab obſidentibus res gereretur, a qvibus repulſi identidem intra munimenta oppidani cum ſuis præſidiariis. Nam qui ad obſidionem erant, magna alacritate, potiundi utriusqve oppidi certi, prædam ingentem involare ſperabant. Ideoqve qvoties ſigno dato juſſi, omnibus viribus ea oppugnabant.

In-

Inter qvos in obsidione Malmogiensi haud ignavi militis specimen edidit qvidam *Nicolaus Contius*, cæsis qvam plurimis oppidanorum. Qvem strenue se gerentem conspicatus cum aliis *Crabba*, fortitudinis præmium habere voluit, qvod summum solis vitæ prodigis digne conferri censetur, ut ordinis eqvestris honorem, inspectante exercitu, tribueret, & ordini nobilitatis insereret. Qvod mox ad tubæ sonitum evulgatum, ut exemplo aliorum industriam firmaret. Qvamvis haud diuturnus Contio honor iste fuit; qvi proxima velitatione, qvum fugam pavidus nullo periculo arripuisset, contra, circumstante exercitu, insignia eqvestria amisit, & nobiltatis honore exutus est. Enimvero haud iniqvo ex utraqve parte judicio, qvo virtus præmium meruit, ignaviam dedecus secutum; si modo nihil datum invidiæ malevolorum, qvæ plerumqve recenti gloriæ comes it. An. 1535.

Verum qvum utrumqve horum oppidorum, post multas eruptiones & velitationes, nihilominus adhuc obsidionem fortiter toleraret, nec ut Comitem desereret induci posset, proceres Scanici in fide Regis perstabant, & nihil non egere, ut Comiti incommodarent, atqve ab eo totius populi animos alienarent. Qvo nomine graviter indignatus, simulqve defectionem ulturus, qvam in eos effundere ipse non poterat, in Selandos iram vertit. Suspicans enim fore, ut & illi tandem desciscerent, non solum qvos secum Hafniæ retinuerat, a consiliis usus, cunctos capit, sed & ad capiendum reliqvos passim suos mittit. Qvi procerum tunc comprehensi sunt, missi Malmogiam, primum in laxiorem custodiam servandi traduntur, mox in carcerem, nullius criminis convicti, compinguntur, pernicioso haud dubie exemplo, nova injuria hominum fidem sibi obligare conantis, qvos benevolentia devincire præstitisset.

Inde igitur res Selandiæ statim turbatæ, nullo non sibi a Comite malum metuente. Ac cernere erat miseram tum procerum sortem, qvum haud pauci se fuga Comiti subduxere, alii in loca tuta & munita se, qvoqvo poterant mo-

An. 1535. modo, recepere. Neqve enim ulli jam libuit in publicum se exhibere; ita omnes, terrore captivitatis pavidi, tremebant. Atqve inter alios *Ronnovius* antistes, amicitiæ Comitis, qvamvis pretio redemtæ, haud confisus, in Serum insulam se proripuit, ibi tantisper commoratus, donec certus fidei, designati Regis litteris in Jutiam arcesseretur. Qvo clam inscio Comite permeavit, traditis castellis munitis in eorum manus, a qvibus nihil egregiis viris indignum metuere necesse erat. Hoc, qvod diu latere non potuit, ubi rescitum Comiti, mox pro hoste *Ronnovius* habitus, apud eum & conjuratos desertæ fidei crimen sustinet, multisqve convitiis laceratur, atqve ut gratiæ pristinæ immemor accusatur. Nam in beneficio ponebatur, qvum cuipiam relinqverentur, qvæ sine scelere eripi non possent. Addebanturqve haud obscuræ in omnes minæ, qvæ in metu publico facile creditæ, late illico disseminabantur. Eo, qvi loca munita tenebant, intentiore cura hostium adventum indies formidantes advigilabant.

Comes cernens inanes fore verborum minas, ratusqve moram difficultates complures objecturam, varia mox detrimenta importare Selandis incipit. Castellum pontificis, qvod *cervorum insulæ* nomen habet, in propinqvo situm, opportunum ei visum, qvod inprimis peteretur; qvia complures ex istis partibus nobiles eo ingressos inaudierat. *Petrum Goschium* antistes ei præfecerat, intrepidum animi ac fidei egregie memorem: a qvo petitur primum deditio, si se fortunasqve salvas velit, proposito præmio, si pareat. Sed is nec minis nec blanditiis inductus, ut hostium se fidei committeret: Qvi nec admodum pro deditione deinceps laborarunt, contemta paucitate eorum, qvi intus erant. Eaqve fiducia Comiti, ut expugnari castellum haud difficile sibi fore existimaret, cum proditoribus potius colludere qvam cum fidelibus subjectis pugnare assveto. Sed major sperato labor ejus milites ibi excepit, qvi castellum multoties oppugnantes frustra tormentis qvatiebant. Verum qvum tandem, ad unum castelli latus congestis plerisqve tormentis, globos ingentes ejacularentur, turribus dejectis, mu-

muri ea parte labefactati. Itaqve *Goſchio* & reliqvis, ne ad extrema redigerentur, viſum, rebus nondum deſperatis, pacto deditionem facere. Qvæ poſtea eo fraudi ipſi non erat, qvod adactus ad hoc conſilii deſcenderat, qvum nihil in muris eſſet præſidii, nihilqve ab antiſtite ipſis poſſet ſperare. Super qvo cautum ipſi litteris antiſtitis & collegii Roſchildenſis, ne qvam hoc nomine accuſationem unqvam ſuſtineret. Navarunt in hac oppugnatione Comiti gnaviter operam ſcripti ex Danis milites, qvos haud inani aſtu huc adduxerat, ut eos inteſtinis odiis inter ſe committeret. An. 1535.

Potitus hoc caſtello, qvum terrorem omnibus incuſſum iri exiſtimaſſet, nemine ad eum veniente, falſus opinione, bellum undiqvaqve circumferre inceptat. Mox *Johannes* Comes Hoyenſis cum haud contemnenda manu eqvitum peditumqve ad Draconiam (vulgo Drachsholm) obſidendam, arte & natura validam, mittitur. *Hilarius Hardenbergius* arcem hanc, ab antiſtite ſibi commendatam, modico accepto præſidio adverſas vim hoſtilem tutabatur. Sublevatus nonnihil ope *Canuti Ruttii*, aliorumqve nobilium, qvi cum ſuis ſecuritatis cauſa ad eum ingreſſi fuerant. Ea oppugnata & pulſata graviſſime, admotis decem tormentis majoribus, laxari muris non potuit. Nec fatigati, qvi propugnando ſalutis ſuæ ſoliciti, in ejus caſtelli munitione confiſi fuerant, qvin, qvantum vires ſinerent, hoſtes a muris ſcandendis etiam arcerent. Itaqve ad obſidionem ventum, qvæ aliqvandiu tolerata, obſeſſos ad ultimam annonæ penuriam adegit. Demum vero arte inopiæ ſubventum, deceptis hoſtibus, qvi, qvum eorundem & qvidem paucorum animalium, ſub ipſos muros adductorum, vox identidem cædendo & premendo exprimeretur, exiſtimabant in magna copia indies tauros, ſues, oves mactari, atqve inde majorem vero numerum præſidiariorum augurabantur. Qvapropter deſperantes tum expugnationem, tum deditionem, inde ad oppidum Callunburgum ejusqve ibi arcem, majoris utraqve momenti & oportunitatis ad res gerendas, ducere inſtituunt. Nec cunctatus Comes, erecto propugnaculo, impoſitoqve præſidio, ut caſtello egreſſi, & per

An. 1535. per agros palantes interciperentur, iter illud, qvod haud longinqvum, qvanto ocyus poterat, perficit. Ac oppidum Callunburgum, ſimulqve arx ſatis munita haud magno hoſtium incommodo deditione in eorum poteſtatem venit. Huc ſtatim *Hermannus Longus*, frater naturalis Oldenburgici, arceſſitus, cujus fidei caſtellum protegendum traditur. Qvi ſubinde inſidiis Draconiam adortus, re infeliciter ſemper tentata redibat. Auſus etiam in foſſas ipſas noctu ſcaphis accedere, ſpe latenter in caſtellum irrependi, cunctos inſidias eumqve obſervantes vix evaſit. Hoc igitur modo Draconia, antiſtitis nomine, Regi & regno ſervata, qvum reliqva fere Selandiæ Comiti ceſſiſſent.

Dum autem apud Scanos & Selandos iſta geruntur, jam regii Fioniam ingreſſi, pedem ibi, caſtris poſitis, fixerant. Transvectæ enim copiæ onerariis, Coldinga, Hatherslebia & Flensburgo ad hoc contractis, expoſitæqve clam noctu in terram hoſtes veniendo fefellere. Mox ut evulgatum eſt, regios adventaſſe, hoſtis ſuos, nec non cives, & ruſticos, qvos ad portuum cuſtodiam paſſim locarat, in unum exercitum contrahit. Occurrit utraqve acies inter Othiniam & Midelfariam, ad pugnam parata: Ibi tum acriter dimicatum, haud ambigua tamen regiorum victoria. Cæſis hoſtium compluribus, initium fugæ a Germanis factum. Plebs ruſtica ſubſtitit aliqvandiu, mox tamen & illa a regiis impulſa, domum dilabebatur. Inde Aſſania, qvo ex fuga ſe hoſtis ſubduxerat, obſeſſa eſt. Sed adduci verbis ad deditionem non poterat, Germanis veniæ deſperatione reſiſtentibus. Ac ne tum qvidem urbs dedita, qvum a Jutica nobilitate, compluribus militum adductis, copiæ regiæ majorem in modum auctæ eſſent.

At Lubecani, accepto nuncio de hoc rerum Danicarum ſtatu, metuentes peſſum iturum ſuſcepti belli conatum, alia ſubveniendis ſuis conſilia inierunt. Novum bello ducem præficere, novas copias transmittere, geminamqve claſſem parare inſtituunt. *Albertus*, Megalopolitanus Regulus, ſplendore nominis & dignitate Oldenburgico ſuperior,

rior, iis copiis dux delectus. In prætextum belli ſumta, qvæ ei cum *Chriſtierno* neceſſitudo erat. Sororis enim filiam, natam Electore Brandeburgico, in matrimonio habebat. Spes etiam regni injecta, & prorſus ampliſſimi præmii. His igitur adductus, Lubecanis ſeu fidem Comitis jam ſuſpectantibus, ſive ejus conſilia infelicia damnantibus, haud difficulter paret: qvippe rerum novarum avidus, & majora fortuna ſua mediocri affectans. Navigantem in Daniam comitatus *Georgius Textor*, officium hoc honori ejus exhibens, ut tanto eſſet commendatior. Verum tametſi Lubecani & militem conducere, & claſſem inſtruere propoſuiſſent, tamen absqve paucis, qvos *Textor* habuit, non ita multi adducti ab eo milites; tantum vexillum peditum cum qvadraginta eqvitibus una ivere. Canes venatici advecti complures, ac retia capiendis feris, qvibus abundare ſaltus Danicos haud erat ignarus: Apta vero inſtrumenta Principi venationis experto, ad belli miniſteria rudi. An. 1535.

Gratus nihilominus *Alberti* adventus, non minus militibus, qvam oppidanæ plebi, ex novatione ſpem melioris ſtatus temere auguranti, eoqve plus honoris ipſi deferenti. Solus Oldenburgicus mœrorem inde ingentem traxit, qvem eo penitius in animum defixit, qvo magis ſe infra Ducem judicio aliorum dejectum cernebat. Itaqve nec adduci poterat obſeqvii inſolens, ut palatium regium, qvod tum tenuit, ad habitandum *Alberto* digniori traderet. Qvi idcirco in antiſtitis curiam divertere neceſſe habuit. Inde primum natum inter eos diſſidium indies gliſcebat, utroqve imperium ſummum, illo meritis, hoc dignitate ſibi jactantius arrogante. Auxit ea animorum certamina *Textor*, volens milites ſacramento Oldenburgici ſolvi, & *Alberto* obligari, aduerſante pervicaciter Oldenburgico, qvi recuſavit ſibi obſtrictos dimittere, priusqvam finis bello impoſitus. „Ita ſibi cum Lubecenſibus conveniſſe, uti penes ipſum ſumma rerum eſſet neqve alteri, durante bello, imperium cederet. Nec adhuc incidiſſe id bello infortunium, ut ipſius aliqva culpa res pejore loco ſit, qvam fuerit. Iniqvum igitur, ſibi contemptum parari, alterum in ſpem certam præ-

An. 1535. mii nullo merito vocari. Audiens *Textor* de præmio eos tantum contendere enixà vi, qvod non minus Megalopolitanus qvam Oldenburgicus ſpectabat, neuter injuria ad bellum laceſſitus, offert Oldenburgico epiſcopam Roſchildenſem, & qvæ antiſtitis, tum ab iis pro deſertore habiti, qvondam fuerant prædia univerſa: præmium haud ſpernendum, ni regnum ille prætuliſſet, cujus flagranti deſiderio ad pacta ſubjectionis deſcendere recuſavit. Tandem igitur agente *Textore* convenit, ut ambo pariter imperii participes exercitui præeſſent. Itaqve manſit uterqve, qvo erat loco: Oldenburgico regiam inſidente, Megalopolitano curiam antiſtitis tenente: ubi ejus uxor gravida, haud multo poſt Hafniam advecta, filium, *Ludovici* nomine poſtea dictum, enixa eſt,

Mox gemina in Daniam appulit hoſtium claſſis, tormentis, commeatu, milite abunde inſtructa. Altera fretum Oritanum, qvod jam ante in poteſtate hoſtis erat, ſubiit, ut extorqveret ſolitum a navigantibus vectigal. Stabat ea ad fauces Oritani freti in anchoris, naves qvascunqve extraneorum, non ſecus qvam Danorum hoſtiliter excipiens: Hollandis autem præcipue infeſta, eorum ſeptuaginta naves mox ex alto huc invectas, qvantum hibuit, vectigal exegit. Nec eo hoſtis contentus, ratus ſibi periiſſe, qvod miſeris de proprio iſſet relictum, tanqvam in prædam datos cunctis rebus fere Hollandos ſpoliat. Qvod in Scaniam perlatum, patres anxios habuit, cernentes vectigal regni præcipuum alendo bello in conſpectu fere ſuo hoſtes intercipere. Itaqve Regem per litteras monent, imprimis operam det, ut fretum Oritanum, ab hoſtili claſſe inſeſſum & clauſum, patefaciat. Qvod in male ſarta utriusqve Megalopolitani & Oldenburgici gratia facilius factu. Eam igitur modo occaſionem ne negligat, ni ſpem maris potiundi in reliqvum amittere velit.

Sed Rex, etſi a patribus recte ſe monitum ſenſit, ab acceſſu tamen freti abſtrahebatur. Altera enim hoſtilis claſſis decem navium, præter minores complures, mare Balthi-

thicum ingressa, militem in Fioniam ex Germania invexerat. Expositæ eæ copiæ ex altera Fioniæ parte ad *Neoburgum* fuerant, qvod oppidum Comiti tum parebat. Ductabantur autem a Comite Teccelburgico *Nicolao*, *Ottonis* Vestphali filio, Lubecanorum stipendio aliqvali, sed amplioribus in speciem promissis ad hoc bellum illecto. Accessit simul huc Comes Höyensis *Johannes*, armorum Danicorum jam expertus, cum haud spernenda militum manu, missu Megalopolitani & Oldenburgici, ut labentibus rebus Fionicis opitularetur. Uterqve Comes partiti invicem imperium, evocarant milites per Fioniæ oppida præsidio collocatos, qvibus simul junctis, exercitum ex novem vexillis peditum & qvatuor turmis eqvitum sibi confecerunt. Progressi cum his copiis Othiniam, ea a militibus direpta, propius hostem movere. Amnis labitur itinere fere medio, qva Assaniam Midelfaria itur, ad qvem castris metandis sibi locum delegerunt. Visus is locus accommodus, qvo eqvites, auxilio regiis ex Germania adventantes, insidiis exciperentur. Indidem impediri poterat, ne qva commeatus in castra regia convectaretur. Simulqve haud inde longe Assania aberat, unde miles (tria vexilla erant peditum) arcessi poterat, qvi oppidum tutabatur. An. 1535.

Sed hæc iis parantibus, adfertur nuncius, *Rantzovium* regiarum copiarum ducem, centum eqvitum caterva stipatum, Faburgum oppidum petiisse. Ea res ad novanda consilia hostes impulit, ratos, si ducem ad castra redeuntem intercipere contingeret, posse regios capite destitutos haud magno cum periculo in ipsis castris ex insperato opprimi, atqve ita in Fionia debellari. Sed *Rantzovio* doli militaris cauto innotuit, insidias recta redeunti paratas, qvi idcirco nactus qvendam viarum gnarum, eo duce per diverticula ad castra incolumis noctu remeavit. Hostibus, ubi compertum ex insidiis elapsum *Rantzovium*, ne hoc egisse viderentur, recta Faburgum ducere placuit, ubi in eam noctem stationem ceperunt. Uterqve exercitus jam adeo in propinqvo erat, ut qvodammodo necesse aut pugna fortunam periclitari, aut fœda fuga metum ostentare. Plus animi

 re-

An. 1535. regiis, qvi acie congredi non recufarunt. Hofti autem tutius ab aftu militari auxilium petere vifum. Compofuere igitur inter fe Hoyenfis & *Goftavus*, metropolitanus qvondam Vpfalenfis, ut diluculo regios, nondum fomno excitatos, fi qva poffent, in ipfis caftris adorirentur. Qvod Affanienfibus qvoqve patefactum, qvi ipfis adventantibus juffi oppido erumpere, & regiis a tergo inftare, ut ancipiti prælio utrinqve premerentur. Erat forte in cœnaculo, qvo hæc acta funt, per eam noctem facerdos qvidam, a metropolitano captus. Is negligentius in vinculis fervatus, confilium fecreto inter eos habitum eliminavit. Nam erumpens vinculis, qvum litus maris petiffet, ibi fcapha inventa, ad caftra regiorum remigavit, & indicium ad *Ericum Crummedigium* pertulit. *Rantzovius* nullius, ne qvidem minimi, periculi incuriofus, explorata indicis fide, cum tribunis & centurionibus fuper auditis pauca differit. Qvibus vifum optimum factu, ut propere caftris igne fubjecto verfus hoftem duceretur. Micante argo in cœlum late per caftra incendio, territi in oppido milites, incertiqve repentino ne aliqvid accidiffet cafu, an confulto regii & infidiofe flammas excitaffent, pedem efferre portis formidabant. Qvos fi inceffit erumpendi libido, *Chriftophorus Feltenius* cum turma eqvitum opperiri juffus, ut aut impediret, ne regios affeqverentur, aut in oppidum redactos compelleret. Ceterum illucefcente jam aurora, haud longe Affania uterqve exercitus conveniunt. Mons ibi eft Taurus dictus, leni jugo affurgens, qvem hoftes præoccupantes ceperunt. Pavidi enim inopinato regiorum adventu, non folum loca tuta refpectabant, fed & curribus aciem circumdederunt. Regiis contra metus hoftilis minime dubius pugnandi ardorem auxit. Mons tantum acclivis afcenfu, congrediendi difficultatem aliqvam objectabat. Qvod impedimentum ne diutius alacritati militum obftaret, *Rantzovii* juffu tormenta omnia fub ipfum montem convecta funt, ex qvibus mox globi igniti crebro in hoftem ejiciebantur. Obfirmati enim regiorum animi, ut aut hoftem, loco pulfum, in plana camporum adigerent; aut immani tormentorum vi acceffum fibi æqvo pede congrediendi patefacerent. *Johannes* Hoyenfis, ut fenfit

ſit hoc agi, ratus glorioſius gladio qvam globulo occumbere, in regios duci jubet. Libuit vero prius experiri, anne eqvites, impetu incurſantes, tormenta poſſent in poteſtatem redigere, a qvibus metuebat, ne inſignis aliqva clades inter præliandum acciperetur. Qvod fruſtra tentatum, primum excidii cauſam attulit. Nam turbata eſt acies, eqvitibus agminatim ſine diſcrimine concurrentibus. Deinde ſclopetarii, inſerti inter eqvites ad majorem inferendam regiis ſtragem, reſtitere, aſſeqvi pernicitatem eqvorum haud valentes. Sed & reliqvum peditum hoſtilium agmen, latus lateri eqvitum initio obvertere cœpit. Tum nonnihil antea fatigatis eqvis, juſſi eqvites ad pugnam curſum accelerare, qvod feſtinatione ſpem victoriæ duces præceperant. Sed regiis ſua cunctatio bono fuit. Senſim enim progreſſi, integra acie, indefeſſas vires ad prælium adferebant. Nec enim loco moverunt, priusqvam intra conjectum teli ventum eſſet. Inter dimicandum in hoſtili parte mox eqvitum agmen loco ceſſit. Etenim contra bonum militiæ morem tum ordinibus emoti acceſſerant, tum a regiis ab altero latere ingruentibus fortiter impulſi ſunt. Qvibus addidit formidinem deinde *Feltenius*, in medio pugnæ fervore ab oppido cum ſuorum eqvitum turma advolans, ſuſpicantibus iis novam militum recentium multitudinem feſſis ſupervenire. Itaqve mox terga dantes cæſi ſunt. Pedites vero, qvibus provido & lento inceſſu melius ſervatus ordo fuerat, & vires nondum elanguerant, diutius certamine contra regios perdurarunt. Ex qvibus tamen qvum paſſim multi tormentorum globis ſternerentur, & reliqvi fugitantes eqvites ſuos cernerent, mox & ipſi in fugam verſi. Cæſis pluribus, capti pedites mille qvingenti, inqve eis centum nobiles. Centuriones celebres vivi in poteſtatem venere, *Raymarus Valdius*, *Johannes Saxo*, *Toſſius*, ac *Juſtus Fuldio*, pluresqve alii. *Michael Zanovius* dux peditum occubuit, aliiqve non obſcuri nominis. Pauci fuga regios perſeqventes evaſere. Ex eqvitibus *Nicolaus Teccelburgicus* globo ictus concidit. *Johannes Hoyenſis* captus, qvem deſcendentem ex eqvo nobilis Holſatus *Ditlevus Ratlovius*, qvocum veteres inimicitiæ ei interceſſerant, con-

An. 1535.

An. 1535. confodit. Metropolitanus Vpſalenſis *Goſtavus* multis vulneribus ſaucius, defectu virium impotens evadendi, regiis ſe dedidit, qvi Gottorpiam in cuſtodiam miſſus, ibi vitam finivit. Baro Donanus, Burgravius *Chriſtophorus* dictus, ipſe a regiis avectus eſt. *Sebaſtianus Goſſenius*, nobilis imprimis militum tribunus, & ipſe interfectus, ſed extra prælium, familiæ perfidia. Præter hos undeqvadraginta nobiles, centum qvadraginta duo ex eqvitum vulgarium turba capti. Currus qvadringenti cum impedimentis in prædam venere. Tormentis etiam bellicis univerſis regii victores potiti. Nec tamen ultra qvadraginta ex his deſiderati. Nobilium nullus interiit, vulnerati pauci, in qvibus *Aſco Cramerus*, & *Henricus Stenbergius*. *Teccelburgio* & *Hoyenſi* in vicina æde ſepultis, monumentum poſitum, donec inde Othiniam pia cura victoris eos aſportari juberet.

Albertus Megalopolitanus, qvi Fioniam ſecreto adierat, ut eventum pugnæ ſecurus periculi ſpectaret, nec prælio interfuerat, accepto triſti nuncio, milites diſſipatos fuga colligens, repente navigio in Selandiam ſe cum iis ſubtraxit. Qvi Aſſaniæ erant, partim ingreſſi onerarias, in Selandiam & ipſi vela fecerunt, partim irrumpentes Lubecenſium bellicas naves, qvæ hic in anchoris ſtabant, Svenopolim oppidum, a periculo paulo remotius, petierunt. Ita vel metu ſponte dilapſi, vel armis profligati, hoſtes Fioniam fere vacuam reliqvere. Secundum pugnam confeſtim una cohors regia Aſſaniam irrumpens, eam diripuit. Alia autem ægre ferens, qvod commune eſſe oporteret ab iis præreptum, in partem prædæ venire flagitavit, reſiſtentibus intentius, qvi præoccupaverant: & uterqve miles proſperitate inſolens (uti fit) præmium ſibi ex victis jactantius vindicabat. Unde haud procul ſeditione res fuit. Qvam tamen cohibuit *Rantzovii* ducis moderatio, juſſis his tenere prædam, qvam involaverant; iis data Svenopoli diripienda. Ita utrumqve oppidum miſerum in modum ab regiis mulctatur. Othiniani cunctantius ab hoſtibus deſciſcentes, tertium jam ſpoliantur. Reſtabat Neoburgicum caſtellum, qvod *Otto Stigotius* tenebat. Id validum, nec ex-

expugnatu facile, ipſe regiis tradidit, ut præveniens obſidionem gratiæ locum promtius inveniret. Pacata hoc pacto aliqvatenus tota Fionia, de rebellionis & defectionis auctoribus legibus inqviſitum. Qvorum ſartor, qvi cœnobium Dallund, qvod eſt ac ſi *vallis nemoroſæ* dicas, tenebat, capite pœnam luit. *Johannes Lundius*, qvi caſtellum Haqvini Sylvam dictum per proditionem occuparat, graviore ſupplicio membratim diſſecto corpore, ſub ipſam arcem qvatuor rotis ad terrorem impoſitus eſt. An. 1535.

Ceterum dum iſthæc terra geruntur, claſſis mare Gothicum navigans, contra hoſtes & ipſa ſecunda fortuna uſa eſt. Conſtabat ea grandioribus navibus bellicis compluribus, qvas partim amici & confœderati Principes auxilium rogati ſuppeditarant; partim proceres regni ſubminiſtrarant: præter celoces, & onerarias commeatum vehentes. Earum miſſæ a Sveco fuerant decem, qvarum cura *Erico Flemmingio* concredita. Boruſſiæ Regulus & ipſe decem inſtruxerat, præfecto *Johanne Perenio*. Antiſtites & reliqvi proceres in apparatum undecim navium impendium fecerant: qvibus junctæ, qvæ in portu Slucopiano captæ fuerant naves, Rege Lubecam obſidente, qvæqve Allaburgum *Clementem* cum rebellibus Hafnia vexerant. Privatim etiam pluribus inceſſit ſubveniendi Regi cupido, ex qvibus *Henricus Roſæcrantzius* præſes Gothlandicus, *Claudius Billeus* Bahuſianus præſes, *Avo Vincentius Longus*, & *Ericus Guldenſternius*, aliiqve. Hi unam, illi plures pro modo facultatum miſere. Totius autem claſſis, ſub Gothlandiam in unum collectæ, ſummus præfectus erat *Petrus Scramius*, Eqves Danus. Nam *Goſtavo* ipſo indicante, non habuit tum Svecia, qvi idoneus eſſet ut claſſi præficeretur. Qvare *Scramius* rogatu Regis hoc muneris acceptans, in Sveciam commearat, relicta apud fratrem *Tucconem Crabbam* nova nupta, qvum recentis conjugii gaudia vix ſemeſtri percepiſſet.

Incidere in hanc claſſem, milite tormentis aliisqve neceſſariis egregie inſtructam, mox per mare Gothicum Tranſiſu-

An. 1535. sisulanorum qvatuor naves, mercibus diversis onustæ, qvas deoneratas ad usum bellicum mutato apparatu, præfectus suæ classi adjecit, usus jure, qvod Dani antiqvitus sibi in exteros huc navigantes vindicarunt. Nam qvia Rex tam ultra qvam citra fretum longe lateqve mare, qvod Daniæ ac Norvegiæ fines alluit, tutum a piratis aliisqve hostibus præstare solet, coguntur, qvum ita necesse est, qvi maria hæc commerciorum causa freqventant, simul opem ferre, & Danis contra hostes æqvo stipendio militare. Qvod reipublicæ omnino perutile regnisqve, qvæ mari negotiantur; qvamvis privatim multi detrimentum capiant. Nisi enim Dani maris imperium tenerent, Vandalici omnibus huc navigantibus infesti, spoliandi modum facerent nullum. Nam fretum nostrum, qva possunt impedire, nunqvam aliis patere volunt, maleqve per id ingressos, data opportunitate, mulctant: Danorum tantum aliqvando cöerciti metu, ne in qvosvis impune grassentur. Hanc ob causam e re communi late Danos mari dominari: qvorum firmandæ opes reliqvis, qvi suas a Vandalicis servatas velint, uti indubio experimento jam dudum compertum.

Igitur accedentibus qvatuor hisce Transisulanorum navibus (ut dixi) regii recto cursu versus Boriniam insulam descendunt. Ibi mox classis hostilis obviam venit, ad dimicandum parata. Nec enim ea invalida, utpote regni navibus omnibus potito Comite, qvum Hafniam occuparat. Et militabant simul in iis partibus, Lubecanorum, Sundensium & Rostochianorum naves. Primariæ Svecicæ navi, qva *Scramius* vehebatur, alteriqve ad nutum ipsius imperio destinatæ, progressis ante alias, prima dimicatio fuit. Tormentis utrinqve vehementissime se invicem aliqvandiu incessebant. *Scramius* suorum amisit septuaginta qvatuor, pluresqve primaria hostilis navis a *Michaële* Archangelo nomen gerens. Reliqvæ naves aliqvanto distantes spatio, ne tormentorum globis inter se læderentur, se ad prælium etiam expediebant. Sed illis pugnantibus, his ad pugnam contendentibus, subita exorta tempestas cum nube pluvia classem utramqve alto ita jactabat, ut statim incerto cursu dis-

disjiceretur. Regia classis terræ propior portum ad vicinam insulam tenuit. Hostilis, cum primaria jam inutilis & lacera, in fretum Oritanum reversa est. Eam mox *Scramius* cum suis insequi destinat, ut turbatas & vi maris ventorumqve qvassatas caperet, aut demergeret. Cujus conatum prospera fortuna non videbatur desertura, in tanta regiorum alacritate, hostium vero consternatione. An. 1535.

Sed hæc parantem litteræ regiæ allatæ alio vocant. Jussus enim mare Balthicum petere, ut hostes in Fioniam exscensionem molientes prohiberet. Qvod tamen si non videretur, malletqve fretum Oritanum petere, jussus classi hostili obviam procedere, ac qvoqvo modo prælio a Fioniæ accessu distinere. Cui parens mandato *Scramius*, omisso priore consilio, eo navigat, delatusqve mari fere usqve ad Germaniæ litora, haud procul ostio Dravi, navem Lubecensem permagnam adortus capit, qva præter merces non exilis pretii, nobiles qvidam Livonii vectabantur. Mox inde cum ea præda cursum ad Fioniam intendit, ducens secum in interiora insulæ ex tota classe naves tantum decem numero. Hostes non ausi regios adventantes expectare, scaphis insilientes, partim in Selandiam elapsi sunt, partim in hæc & illa Fioniæ loca evasere. Ubi pleriqve aut trucidati aut capti sunt. Navibus autem in litore destitutis, qvas hostibus ipsis injecto undiqve igne cremare vel saltim perdere studio fuit: incendio ereptis regii potiti sunt. Novem eæ omnino fuere, in qvibus a Leone dicta prætoria, etiam servata, in regiorum potestatem venit. Unam earum flammæ vis absumsit. Instructæ hæ fuere tormentis majoribus compluribus, ac potissimum tres grandiores. Nam reliqvæ minores qvidem fuere, sed necessariis tormentis non destituebantur. Aucta classis regia hisce navibus, aliisqve hostilibus, qvas passim deprehensas abduxit, per totum hoc mare libere dominabatur. Ac qvaqva cursum tenuit, cuncta sibi ita obnoxia fecit, ut per plerasqve insulas minores pervagata, plebem jussa facere cogeret. Lalandia, Lavinia, Falstria, Mœonia, commeatum exacte suppeditarunt, qvod in longius tempus nauticis suppetebat.

An. 1535. Corcyram Selandiæ castellum, in extrema ora versus Fioniam, adnavigans mox deditione accepit. Alterum castellum Laviniæ etiam nullo fere negotio recuperavit. Utrumqve præsidio firmavit, qvantum copiis suis demere commode posset, donec alii submitterentur.

Tum Rex accepto nuncio de rebus terra mariqve ex sententia gestis, Fioniam lætus ingreditur. Ubi omnia reperit fœdata, & misere a militibus conculcata. Cernere erat agros alias fertilissimos vastatos, pagos desertos, oppida direpta & cremata. Qvæqve hostis intacta reliqverat, a suis male mulctata audiebat. Eo majorem in modum affli-ctabatur, clementiæ semper qvam iræ propior. Populum itaqve convocans, leniter primum verbis castigat, mox in spem gratiæ consolatione erigit: ut lætiores omnes venia præciperent jam felicis gubernationis auspicium. Itaqve qvum de Regis designatione suffragiis suis stabilienda ad plebem referretur (nam Nobilitas jam pridem consenserat, & in castris regiis militarat) proni omnes huc inclinarunt. Qvo super Othiniæ solenni præstito & consignato sacramento, Fionia pariter, uti Jutia, in potestate Regis erat. Dimisso conventu, cum militibus mercenariis de stipendio actum, cujus pars mox repræsentata. De reliqvo fide Regia futuram brevi numerationem cautum est. Itaqve miles præda expletus, & insuper de stipendio certus, promptum se ad imperia regia præstabat.


Placuit jam in Selandiam trajiciendo hostem petere. Fretum ibi occuparat *Scramius* præfectus classis, imposito præsidio, ut obnoxia omnia & opportuna in aditu provinciæ Rex haberet. Expositis igitur in Selandia copiis Regiis, nullus hostis inventus, nec qvi iter interpellaret: sed exploratores passim emissi, qvi regiarum copiarum numerum inqvirerent. Qvod hosti rescitum audaci facinore & astu cujusdam *Stigoti Stigotii*, callidi & militia egregie exerciti. Nam qvum præmissi essent a regiis, qvi locum castris in tuto locandis caperent, aliusqve, qvi nobilibus per oppida diversoria sua metaretur, his immixtus *Stigotus* iste Ringsta-

dii,

dii, simulat se *Melioris Rantzovii* Mareschalli ministrum. An.
Qværit, ubi domino suo hospitium paretur, sibi enim in 1535.
mandatis esse, ut de commodo loco prospiceret. Cui domus monstrata ad extremum oppidi, ubi in foribus pro more *Rantzovii* nomen consignatum. *Stigotus* offensam simulans, qvod non honoratiore & ampliore hospitio dominus exciperetur: „Heus tu, inqvit, dominum inter infi„mos detrudis, & ad viliora abducis loca, qvam par est; „qvum inter regios præcipuus sit. Qvod haud dubie ex „catalogo & tabulis patebit, qvem mihi cognoscendum „exhiberi volo.„ Mox accipiens a metatore tabulas, capiti ipsius sclopetum illidit, atqve ita subditis eqvo calcaribus, pernicitate ejus e manibus elabitur. Ita tametsi gnarus factus hostis copiarum, qvæ a Rege adducerentur; non tamen ea animi fiducia, nec eæ copiæ militum, ut regiis obviam irent.

Progressus igitur Rex pacato agmine (nam per propria jam iter erat) ad Coagium oppidum tantisper castra collocat, dum de classis adventu in fretum Oritanum certior fiat. Ibi Rex parans omnia ad urbis Hafniensis obsidionem, exercitum recensendo armatorum numerum init. Novem omnino erant ei tum eqvitum turmæ, vexilla peditum viginti qvatuor. Duces erant fama celebres, & omni militari laude inclyti, *Johannes Rantzovius*, & *Reinboldus Heidenstrupius*, ille magister eqvitum, iste peditum dux. Tribuni militum omnes manu promti, & ad militaria qvævis munera impigri, eoqve magis qvod Regem commilitonem essent habituri. Nec deerant tormenta complura & omnis generis machinæ, qvibus ignis injiceretur obsessis, & muri qvaterentur. Accessit etiam classis ex Norvegia, prout tum res siverunt, egregie ad bellum instructa, ducibus *Christophoro Haccio*, *Johanne Crasso*, *Erico Guldensternio*, qvæ cum reliqvis navibus regiis portum insidebat. Hostis contra munitione urbis confisus, certum apud se habebat urbem Regi haud dedere, promisso tum a Belgarum gubernatrice *Maria*, tum Lubecensibus & aliis auxilio. Itaqve obsidia aspernatus, adventantem cum exercitu Re-

An. 1535. gem intra munimenta opperiebatur. Enimvero tormenta ei & machinæ haud deficiebant, qvibus, prodita urbe, magna copia potitus eſt. Commeatus etiam undiqvaqve convectus, ab civitatibus maritimis belli ſociis, aliisqve. Sed & inacta fuerant ex vicino agro armenta boum, vaccarum & juvencorum, nec non ovium, aliorumqve pecorum greges integri; qvo & hoſti arctiorem annonam redderet, & ſuam inopiam ſublevaret. In portus aditu immanis & magnitudine rara navis collocata, ut claſſem regiam ingreſſu ad urbem arceret: qvam tamen poſtea crebris tormentorum ictibus pulſatam & dilaceratam fundo maris regii adegerunt, extante etiamnum in hodiernum diem ſupra aqvas alveo ejus, roboris & magnitudinis priſtinæ monumento. Ita regii ad continuandam, hoſtis ad tolerandam obſidionem vel in longius tempus, ut putabatur, apparatus ſuppeditabat: Eo maxime utrisqve diverſis, qvod huic pro regno occupando, veſano alieni deſiderio & ultroneo ſcelere, fortunam libitum periclitari; illo pro defenſione ſuorum ad arma neceſſaria adacto, ne qvando, male magiſtratu functo, per dedecus illuderetur, & crimen ignaviæ impingeretur.



NI-

NICOLAI CRAGII
ANNALIUM LIBER III.

Ad IX calendas Augusti regii Cogæa moventes, Hafniam circa vesperam subeunt, urbemqve mox corona invadunt. Rex ipse qvatriduo post consecutus, ad pagum vicinum castra ponit, ubi pater annis superioribus sua habuerat. Locus editus est, & jugis montium nihil inferior urbis mœnibus. Extabat etiamnum semirutum vallum, humilisqve fossa, qvæ reparatu eo faciliora. Miles haud impiger ad obsidionem, labore indefesso jam castra aggere & fossis communire cœpit. Urbani vero opera turbare omni vi conati. Hi patefactis clam portis urbe erumpere, ignem ingerere, cædere, impellere operantes. Et qvidem inprimis *Stigotus* ille *Stigotius*, qvem diximus, eqvi pernicitate fretus, ad ipsa castra sæpius projecta audacia penetravit. Tentantem hoc aliqvoties regii tandem cognoverunt, ut semel atqve iterum extreme periclitatus, demum se urbe contineret. Sed & hostes magna clade repulsi ab eruptione, metu desistebant. Tormentis deinde tentatum, an possit munitio castrorum impediri. Ex *Jarimari turri*, aliqvanto celsiore, tormento peculiari, qvod *intortam serpentinam* vocarunt sæpe globos ejaculati. Nec periculo extremo res caruit, adeo ut in ipso tentorio Regis satellites qvidam sint interemti: sed interpellari munitio tamen non potuit. An. 1535.

Absoluto igitur opere militari, & communitis approbe castris, visum Regi haud opus fore toto ad obsidionem urbis exercitu. Itaqve ad oppugnanda alia passim castella ab hostibus infessa cum suis qvæqve tribunis copiæ destinantur.

An. 1535. Per idem ergo tempus Nicopia Falstriæ, Allaholmia Lalandiæ, Callunburgum & Halsinora Sialandiæ milite circumdantur. Aliqvi etiam militum in Scaniam missi, ut auctis copiis arctius Malmogia & Coronea obsessæ premerentur. Ipse Rex brevi post delegata cura exercitus ducibus, in Scaniam trajecit. Reperit & ibi omnia, sicut in aliis provinciis, miserum in modum afflicta, nisi qvod hi saniore consilio, præter Malmogianos & Coroneos, Regem receptare parati essent. Lundiam ingressus conventum totius provinciæ indixit, vocatis eo Senatoribus, Nobilitate, & ex plebe tum rustica tum urbana delectis qvibusdam. Urbs confestim innumera multitudine, lætis Scanis adventu Regis liberatoris sui, completur. Mox ubi de confirmanda electione actum est, prono omnes assensu *Christianum* Regem receperunt. Itaqve solennibus, qvæ in sacramenti obligatione intercedere moris est, in *monte Liberi* extra urbem sub dio peractis, in Scania Rex designatus est; ac secuta mox festiva conviviorum gaudia. Rex Sveticarum copiarum duces & tribunos una cum Senatoribus regni epulo magnifico excipit. Senatores vicissim Regi convivium parant, vocatis simul Svecis.

Inter colloqvendum autem cum Svecis, qvum *Gustavi* Regis humanitas prolixe ab iis commendaretur, & studium ejus erga Danos in majus extolleretur, incessit Regi desiderium ejus adeundi & videndi. Iter illud mox instituitur, paucis consciis: nam Senatores id celarat, haud dubius, qvin qvantum possent a proposito abstraherent. Et vero ut rescitum tandem, Regem iter adornare ac peregre in Sveciam iturum, provisu periculi vehementer illi indoluere. Atqve ut officio facerent satis, rebantur suæ fidei esse, eum monendo ab incœpto dimovere. Ostendunt ei, "tam longinqvam „peregrinationem alienissimo reipublicæ tempore suscipi. „Accepisse superioribus paucis diebus a subjectis sacramen„tum fidei, & vicissim præstitisse: Ejus rationem diligenter „initio habendam, ne Scani se neglectui habitos qveri pos„sint. Pluris opinionem subditorum faciendam, qvam ul„lam affinitatem aut propinqvitatem, qvæ sine aspectu mu-

„tuo

„ tuo nihilo esset futura infirmior. Illo discedente, rempu- An. 1535.
„ blicam denuo qvasi absqve capite futuram. Multa etiam
„ ab inqvietis subjectis per ejus absentiam novari posse. Nam
„ de periculo ipsi inde metuendo se male ominari nolle; id
„ tamen usu edoctos, Regi opis egenti, nec in regno suo
„ admodum valido, amicitiæ vicinorum non usqveqvaqve
„ confidendum. Multos per tam longinqvum iter opera
„ hominum perditorum dolos strui posse, qvibus auctor a
„ suspicione apud alios se vindicet, conscientia sceleris oc-
„ culti haud magnopere formidans. „ Sed *Christiano* fixum immotumqve animo iter illud obire, celeritate reditus periculi domestici metum abjicienti. Et eam necessitudinem cum *Gustavo* intercedere putabat, ut mutua conjunctio oblivisci humanitatis non fineret: Qvam qvanti ille faceret, præstito tam abunde contra hostes terra mariqve auxilio, satis ostendisset. Et ut minus affinitatis istius respectu permoveretur, persvadebat sibi hospitem, ejus fidei se committentem, contra fas & jus tamen non violaturum.

Sveci, cognito profectionis consilio, clam nuncium præmittunt, qvi interdiu noctuqve ad *Gostavum* pervolans, eum de adventu Regis designati redderet certiorem. Ipse haud longe post seqvitur, trahens perqvam paucos secum aulicos, nec qvenqvam auctoritate conspicuum, extra unum *Meliorem Rantzovium*. Simul ac Holmiam Sveciæ ad *Gostavum* ventum est, non qva tantum hospitem decuit humanitate *Christianus* acceptus est. *Gostavus* immitis alloqvio, tetrico vultu & obliqvis oculis Dani comitatem, qvæ natura insita, magnopere lædebat. Ea enim indicia aversi animi, & vel suspicantis perperam de ipsius sinceritate, vel struentis ex opportunitate malum. Jamqve suscepti longinqvi itineris pœnitens *Christianus*, Senatorum consilia spreta sero apud se dolebat. Causas nihilominus itineris oratione blanda peragit, ut erat moderatus & mansvetus. Actis gratiis de præstito contra hostes auxilio, *Gostavum* communis periculi commonefacit. „ Fama vulgatum per Germa-
„ niam, idqve sibi etiam a fidis qvibusdam amicis indica-
„ tum, Imperatori *Carolo* in animo esse, Palatinum in hæc

reg-

An. 1535. „regna, qvorum sibi jus per uxorem arroget, vi & armis „introducere velle. Qvod si attentaret, in pari causa ipsum „fore, ut cujus regnum *Christierni* captivi liberi non minus „atqve Daniam & Norvegiam sibi vindicent. Ejus poten„tiæ resisti viribus regni unius haud posse, præsertim lace„rati & diutino bello enervati. Opus igitur esse arctiore „fœdere, qvam antehac, si salvum regnum suum uterqve „velit.„ Vera memorari, solicitudinis jam pridem haud expers *Gostavus* intelligebat. Itaqve seu amore, qvi *Christiani* erga ipsum erat, seu pudore proprio permotus, abjecto malevoli animi proposito, benignius cum eo agere cœpit. Initum mox fœdus iis legibus, „ut totis viribus mu„tuo sibi suppetias ferrent, qvum opus esset. *Christiano* „pecunia suppeditaretur certo pignore ad tolerandos belli „sumtus. Bona hereditaria a *Christierno* captivo publica„ta & in ærarium redacta *Gostavo* in Hallandia redderen„tur. Nobiles Sveci, qvibus possessiones in Dania essent, „juri suo restituerentur. Convenirent inprimis utriusqve „regni Senatores, qvi super hisce cognoscerent, & causas „omnes disceptarent: qvibus etiam in universum potestas „danda, de omnibus, qvæ ad horum regnorum salutem „spectare videbuntur, discernendi.„

His impetratis, qvorum potissimum causa venerat, mox *Christianus* reditum ad suos adornans, Reginam ad iter paratus salutatum it. Illa placide valedicentem appellans, vixdum anxietate, qvam pro salute ejus ceperat, dimissa: „Frater, inqvit, tibi sidus auspicatum illuxit, qvod „sine noxa hinc abire detur. Est igitur ut gratias Deo agas „tuæ salutis auctori & servatori. Nam paucis abhinc die„bus ea consilia agitata, qvibus tibi exitium parabatur.„ Attonitus *Christianus*, nec adhuc evadendi certus, ad animum revocabat, qvantum in periculum se præcipitem dedisset: qvo lætior fuit, qvum a *Gostavo* dimissus, regnum suum sospes & incolumis reviseret. Qvi gratias Deo agens, ex metu qvasi vitæ se restitutum, ac tantum non novam lucem aspicientem agnoscebat. Salubre vero documentum Regibus & Principibus, ne temere alienæ fidei creden-

tes,

tes, ſe in diſcrimen dedant. Qvotusqvisqve enim mortalium ita tenax recti, ut non probro exiguum præmium anteponat, nedum regni aliqva fides ſit? Enimvero qvo qvisqve celſiore loco poſitus, tanto magis decoris ſui & famæ prodigus facinus nefarium audebit. Ad faſtigium enim regium pudor, ſi non indolis bonitate, certe metu infamiæ, raro pertingit: Et ſi qvæ eſt infamia facti, a paucis Regibus, qvanta ea ſit, intelligitur. Æmulatio autem plerumqve magnis ingeniis eſt inſita, Regum etiam comitatur fortunam, paribus inviſam. Et qvidem vicinorum eo magis, qvo propior in oculis proſperitas, qvam ſibi noxiam fore opinantur, ſuſpicaces ipſi, & ex qvavis levicula rerum mutatione diminutionem ſui formidantes. An. 1535.

Ceterum reducem *Chriſtianum* fere per veſtigia conſeqvitur, qvi nunciet mortem Reginæ *Catharinæ*. Ea qvali fato functa, fama incertum fecit. Ita varia de propero ejus obitu in vulgus ſpargebantur. *Goſtavus* litteris in Daniam miſſis amiſſam enixe deplorabat: *Chriſtianum* rogans, nihilo ſecius in amicitia priſtina perſiſtat, nec neceſſitudinis per affinitatem junctæ jus abolcat. *Chriſtianus* memor fidei & ſolicitudinis Reginæ, & ipſe ſerio triſtatus, dolorem communem *Goſtavo* litteris viciſſim teſtabatur.

Sed dum hoc dolore angitur, in proſperiorem res Scaniæ fortunam vertunt. *Trugotus Ulſtandius*, qvi deceptus perfidia captivorum, amiſerat Varbergam, non deſtiterat vindictam qvoqvo modo ab hoſtibus expetere, ſibi ipſi haud ſatisfaciens, priusqvam *Mayerum* ulciſceretur. Aluerat ipſe de ſuo milites aliqvot, ut hoſtibus ex vicino agro commeatum invehi prohiberet, acceperatqve a Rege duo vexilla peditum, qvibus ſimul copiis oppidum obſidebat. Nec longa fatigato obſidione id recuperatum, cum ſpe potiundi etiam caſtelli, qvod milite clauſum undiqve cinxerat. Sed qvi in caſtello erant, diutius durarunt, qvam ut ſe ſtatim exemplo oppidanorum dederent.

Pari etiam modo Malmogiani & Coronei, ut ut afflicti, obſidionem audacter tolerabant, ſine mentione deditionis.

O Qvod

An. 1535. Qvod Rex admiratus, litteras ex castris mittit, qvibus eos ad deditionem invitat, postulans, ut aliqvos ex suis ablegent, qvibus potestas sit de pace agendi. Monet, "ne experiri „velint extrema, qvæ vi domitis solent duriora esse. Se „paratum in gratiam eos recipere conditionibus, qvæ op„pido non sint intolerabiles vel iniqvæ futuræ, modo illi „in pervicacia non obstinatos se præbeant.„ Malmogiani rescribendo prolixe se excusant, qvo minus id facere liceat. „Voluisse se statim ab obitu *Friderici* de ejus electione age„re, sed minis antistitum id consilii coactos omittere. Ac „tum qvosdam e patribus & nobilibus in eadem fuisse sen„tentia, qvi antistitum impotentem dominatum ac iniqva „decreta aversati, clam noctu urbe evaserint. Tum *Chri„stianum* ab eorum factione vocatum Lutheranum & ty„rannum, ut qvi ecclesiasticos odio proseqveretur, non „aliam veram ob causam, qvam qvod evangelii doctrinam „esset amplexus, eamqve pio ardore propagaret. Ab anti„stitibus tum præteritum & neglectum, & ipsum fortunam „suam & regni desiderium neglexisse. Agitatum ab illis de „fratre legendo, in eo tum acqvievisse. Hoc igitur eos agi „cernentes, timuisse vitæ & fortunis suis malum a pontifi„cibus, qvorum jam multis documentis nota esset in pu„blicum insolentia. A puero Rege patrocinium in annos „complures nullum expectari potuisse, qvi ipse opis egeret, „ea ætate, qva se tueri non posset. Voluisse antistites inte„rim ita dominatum exercere, ut non superesset, qvi Regi „adultiori facto, se accusatorem profiteretur. His aliisqve „de causis adactos, apud Comitem Oldenburgicum ac Lu„becenses auxilium qvæsivisse, qvibus reformata religio cu„ræ, ne cum ea ipsi penitus interirent. Antistites non an„tea in ejus electionem consensisse, qvam qvum frustra in „propositum suum impium niti se viderent. Absqve eo „fuisset, & si res ex eorum voto cecidisset, nunqvam eum „regnare fuisse passuros. Meditetur apud se jam, qvi pos„sint fidem Comiti datam ita temere violare. Det igitur „operam, ut qvorundam Principum conventus agatur, „qvo Oldenburgicus, Megalopolitanus, Lubecenses aliiqve „invitentur, atqve tum unanimiter aliqvid decernatur,

qvod

„qvod æqvius meliusqve, qvodqve puro verbo Dei non ſit „noxium, tum ſe haud ægre aſſenſum præbituros. An. 1535.

Hoc Malmogianorum reſponſum non ad agnoſcendam regiam gratiam ſed ſuam indicandam fiduciam conformatum, minus *Chriſtiano* gratum. Coronei autem ad deditionem proniores, demiſſius Regi reſcripſerunt : „Obligatos „ſe ſacramento Oldenburgico eſſe, qvod præſtitum, patri„bus auctoribus, iisqve præſentibus & volentibus, qvi tum „in pari eſſent cauſa. Petere igitur, fide publica licere Ol„denburgicum accedere, ut ſpatio menſtruo aut ſemeſtri „induciis datis, interim a claſſe regia, qva iter eſſet ad Co„mitem, non violentur. Ei ſe velle rerum ſuarum ſtatum „memorare, & ut a fide data liberentur flagitare. Igno„ſcendum ſibi, ſi fidei & honoris memores ejus rationem „ſedulo habeant. Regreſſos a Comite confeſtim miſſuros „qvi de pace agant. Qvam, ſi Deus faveat nec fortuna „invideat, ſperare ſe æqvam impetraturos : ſe prorſus Regi „ſtudia ſua ita probaturos, ut culpæ immunes eſſe ſentiat.

Tentata mox a Coroneis apud Comitem permiſſu Regis auxilii ſpes ; ſed ea infirma & in longius tempus dilata. Ac cernebant ipſi, ut qvi in rem præſentem venerant, qvantis anguſtiis uterqve, Comes & Dux, obſeſſus eſſet, ex qvibus emergere difficile, nedum ut aliis ſuppetias ferrent. Itaqve domum reverſi, utrinqve ſuos ad pacem petendam hortabantur. Malmogiani ſtatim in caſtra mittunt, qvi Regem inducias tantiſper rogent, dum de pace agatur. Eæ datæ, litterisqve confirmatæ, ſed legibus illis, qvæ ipſis viſæ nimis graves. Cautum enim, "ut per induciarum tempus „urbs clauſa obſidione maneret, nec interim armenta in „paſcua agerentur, vel in mare piſcatores exirent, ni ſuo id „periculo tentare vellent. Hoſtibus interim auxilium haud „ferrent, nec hoſtile qvid vel clam ſtruerent, vel palam „molirentur.„ De his convenire non poterat. Recuſarunt eas conditiones Malmogiani tanqvam intolerabiles, & clementiæ indicio nullo conjunctas. Urgebat eas contra Rex, ne nimium indulgendo efferatiores obſeſſos redderet; ita tenuit adhuc aliqvanto tempore obſidio. Sed Coronei

An. 1535. haud multo poſt ſaniore conſilio ad dedendum oppidum inclinantur. Premebat jam malis aliis feſſos etiam inopia commeatus. Miſſis igitur fide publica in caſtra qvibusdam magiſtratibus, clementia *Chriſtiani* veniam omnium delictorum impetrant, adeo ut, gratia facta, de privilegiis & immunitatibus cautum ſit, & mox in protectionem pro more recepti. Reverſi ex caſtris Coronei, portas *Oligero Ulſtandio* & *Magno Guldenſternio* patefaciunt, & reliqva, qvæ ſubjectos decent, præſtant. Qvæ res Regi perqvam commode accidit, nacto opportunum admodum portum, ubi claſſis ſtationem per tempus hibernum haberet.

Sed ut *Malmogiam Hafniamqve* alatum eſt de Coroneorum deditione, fremebant indignatione, qvi hoſtium partibus favebant, ac metuebantur omnes, ut proditores libertatis & palam ſuſpecti, qvi mentionem deditionis injeciſſent: Sin autem qvi in facto ullo deprehenſi, qvo Regi poſſet aliqvid gratum fieri, vita luebant. Malmogiæ ejus aſperitatis mox editum exemplum. Qvidam ex caſtris regiis milites ad foſſas urbis penetrarant, ut injecto metu incluſos huc pellicerent. Sed dum tumultus (ut fit) concurrentibus oppidanis ad regios arcendos cietur, erumpentes alii ex caſtris, onerarias qvasdam ad urbem ſtantes ſpoliant. Qvo territa plebs oppidana paſſim per urbem diſcurrit, vigilesqve præ metu portas qvoqve deſeruere; qvas civium qvidam effractis ſeris & remotis repagulis patefecere, ut regios reciperent. Qvibus facile etiam fuiſſet urbe potiri, ni ſaluti obſeſſis fuiſſet, qvod illi neſcii hujus opportunitatis. Nam conſilii nulla communicatio interceſſerat. Sedato tumultu, qvum de auctore ſolicite inqviſitum eſſet, nec ille inventus, ſex cives ſuſpecti ad ſupplicium, nullius noxæ convicti, rapti ſunt. Atqve haud ſecus Hafniæ in ſuſpectos ſæviebatur. *Janus* qvidam inter oppidanos erat, cubicularius qvondam *Friderici* Regis: Is liberius in *Chriſtiernum* captivum, invectus, apud Comitem tanqvam proditionis vel majeſtatis reus inſimulatur. Crimen patuit, ſed tamen falſi coargui non poterat. Adjectum igitur accuſationi, litteras ad Regem in caſtra perſcripſiſſe. Id vero exitio fuit, civibus volentibus

&

& a Comite desiderantibus, ut hac causa gladio feriretur. An. 1535.
Eorum enim voluntate potius, qvam juris ulla æqvitate, haud dum sceleris convictus, cujus maxime arguebatur, supplicium tulit; haud minimo in seditionibus malo, ita judicio perditorum hominum subjici, ut ne insontibus etiam plerisqve evitare perniciem liceat.

Sed enim, qvia Hafniensibus prorsus destinatum, spe undiqvaqve allata, in obsidione contra Regem durare, nullum audire libuit, qvi contra svaderet. Et confirmabatur eo magis ipsorum pervicacia, qvod haud multo post a Vandalicis commeatus inopia sublevaretur. Circiter diem Martini missæ fuerant Lubecanorum, Rostochianorum, Vismariorum duodeviginti naves, partim bellicæ partim onerariæ, milite, armis & commeatu onustæ, qvæ fretum ingressæ ad Draconiam anchoras fixerant. Earum mox minores jussæ oram legere, si qva ad obsessos possint perrumpere, latiore alveo satis difficulter sub ipsam terram navigarunt. Regiæ naves ex adverso stabant, anchoris ad Selandiam haud procul castris jactis. Ex hisce ubi conspectum est, qvid hostis strueret, visum classis præfecto *Scramio*, scaphas milite & tormentis implere, qvibus remigio impulsis obviam hostibus iretur. Iis expeditis, commissa brevi pugna retroactæ onerariæ, hostium classem ad Draconiam petebant. Sauciatus tamen crure *Scramius*, ut medici opera vulnus obligaretur, ad castra regia perferebatur. Qvod ut hostibus compertum, postridie denuo accessus ad urbem tentatur. In qvos jam appropinqvantes, delata magno impetu primaria Borussi navis, qva *Johannes Priemus* vehebatur, in brevia adacta fundo hæsit. Nec prius dimoveri arenis poterat, utut pluribus ocyus ad auxilium advolantibus, qvam hostis qvid evenerat persentisceret. Itaqve dum nautæ contis trudere, rudentibus trahere conantur, onerariæ hostiles perrumpentes ad urbem subierunt, Rege ex castris inspectante nec prohibere valente. Qvo indignatus, præsentiam *Scramii* magnopere desiderabat, cujus virtute putabat hostibus resisti potuisse. Vicarius *Scramio* deinde delegatus, classi præfectus *Michael Brocbenbu-*

O 3 *sius*,

An. 1535. *sius*, tantisper dum is a vulnere sanaretur, qvi deinceps dignitati restitutus.

Mox autem classis regia, qvum mare instante bruma navigationi non amplius commodum esset, portum Coroneum ad hibernandum ingredi jussa, missis e minoribus aliqvot in alia loca hostibus opportuna. Dehinc ne tormentis nihil ageretur, aliqvot eorum ex navibus avecta sunt, ad oppugnandum castellum in faucibus freti Oritani situm, Coronæburgum modo vocant. Duodecim ea erant majoris generis, qvibus castellum aliqvoties graviter pulsatum. Sed eo nec expugnato nec dedito, dum nova hic obsidio instituitur, & priore Hafniensi parum proficitur, Rex abitum in Holsatiam parat. Qvi interim castris præesse jubet *Ditlevum Brucdorpium*: classis præfectum constituit *Ericum Guldensternium*; curamqve regni mandat *Avoni Billeo*, *Jacobo Ronnovio*, *Magno Goyæo*, & *Erico Crummedigio*, Roschildiæ daturis responsa petentibus, dum ille peregre esset. Erat autem ut in Holsatiam commearet, qvia in vicinia hostes non deerant, & a Belgis etiam regionibus istis metuebatur. Audito autem ibi, Lubecenses in æstatem proximam classem novam summis viribus parare, scribit inde ad gubernatores, Roschildiæ relictos, ut de commeatu nautico provideant; qvem, indicta collatione virium, per totum regnum imperari voluit. Sed gubernatores, re cum *Frisio* communicata, dissvadent, ne exigi plebem annonam jubeat. „Ægre enim argenti imperati partem exsolutam, nedum „ut novum onus plebs sit latura. Qvin metuendum magnopere ne irritatis animis utrumqve onus detrectetur. „Videri igitur differendam hujus consilii promulgationem, „saltim donec de tributo argenteo nihil sit reliqvum. Decimas ecclesiarum ab antistitibus concessas ad commeatum „conferre plurimum posse, & de reliqvis necessariis sibi curæ fore. Indicatum deinde, multum commeatus ex Dania navigio evehi in vicina oppida, Chilonium & Flenopolim, atqve inde Lubecam plaustris vectum distrahi. „Eum suppetere navalibus copiis solere, ut collatione plebis „opus non sit. Jam hostes hoc commodo frui, ut inde tum

„tum suas copias alant, tum insuper obsessis Hafniæ & „Malmogiæ suppeditent. Hoc igitur subsidium hosti eri„piendum, & edicto huic malo occurrendum. In castris „magnam esse penuriam eorum, qvæ ad vestiaria spectant, „ex qvo repressa lixarum avaritia sunt & libidine, certa rebus „venalibus pretia sunt statuta. Igitur fore si denuncietur per „Sliævigiam & Holsatiam, ut convehant mercatores in ca„stra, qvæ vestibus parandis contra vim frigoris necessaria esse „qveant: qvæ libero commercio, nulla pretii lege dicta, di„strahantur.„ Ac inprimis rogatus Rex qvanto ocyus in regnum redire, multis arduis negotiis ita exigentibus. An. 1535.

Sed eum attinuere tamen in Holsatia compluria, qvæ incidere, negotia. *Georgius Lucchius*, eqves Danus, qvi in aula Gallica inter ministros regios tum erat, missus a *Francisco Valesio*, huc ad Regem designatum venit, amicitiam offerens & expetens: „Desiderare Gallum de statu re„rum Danicarum certi aliqvid cognoscere. Cui non igno„tum, qvos modo hostes Dania habeat, eis juris nihil in „regnum qvod sibi vindicent, competere. Nec Imperato„rem Lubecensium conatus favore prosеqventem, hoc age„re, qvod illos aliqva in parte Daniæ hærere velit, sed po„tius ut mutuis bellis vires tum regni tum Lubecensium „atterantur, atqve ita utrisqve regnum ereptum, *Friderico* „Palatino, per conjugium filiæ *Christierni*, destinatum tra„dat. Id Gallo certo indicio compertum, noluisse *Christia„num* celare, cui pro pristina utriusqve regni necessitudine „benigne cupiat. Simulqve indicatum velle, sibi Lubecen„ses Daniæ regnum certis conditionibus obtulisse, sed insi„gni æqvanimitate & modestia eisdem se respondisse, aliena „non affectare; Consecutum beneficio Dei eam ditionem, „qva opes, qva homines, cujus non pœniteat. Ægre Gal„lo esse ita de inclyto Daniæ regno decertari, ut id per ho„stium ludibrium proditionis præmium sit; paratumqve „subvenire, si auxilio opus sit.„

Is ubi in Galliam reversus, retulit gratissimam Regi designato amicitiam Gallicam, venturumqve inprimis lega-

tum,

An. 1535 tum, qvi pluribus de ea ageret, datum negotium *Gulielmo Bellayo Langæo*, Smalcaldiam ad conventum Protestantium eunti, ut qvæcunqve ad eam conciliandam facere possent, summo studio, per Germaniam & qvæcunqve locorum pararet. Missus autem fuerat a Rege designato ad eundem conventum *Melior Rantzovius*, cum *Svavenio*, petitum ut in foederis istius societatem ascisceretur. Ubi qvum adessent *Langæus*, a Gallo, & *Eduardus Foxus*, antistes Herefordensis, cum *Roberto Barns*, ab Anglo missi legati, cum utrisqve, auctoritate Principum, sine mandato Regis designati, prolixe *Rantzovius* egit. Cum *Langæo*, amplissima ab amicitia Gallica spondente, pactum est, ut ad certum diem Lunæburgum conveniretur, cum potestate æqvis conditionibus inter utrumqve Regem foedus firmandi. Angli ignaros se ferebant belli, qvod cum Lubecensibus erat, cujus causas, initia & progressus idcirco *Rantzovius*, ne suspecto ob regii ministerii obligationem fides derogaretur, a Principibus & civitatum legatis reddi & memorari voluit: ratus fore, ut æqviorem deinceps se Anglus præberet. Qvi ab iis edocti ore & scriptis prolixe de hoc negotio, rogatu Principum promiserunt, luculenter super omnibus ad Regem perscripturos. Ac vicissim legati a *Christiano* mittendi spem *Rantzovius* facit, qvi ipsi satisfaceret.

Sed vixdum redierat Smalcaldia *Rantzovius*, optato renuncians, qvod nemine adversante foederis Smalcaldici societas Regi pateat, atqve ascitum iri, qvum ejus novandi tempus veniret, aliaqve, qvæ cum legatis Gallico & Anglico intercesserant, referens, qvum Anglus præoccuparat legatos suos in Daniam mittere. Erant *Bonnerus* & *Candisius*, qvi Varbergam primum ad *Marcum Majerum* appulere, ibi commorati tantisper, dum litteris de fide publica caveretur. Etenim jure legatorum freti, sine commeatu regnum ingredi, cujus se hostem hucusqve Anglus professus fuerat, extimescebant. Litteris publicæ fidei per absentiam Regis designati a *Brucdorpio* & *Guldensternio*, qvi castris & classi præerant, missis, confestim in Daniam *Candisius* venit. Atqve inde ad *Christianum* in Holsatiam deducitur, reliqvis alio pro-

profectis. Qvem in castello Bredenbergensi assecutus, hortatur Angli verbis, "ut patiatur controversiam cum Lubecensibus intercedentem ad arbitros devolvi, qvi causas „belli disceptent, & æqvas utriqve parti pacis conditiones „ferant. Velle Anglum, si Rex id gratum habeat, publico „bono cum aliis eam operam suscipere, atqve officium „suum Regi probare. Rogare præterea naves detentas velit relaxare, qvandoqvidem a navigantibus nihil delictum „sit, & Anglus inimicitiarum aut offensæ argui neqveat. Ad qvæ postulata modo soli *Candisio*, deinceps vero utriqve simul legato Anglico, Hamburgi in eandem sententiam responsum: „Pati Regem designatum posse qvemvis æqvum „arbitrum, neqve unqvam judicio Principum, qvos recte „facta a probris incorrupta & sincera cognitione discernere „spes esset, se subtraxisse. Naves Anglicas, ut stipendio „contra hostes militent, non ut ademtæ justis dominis „Regi vindicentur, detentas fuisse. Id jus antiqvum regni „permittere, absqve qvo esset, vix navigationem tutam ulli „genti, præsertim hoc tempore, præstari posse, Lubecensibus „omnes, ex qvibus lucrum capere possint, promiscue loco „hostium habentibus. Simul ac vero regno pax restituatur, „nihil causæ dicturum, qvin soluto stipendio & redditis mercibus eæ missæ fiant.„ Sed tametsi Anglus de pace apud Regem designatum ageret, tamen Scoto eam svadenti superbe responsum, "Lubecenses sui honoris ac dignitatis „semper fuisse studiosos, ideo deseri non posse. Daniæ regnum nunqvam se affectasse, sed voluisse saltim a sociis „Lubecensibus injurias Danorum hactenus propulsare: Jam „vero qvum videat utrosqve belli pertæsos, hoc agere, ut „ad pacem veniatur.„ Qvæ *Alexander Morus*, a Scoto missus legatus, retulit; allata insuper Scoti excusatione, qvod ad Lubecenses non misisset. Eo hoc omissum, qvia post „victoriam Fionicam, terra mariqve debellatum esse fama „vulgarat; itaqve operæ pretium ad eos mitti non existimasse. Promissa tamen a Scoto abunde auxilia, si Rex posthac opis egeret. An. 1535.

Cum novo anno nova Regi fortuna illuxit. Castellum An. 1536.

P

An. 1536. lum regni primarium, qvod in faucibus freti Oritani situm (Coronæburgum modo dicitur) deditione *Henrici Brantuni* in Regis designati potestatem venit. Id oppugnatum incessanter a *Rantzovio*, tutatus *Brantunus* fuerat, dum vires siverant, & fortiter oppugnantes depulerat. Sed fatiscente postremum milite assiduo labore, qvum reqviem non darent obsidentes, & deficiente commeatu, tandem huc animum flexit. Milites, qvi in præsidio fuerant, cum singulis armis dimissi, cum pacto, ne contra Regem designatum trimestri spacio cujuscunqve tandem stipendio militarent. Captivi utrinqve sine pretio relaxati, extra profugos & scelerum reos, qvos exhiberi sibi regii voluerunt. Machinas bellicas & tormenta, cum pulvere nitrato, simulqve bona civium invecta in castellum, jussi relinqvere. Hæc omnia ex fide bona fierent, ne ignis clam occultaretur, qvi, iis digressis, incendium suscitaret.

Castello Oritano præsidiis munito, tormenta inde avecta ad oppugnandum castellum Callunburgicum. Auctus ad ejus oppugnationem militum numerus, missis eo cum duobus vexillis peditum *Volfgango Creutzero* & *Meliore Svigio*. Oppugnatio crebro facta, non terruit obsessos, donec spe auxilii confirmarentur ab *Hermanno Longo*, qvi præsidio præerat. Suppetebat aliqvatenus commeatus ex iis, qvæ navigio advehebantur. Qvum vero mare glacie sterneretur, nec amplius ulla navigatio esset, tum vero alimentorum defectu coactus *Longus*, arcem se tradere paratum ostendit. Sed soli *Magno Goyæo* fides habita, ut ei se committeret Regis nomine. Mox alia castella vi expugnata, alia horum duorum munitissimorum exemplum dedendo se secuta sunt. Alaholmiam Lalandiæ *Laurentius Cnobius* armis cepit, qvod castellum Reginæ viduæ restitutum, cui ad vitam concessum. *Scaco Rantzovius* Nicopianum castellum deditione accepit, & postea alia, qvæ passim hostis tenebat, recuperata,

Hæc prosperitas Regis Megalopolitano & Oldenburgico, Hafniæ inclusis, metum attulit. Et deficiebat paulatim

tim commeatus, nec ex Belgio expectatum auxilium advehebatur. Itaqve metuebant alterutrum, aut bellum fuga turpiter deserendum, aut cum dedecore veniam petendam, qvæ si negaretur, nihil supeesse, nisi ut in manus Regis venirent. Qvem tot injuriis affectum minus futurum exorabilem, nondum ejus clementiam experti formidabant. Qvapropter ut haberent, qvo pignore se redimerent, si necesse esset, nobiles captivos, qvi Malmogiæ servabantur, repetitum mittunt. Ii advecti Hafniam, in longinqvam captivitatem hiberna navigatione feruntur. Erat Megalopolitano castellum in sua ditione Plavium, qvo missi in custodiam dantur; aliiqve alio ab Oldenburgico translati. An. 1536.

Hæc dum in Dania geruntur, Rex designatus in Holsatia amicitiæ cum Bremensi Metropolitano conciliandæ operam dat. Steterat is a *Christierno* captivo, qvem restitutum enixe cupiebat; qvod promiserat, si ad regnum rediret, diœcesim Roschildensem cum omnibus reditibus Bremensi se concessurum. Sed is promissa impleri ab Senatu petens, repulsam reportaverat, judicante contra regni jura esse, extraneum præcipuo beneficio ecclesiæ Danicæ gaudere. Inde igitur inimicitiæ ortæ, nondum sublatæ fuere: qvæ si alienissimo hoc tempore in bellum erupissent, ex vicinia hostis magno ditiones hereditarias detrimento afficere potuisset. Sed *Henricus* Brunsvigæ Dux, Metropolitano sangvinis propinqvitate junctus, & a Regis commodis haud aversus, mature se interposuit. Ejus desiderio missi utriusqve Bustehudam legati, iis legibus fœdus fecerunt, ut, „inimicitiis in universum sublatis, fida pax & sincera benevolentia esset, secundum decreta Imperii. Sed controversia de diœcesi Roschildensi devolveretur ad arbitrium „*Henrici* Ducis Brunsvicensis, & *Philippi* Landgravii Hassici, usqve dum Hafnia capta sit. Interim Metropolitanus „non toleraret in suis ditionibus, qvi Regi malum struerent, neve transitum hostibus permitteret, qvin detineret „potius, & impediret, qvovis modo. Rex vicissim, si qvis „vindicare captivitatem *Georgii Textoris* conaretur, auxilio „Metropolitano veniret, & contra qvoscunqve hostes alter

 alte-

An. 1536. „alteri ſuppetias ferret; ſalva Imperatoris obedientia, ex„ceptaqve religionis cauſa.„ Atqve id de *Textore* cautum, qvia eum captum extremo ſupplicio *Bremenſis* affecerat, Rege haud adverſante.

Jam Lubecani etiam pertæſi belli, pacis ſtudium ſerio in animo defixerant. Idqve eo magis, qvod reſtituti reipublicæ priſtini magiſtratus, nullam juſtam cauſam eſſe belli, qvod gerebant, monitu & caſtigatione Principum qvorundam intelligerent. Nec Rex a pace abhorrebat, Dei cultum & religionis emendationem, qvam ſibi toto animo propoſuerat, haud aliter felici ſucceſſu propagatum iri cernens. Convenerunt pacis arbitri inter partes acturi Hamburgum, qvo viciniæ Rex etiam acceſſit, ut præſtolaretur rei eventum in cœnobio Uterſino. Erant autem qvi ſe pacificatores obtulerant, Saxoniæ Elector *Johannes Fridericus*, a qvo legati miſſi *Arnatus Vildenfeldius* Baro, *Evabardus Dama*, *Melior Cretzenus*: tum *Erneſtus* Brunſvigiæ & Lunæburgi Dux, qvi ipſe præſto erat: Nec non *Philippus* Landgravius Haſſiæ, cujus erant legati *Hermannus Malsburgius* Mareſchallus, *Johannes Frygius* Cancellarius; Præterea respublica Bremenſis, unde miſſi Conſules, *Martinus Hamburgius*, *Theodoricus Hoyerus*: Respublica Hamburgenſis, cujus intererant Conſules, *Paulus Grotenus*, *Albertus Veſteus*, *Johannes Hulpius*: Respublica Magdeburgenſis, qvæ miſit *Levinum Emelenſem* IC: Respublica Brunopolitana, a qva *Franciscus Callius*, *Johannes Simonius* Conſules venere: Respublica Lunæburgenſis, cujus erant Conſules *Hieronymus Vitzendorpius*, & *Henricus Garlevius*: Reipublicæ Hildeſemenſis Conſul *Johannes Vildenſeverus*. In diſceptando de pace difficile erat de conditionibus convenire. Hafnienſes & Malmogiani, qvi ex ſuis etiam eo miſerant, inſtabant, ut *Chriſtiernus* relaxaretur, nulla alia lege ad pacem inclinati. Multa qvoqve Lubecenſes pro ſe ſociisqve flagitabant. Tandem vero pacificatores, qvum ſe diu multumqve fatigaſſent, ſtudio pacis, obtinuere, ut in fœdus ſit aſſenſum: „Qvo inprimis data venia omnium delictorum Lubecenſi„bus & ſociis, præſertim Magiſtro ordinis Livonici & Ditmar-

„ marfis: Qvorum his etiam privilegia ac jura priftina, abo- An.
„ litis novis oneribus, indulta ac fervata. Reliqvi Lubecen- 1536.
„ fium focii cum conditione fœdere comprehenfi. Megalopolitanus & Oldenburgicus ea lege in gratiam recepti, fi
„ reftitutis qvæ per vim occuparant, regno excedant. Roftochienfibus ac Vismarianis conceffum tempus deliberandi ad feptimanas fex, Sundenfibus ad qvinqve, an velint
„ fœdere includi: qvibus pacem afpernantibus, jura & immunitates in Dania non manerent. Hafnienfibus ac
„ Malmogianis pariter condonatum, modo fe in poteftatem
„ Regis fubmiffe dedant. Sed horum qvibus regno migrare,
„ & domicilium fortunarum alibi collocare libitum, qvadriennii fpatium iis liberum factum. Eo tempore elapfo
„ migrandi qvidem poteftas conceffa, fed ad leges regni ita
„ reducta, ut nulli noxæ belli focietas fit futura. Ac viciffim
Rex a Lubecanis ftipulatus, "ne in regni fui poffeffione unqvam turbetur aut inqvietetur, fed ut Regem Daniæ &
„ Norvegiæ omni cultu & obfervantia agnofcant. Nec hoftibus auxilia deinceps fubmittant, aut ex fuis ditionibus
„ importari finant; fed ubicunqve hoftes regii deprehenfi,
„ petentibus regiis miniftris, detineantur. Qvod fi Megalopolitanus & Oldenburgicus pacem abnuant, copias fuas,
„ qvacunqve regni parte militantes, domum propere Lubecani revocent, exauctoraturi a ftipendio fuo, fi parere recufent. Sveco & Boruffo, fociis regiis, ita confultum, ne
„ qva hujus belli caufa ipforum fubjecti ab Lubecenfibus læderentur. Veruntamen actiones, qvæ heredibus Comitis
„ Hoyenfis & *Bernardo Mileno* contra Svecum competunt,
„ abolitæ non fint, fed *Chriftiano* arbitro difceptandæ. Qvem
„ fi Svecus arbitrum recufet, aut fi arbitrio non pareat, contra Lubecenfes jus armis perfeqventes auxilium a *Chriftiano* haud præftandum. Utrinqve autem convenit, tum ut
„ jura & immunitates, a prioribus Regibus *Johanne*, *Chriftierno* & *Friderico* indulta Lubecenfibus, ferventur; tum
„ ut ii onera confveta in utroqve regno & ditione hereditaria folvere haud detrectent. Deinde, ut qvæ privatorum
„ falva funt, veris dominis reftituantur: atqve itidem exercitus, naves, tormenta aliaqve qvæ etiamnum Lubecano-

 rum

An. 1536. „rum ſunt, nec in poteſtatem Regis venere, libere avehantur. Naves autem, tormenta, & qvæ alia regni fuere, „bona fide relinqvantur. Belli ſumtus & impendia neutra „in parte imputentur; ſed eorum compenſatio utrinqve „fiat, ut nulla amplius actio de damnis & acceptis injuriis „competat. Qvæ vero utrinqve a ſubditis legitime debentur, ea judicio perſeqvi fas ſit; qvibus jus recte adminiſtretur. Captivi utrinqve liberi ita ſine pretio dimittantur, ut qvod ejus pacti reliqvum uspiam eſt, ſolutio poſthac non exigatur. De *Chriſtierni* captivi liberatione, pace compoſita, arbitrio Electoris Saxoniæ, *Erneſti* Lunæburgenſis, Landgravii, & Civitatum, aliqvid ex æqvo & „bono ſtatuatur. Atqve hoc fœdus, cum Lubecenſibus, & ſociis id acceptantibus, ictum, ita ſancitum, & „firmatum, ut eo aliqva in parte violato, non tamen ad „bellum proſiliatur; ſed qvæcunqve emergant controverſiæ delectis utrinqve arbitris diſceptentur.„

Concepta ſcripto hæc fœderis formula, qvum, rogatu *Erneſti* Lunæburgenſis & legatorum, Rex Hamburgum adiiſſet, ibi utrinqve obſignatur, unaqve litteræ de Borinia inſula. Rex etiam utrumqve ratum gratumqve habiturum Senatum regni ſpopondit. Sed fœdus qvidem poſtea acceptum. Intererant his omnibus legati a Sveco miſſi, nec non Anglici legati. Qvibuscum a Lubecenſibus tamen nihil communicatum; ſed tum demum patefactum conſilium, qvando de pace transactum. Nec vero fœderis formula petentibus Anglis exhibita; ita eos ignaros omnium eſſe voluerunt. Qvamvis pleraqve fœderis in vulgus mox emanarunt, & ad *Marcum Mayerum* ab eis perſcripta ſunt, cum graviſſima contra Lubecenſes qverela & ingratitudinis exprobratione.

Soluto autem conventu Hamburgenſi, ut promiſſis ſatisfieret, miſſus a Lubecanis *Bernardus Milenus* in Daniam, nunciatum Megalopolitano & Oldenburgico, qvid cum Rege deſignato actum: „Fœdus cum Rege initum „æqvis & honeſtis conditionibus; Ipſos eodem incluſos eſſe

„ eſſe, modo dulce pacis bonum complecti velint. Svadere „ Lubecenſes, ne ſe in extrema pericula vitæ fortunarum- „ qve projiciant, & læſa Regis clementia, exitum deditionis „ vel expugnationis expectare velint; ſed ultimam neceſſi- „ tatem deditione antevertant. Obſeſſos ſemper eam „ tolerabilioribus conditionibus facere, qvum petitur, „ qvam qvum coacti offerunt. Pacis optionem ne qvidem „ proſpere agentibus ſpernendam; nedum ut ii afflicti, & „ omni ope fere deſtituti pervicaces ſe præbeant. Ex Bel- „ gio fruſtra tam diu expectari auxilium, Imperatore milite „ egente, tum bello Africano, tum Friſiaco & Geldrico. „ Palatino in mediterraneis Germaniæ degenti tam longin- „ qvam expeditionem haud in facili eſſe, ut maxime opes „ ſuppetant. Qvi ſeu navigio in Daniam copias transmit- „ tere velit, ægre impetraturum a Belgis naves, & potiſſi- „ mum tantum commeatus, cujus ipſi indigi. Sin terra du- „ cere malit, tot provincias & ditiones, tot fluvios, tot „ montes permeare neceſſe eſſe, ut feſſas copias, bello fere „ inutiles, ſit adducturus. Ne cogitent igitur ſibi promp- „ tum fore evadere, qvum ita libitum. Claſſem regiam in „ portu ſtare, contra qvam parem comparari, qvæ eam ar- „ ceat, non eſſe ſuæ poteſtatis. Lubecenſes jam exhauſtos, „ & belli ſumptibus fatigatos, ſibi conſulere neceſſe habuiſſe. „ Ipſorum etiam habitam rationem, & impetrata qvæ æqva „ videri poſſint, modo huc deſcendant. Clementiam Re- „ gis magnam eſſe, ſi eam experiri velint, non provocare „ ſeveritatem. Sin malint bellum continuare, coactos Lu- „ becenſes ſocietati renunciare. An. 1536.

Illi oratione *Mileni*, & ſeparatione Lubecenſium nihil moti, pacem repudiant: "fruſtra enim ſibi periiſſe la- "bores & pericula, ſi jam deſiſterent. Parum convenire "tam celſo loco natis, fiduciam ex armis ſumptam temere "animo abjicere. Appetere vernum tempus, qvo naviga- "tio & auxilii importatio opportunior ſit. Haud in animum "inducere, ut Palatinus ſit ceſſaturus, cui regnum Cæſar "velit tradi. Et ut ille hanc curam difficultate deterritus "minus ſerio animo dimittat, Anglum tantam ad impe- rium

An. 1536. "rium ſuum acceſſionem haud aſpernaturum. Si nullum "horum ſit, tamen ante extremas anguſtias ſe dedere, pa-"rum decorum. Principibus viris ſpem ex Lubecenſium "animis aptam habere, in magno probro futurum. Non "ſe regno etiam indignos, & pro eo, dum vita ſinat, pu-"gnaturos." *Milenus*, tentatis ſemel atqve iterum eorum animis monendo & obteſtando, ubi ſenſit ſe nihil proficere, milites Lubecenſium in unum vocatos, ſacramento ſolvit & dimiſit: ſtipendiumqve abhinc nullum ipſis expectandum a Lubecenſibus, indicavit. Eo jam urbi excedere ipſis in animo; ſed Megalopolitanus & Oldenburgicus actum de ſe fore cernentes, ſi a militibus desererentur, de ſuo ſtipendium promiſerunt, & magiſtratus urbani ſimul a civibus pecuniam ſpoponderunt. Aderat tum in urbe *Leonhardus Furaccius*, a *Maria* Belgii Gubernatrice miſſus, qvi in maximam tum hos tum illos auxilii ſpem promiſſis erexit: „Affuturos a Cæſare milites & præſidii abunde cum inſtru-„cta claſſe ex Hollandia. Ea Palatinum ipſum acceſſurum, „ad qvem regni jus per matrimonium ſit devolutum. Si „qvid de ſtipendio reliqvum deberetur, ſe cavere paratum „a Burgundis omnia ſolutum iri. Urbem ſaltem Cæſari & „Palatino ſervarent; ſe fidem promiſſorum ſervaturum.„ Sed ægre militibus pars aliqvota ſtipendii a civibus Hafnienſibus ſoluta, & reliqvus conatus irritus fuit, uti loco memorabimus.

Ita Lubecenſes, qvia obtineri non poterat, ut urbs a Megalopolitano & Oldenburgico dederetur, eos deſeruere. Sundenſes mox ultro in fœderis conditiones conſenſere, participes idcirco pacis facti. Sed Roſtochienſibus & Viſmarianis, qvia Megalopolitanum dominum aliqvo jure agnoſcunt, repudiata pace, bellum continuare neceſſe fuit, haud dubie pacem præoptaturis, ſi res eorum arbitrio ſtetiſſet. A qvibus confeſtim de auxilio obſeſſis ſubmittendo deliberatum. Rex haud dubius id futurum, præmonuerat, qvos in regno rebus gubernandis præfecerat, ut ei rei curam intenderent. Inter qvos Amirallius mandatum a Rege per *Jvarum Crabbam* & *Ulricum Pentzium* accepit, claſſem por-

portu Coroneo educere, ne ad obsessos qvisqvam deinceps adnavigaret. An. 1536.

Sed dum classis regia instruitur, navis qvædam hostilis, pannis & commeatu onusta, cursum Hafniam tendens, accedit. Qvæ haud procul urbe erat, qvum glacie detenta, cursum sistere cogitur, & vela laxare. Ibi non segnis labor nautarum, ut navis ad urbem penetraret, glaciem rumpentium, contis impellentium & trahentium funibus. Et advolarunt ocyus ex urbe passim milites & inermes complures, ea visa, ut periclitantem eximerent. Sed glacie spissiore, frustra se fatigarunt & impediuntur mox ab regiis, ex castris qvid id rei esset conspicantibus. Qvorum complures mox permissu ducum huc properant, indigi & ipsi commeatus. Commissa est super glacie infido solo pugna, iis laborantibus ne advecta eriperentur, hisce nitentibus, ut prædam auferrent. Prævalentibus regiis, hostes fugati in urbem redeunt, & prædam in regiorum manibus relinqvunt: qvæ partim in castra asportata, partim, qvæ devehi non poterat, corrupta.

Mox comperta hostium audacia, qvi ne hyemis qvidem atrociori rigore abstinuere a subvehendo commeatu, Amirallius classem portu educere parat. Sed & illa parte fretum glacie vinctum horrebat, continuato aliqvot mensium gelu. Itaqve cum velis evadere classis non posset, præmissi, qvi glacie confracta, navibus remulco trahendis & qvacunqve vi inpellendis, meatum patefacerent. Naves aliqvo actæ, improbo labore nautis conflictantibus, sed ad longius spacium fretum glacie constratum erat, qvam ut tam vastæ moles educere vi potuerint. Et mox ventus tractu nubium validus exortus, qvando crusta ruptæ glaciei, tanto impetu in naves illisit, ut soluta compage tabularum pleræqve rimas duxerint, & corrumperentur. *Ulricus Peitzius*, qvi una cum Amirallio vehebatur, frigoris tanti insolens, in paucis diebus apud ipsum exspirat. Qvum ergo frustra iste conatus esset sumtus, in portum remeare ad vitandum majus periculum Amirallio visum. Sed haud minor labor regredi volentes excepit, qvam egredientibus incubuerat, ut

An. 1536. tandem vix, nautis & militibus fregore tabeſcentibus, & labore fere exhauſtis, naves in portum ſint reductæ. Ita concreto frigore mari, non minus regiis qvam hoſtibus navigatio ceſſabat. Tandem apparente vere, qvum tepore appropinqvantis ſolis, & jugibus pluviis ſoluta glacies, claſſis regia refecta e portu ſolvit, & oram Germaniæ, qvam hoſtes accolunt, adnavigavit. Jam freqventes hinc inde egreſſæ naves, mari vela faciebant, partim ſponte commeatum advehentes, ut ex caritate rerum lucrum ab obſeſſis captarent, partim ex lege ſocietatis a civitatibus miſſæ. Hæ omnes aliis atqve aliis temporibus in claſſem regiam inciderunt, a qva captæ in univerſum ſedecim numero. Ex qvibus, dictu ridiculum, una vehebat Megalopolitano canes venaticos, qvibus in vicina inſula Amagriana lepores ſectando ſe oblectaret. Magna enimvero animi & conſilii levitate, ut, qvi ſui non ſatis ſecurus eſſet, in tam arcta obſidione, voluptatum ſvetas illecebras, ſalutis neglectu, perſeqvi non formidarit. Claſſis regia hac præda potita, & commeatu abunde in aliqvot menſes aucta, qvum non offerrent ſe plures, qvi eo navigarent, & ut poſſet, ſiqvi id tentarent, commodius prohibere, in fretum regreſſa, ibi ad deditionem urbis in anchoris ſtabat.

Ceterum bello jam ad finem vergente, qvum maxime auxilii Rex deſignatus egeret, *Goſtavus* iratus cauſa fœderis Hamburgenſis, copias & navales & terreſtres ex Dania revocavit. Nam tametſi pridem indicatum ipſi de conventu, miſſiqve fuerant legati eo ituri; tamen irrita tum legatio. Jam non præmonitus erat, qvod Rege deſignato in Holſatia agente denuo cœptum hoc negotium. Nec contentus, qvod ipſi in fœdere cautum, uti per nuncium Rex deſignatus oſtendit, indignabatur, abſqve ſuo conſenſu, qvi ſocium ſe tam fidum præſtiterat, pacem initam. Ideoqve a ſociecietate, qvam per Regem ruptam interpretabatur, diſcedere voluit. Itaqve ut ei ſatisfieret, legatos *Oligerum Ulſtandium* & *Accium Brabeum* mittere neceſſe fuit. Illi adferentes, qvæ excuſando Regi deſignato eſſent, luculenter de ratione ac modo initi fœderis diſſeruere: "pacificatores ita inſti-

„ ſtitiſſe, urgendo negotium; ut tempus præmonendi ade- An.
„ merint; Ipſis enim de diſceſſu cogitaſſe, moræ pertæ- 1536.
„ ſos, qvos tam longe diſſitos difficile fuerit iterum congre-
„ gari. Non potuiſſe Regem ſumtus belli tolerare, ſi qva
„ commoda ratione minui poſſent; ita iis exhauſtum.
„ *Goſtavum*, ſi eo loco fuiſſet, haud dubie idem facturum
„ fuiſſe. Nunqvi tale nihil expertus ſit, aliter ſentire. Pe-
„ tiiſſe Regem ſociis, atqve ipſo item *Goſtavo*, amplius
„ auxilium, ſed id negatum. Fœdus hoc, qvod jam ini-
„ tum, fraudi einon eſſe; cujus participem eſſe liceret, ſi vel-
„ let una comprehendi. Sin mallet cauſam contra Lube-
„ cenſes jure diſceptari, ſe arbitro, qvod melius æqviusqve
„ conſecuturum„ His aliisqve *Goſtavus* recte a legatis de fœdere edoctus iram remiſit, copiisqve ad belli finem manere juſſis, qvum Regi deſignato commodum eſſet, ajebat affuturos, qvi cuſam contra Lubecanos agerent.

Lætus hoc per legatos reſponſo allato Rex; mox in caſtra reverſus, nuncium haud minus gratum a Malmogianis accipit. *Gergius Coccius*, animadvertens proſpera omnia Regi eſſe, eiqve accedere indies alia atqve alia caſtella & oppida regni, deſciſcere autem ſocios, qvi id bellum captitarant, Belgasqv lentos ad auxilium dubiam ſpem relinqvere, caſuum humanorum haud improvidus, & ſui periculi cautus, qvomodo civitati conſuleret, diſpicere cœpit. Inprimis igitur per *Thomam Sturium* Holſatum, qvem ex nobilibus captivis Malmogiani ſolum ſibi retinuerant, Regis alloqvium petit. Data igitur fide publica, liberum ei acceſſum redituqve fore, in caſtra ad Regem venit. Cui ſupplex factus, excuſata defectione, veniam commiſſorum demiſſe precatur: „ Deſciviſſe ſe aliosqve a ſenatu, non qvod
„ Regem nollent, qvem maxime deſignari deſideraſſent; ſed
„ religionis reformatæ ſtudio, cujus tuendæ plebs eſſet cupi-
„ diſſima. Eam tum hoſtes antiſtites opprimere voluiſſe,
„ qvi & maxime Regiæ electioni ſint adverſati. Eo ſocie-
„ tatem cum Lubecenſibus initam, ne lux evangelii & ſanæ
„ doctrinæ extingueretur. Nec exiſtimare, antiſtites ſatis
„ æqvo adhuc in religionem eſſe animo, ut inde prudenter

An. 1536. „Rex judicare debeat, qvid sibi de iis polliceri qveat. Nam „qvod tandem in ejus electionem consenserit, videri fecisse „partim coactos a Senatu & Nobilitate, prtim qvod res „tum ita ferret, nullo alio Principe valent eos asserere a „periculo. Si pax aliqvando restituatur, haud cessaturos, „qvin pro dignitate acerrime dimicent. Svdere igitur, in-„eat aliqvam consilii rationem, qva eos in ordinem redigat, „aut prorsus totum eum statum invertat. Bona eorum in „fiscum redigendo majorem in modum psse Regem lo-„cupletari, ut oneribus belli, aliisqve feredis esse possit. „Plebi gravem admodum esse monachorun circumcursi-„tantium mendicitatem, cui nihil charius orum abolitio-„ne futurum. Si necesse fit prius bellun componi, & „pacem regno restitui, se ad eam rem operm suam offerre. „Sperare Malmogianos in sua potestate futros, & persva-„deri haud difficulter Hafniensibus posse pcis petitionem, „qvi ad extrema fere redacti sint.„ Huic orationi callide adjecit, qvibus fidem verbis suis faceret: nam secretiora qvæqve Comitis consilia prodidit, ex qvibu multa utiliter ad reliqva belli conficienda Rex edocebatur Qvo propensior ad gratiam consuli tribuendam, ejus indicio multorum periculorum securus, factus, gratumqve amodum habens, qvod plebejis probari ex ejus verbis intellexerat, qvæ jam pridem in antistites meditabatur.

Tum impetrata venia, *Coccius* ad Mamogianos revertitur. Res initio cum paucis communicaa, iisqve saltim, qvos aut defectionis consiliis sibi obnoxios ecerat, aut propinqvitate & beneficiis sibi devinxerat. Qvibus probantibus consilia, pactus silentii fidem reliqva aggreditur. Ostendit sibi in animo esse, Hafnienses, omniumetiamnum ignaros, adire, si qva possit eis pacem persvadere. Interim per suam absentiam jubet eos cum plebe agerede urbis deditione, qva sciscente & jubente mitterent ad Regem, qvi veniam rogarent, & super aliis conditionibus transigerent. Ac edocet deinde singula, qvæ a Rege peti vellet. Sperare precibus eorum animum Regium inclinatum, exorabilem fore. Omnia saltim prudenter & tacite geri monet, ne se auctore

hoc

hoc conſilii cœptum, ad Hafnienſes emanet. Cum Malmogianis re ita compoſita, ipſe Hafniam navigio petit, ubi mox, majore qvam ſperarat difficultate, excipitur: Averſum enim prorſus utriusqve, Megalopolitani & Oldenburgici, animum a pace ſenſit, & cives ipſi obdurati in rebellione, ſurdas ad ſana conſilia aures præbuere. Nec pericula memorantem, nec ampla a Rege promittentem, qvantum qvidem utrumqve tuto poſſet, qvisqvam audiit; ita in auxilio Belgico confiſi ſpem firmarant. An. 1536.

Interim vero illo Hafniæ conſulto moram trahente, tanqvam hac cura attineretur, Malmogiani ſuos Halſinoram ad Regem cum mandatis ablegant. *Jacobus Nicolaïus* & *Johannes Fœonius*, nec non ſenatorum qvidam ii erant, primarii poſt *Coccium* in urbe viri. Rex intimis conſiliis *Magnum Goyæum*, *Meliorem Rantzovium*, *Johannem Friſium*, ad Malmogianos primum audiendos, adhibet. Mox ut utrinqve in unum coierunt, Malmogiani qva cauſa veniſſent, indicant: "Paratos dedere Regi urbem, modo de„fectionis & reliqvorum, qvæ plebs furens erga proceres ac „nobilitatem commiſiſſet, gratiam faceret: Eam igitur ut „clementer indulgeat, ex animo omnium nomine precari. Regii in bona ſpe eſſe jubent, modo de reliqvis conveniat: Regem ea clementia eſſe, ut malit noxios, ad ſanam mentem pœnitentia præteritorum revertentes, ſervari, qvam ſangvine fuſo regni ſui auſpicia dedicare. Tum Malmogiani in ſpem erecti, qvæ promitti ſibi plebs a Rege vellet, demiſſe oratione exſeqvuntur: „Religionis reformatæ mi„niſterium publice per templa uſurpare, & profiteri, ut cui„vis ſine fraude ſit. Jura, privilegia, & immunitates, qvæ„cunqve antiqvitus indulta, ut per omnia illibata & inte„gra civitate ſerventur. Arcem, civium libertati gravem, „ne in urbe inſtaurare fas ſit, absqve qva in fide Regia ſin„cere conſtantes futuros.„ Facile in veniam delictorum & reliqva aſſenſum: de arce aliqva diſceptatio tenuit, urgentibus proceribus ejus inſtaurationem, qvod urbis haud alias ſecurus Rex videri qveat, facili & promta civium rebellione, ſi qva fortunam ex inſperato variare contingeret. Sed legati

 civi-

An. 1536. civium plebis mandatis se ita astrictos respondent, ut ejus injussu instaurationem arcis postulatam spondere neqveant. Petere igitur tempus tantisper dari, qvo ad plebem de eo referre possit. Si ea non refragetur, propediemredituros, ut pace confecta, diem deditionis renuncient. Sed metuebatur plebis insolentia, cujus in lubrico nullaqve certa ratione innixa consilia levi motu ad pejora & turbulentiora flectuntur. Itaqve Rex, ne re infecta discederetur, in præsentia postulata omnia indulsit, ratus opportuniore post tempore commodius obtineri a civibus posse, ne arcis ædificationi adversarentur: & modo recuperari Hafniam, nisi dedita prius Malmogia, longe difficillimum fore cernebat. Litteris igitur super pacis conditionibus confectis, Malmogiani mox claves urbis tradunt. Haud multo post, eis domum cum gaudio reversis, Rex conseqvutus, Malmogiam A. D. III. Idus Aprilis optato ingreditur, ducens secum eqvites saltim ducentos, cum vexillo peditum. Ibi sacramento solenniter a civibus præstito, iisqve in fidem acceptis, inimicitias omnes cum nobilitate per belli tempus componit. Mox itinere Londia capto, in castra propere regreditur.

Georgius Coccius interim Hafniæ, de deditione urbis laborans, ita se gerit, tanqvam horum omnium inscius esset. Allato demum nuncio, se indignari simulat, ausos hoc cives per suam absentiam. Iturum visum, qvi hoc actum sit, & de cunctis Comitem certiorem facturum, ut e re nata consilium capere possit. Reversus Malmogiam, omnia intelligit confecta uti convenerat. Et jam liberata erat urbs obsidione, dimissis prorsus militibus. Inter qvos copiæ Sveticæ eo ipso die, qvo Rex urbem adiit, missionem petiere. Nec multa rogans & obtestans, eas retinere potuit. Paulo post & classis Svetica, pariter vento secundo spirante, abnavigavit, ita ut suis ipse viribus Rex belli reliqva perseqvi necesse haberet.

Oldenburgicus neqve hac Malmogianorum defectione, nec sociarum civitatum desertione, animum despondit. Respectarat jampridem, renunciata a Lubecensibus societa-

te,

te, Burgundica auxilia. Ambire clam cœperat nuptias *Christinæ*, filiæ *Christierni* captivi, qvam *Franciscus Sfortia* Mediolanensis in flore juventæ viduam moriens reliqverat. Qvæ opibus amplis a marito relictis ditata, in Belgium jam redierat. Illa in matrimonium data, auxilium obsessis latum iri expectabat: Ipse vicissim majora viribus a se pollicitus. Nam non solum commercia Belgis permissa, immuni navigatione, libera per mare Danicum fore, ut ad opes augendas & firmandas nil magis sint desideraturi: sed & se totumqve regnum in potestate Imperatoris futurum. Cives Hafnienses & Malmogiani, adjunctis suis litteris, pariter & ipsi, una cum Comite, Burgundis se commendarant, auxiliaqve rogarant. Sed *Maria* conjugii spem silentio eludit, spreta Oldenburgici vilitate præ familiæ Burgundicæ splendore. De auxilio amplissima respondens promiserat, qvæ propediem missura. „Ii modo exigui temporis mora elan„gvescere vires ne sinerent. Tam longinqvam enim expe„ditionem apparatu majore constare, qvam ut paucis die„bus adduci copiæ idoneæ ad ferendum auxilium qveant, Qvod responsum ipsis votorum desiderio gratum, sed rei inane & vanum erat. Nam promissa bono Palatino, non Oldenburgico, fore destinabantur. An. 1536

Nec multo post Palatinus ipse ex Germania superiore copias Rheno vectas in Belgium adducit. *Maria* etiam militem collegerat, ac parabatur classis, qvi exercitum in Daniam portaret. Sed qvum ex Belgis multi bellum svaderent, Palatini opes auctas volentes, tum, ut qvisqve maxime cordatus & rerum peritus, male de hoc incepto ominabantur. Nihil tamen de summo studio remissum, qvin abunde suppeterent omnia necessaria. Imperator vero, priusqvam vim adhiberi voluit, tentandum per legatos existimavit, velletne *Christianus* sponte, parte regni jure cedere. Itaqve Neapoli expeditionem in Africam meditans, hujus rei curam habet, mandato *Mariæ* dato de mittendis ad *Christianum* legatis. Designati statim *Johannes* Comes *Montisfortis*, *Gulielmus* Baro *Rennebergius*, & *Gotscalcus Erici.* Eos adventuros fama præcurrens nunciarat, delata ad Regem

An. 1536. gem, in Daniam pridem reverſum. Itaqve *Callumburgi* negotium dat relictis ad gubernationem in Holſatia, *Wolfgango Utenhovio* Cancellario, *Godeſcalco Alefeldio*, *Godeſcalco Ranzovio*, & *Petro Svavenio*, ut auditis legatis de ſumma rei cum iis pertractent, aut etiam volentes in Daniam ad Regem remittant. Sed ubi legati in haſce partes venere, comperto Regem jn Daniam ultra mare Balthicum conceſſiſſe, & ulterius ad fines extremos regni tendere, Hamburgi ſubſtitere. Inde mox nuntium ad regios gubernatores mittunt, petentes, ut litteras ad *Chriſtianum* datas aut perferendas ipſi curent, aut nuncio oſtendant, qvo loci ipſum reperire ſit. Interim eſſe ſibi apud alios Principes, qvod agant; rogare, ut mittant, qvi ſalvos & incolumes per ejus ditiones deducant.

Ceterum legatorum litteris ad *Chriſtianum* datis hæc fere continebantur. „ Mandatum Neapoli allatum, *Chriſtia-„num* in Holſatiam adirent, & exhibitis litteris fidei, hæc ab „Imperatore nunciarent: Intellexiſſe haud dubie *Chriſtianum*, „opera & conſilia Cæſaris confectas eſſe nuptias inter *Fride-„ricum Palatinum* & *Dorotheam* cognatam ſuam. Qvem „Principem hoc matrimonio idcirco dignatus ſit, qvod non „ſolum ex veteri Electorum familia ortum ducat, & per ſe „prudens magnanimuſqve; ſed & in Cæſaris & Imperii ne-„gotiis magna cum laude verſatus. Non igitur Imperato-„rem potuiſſe Principem tantis donis cumulatum deſtituere, „qvin qvantum neceſſe adjutet, ut regna Daniæ & Norve-„giæ, qvæ ipſi per uxorem debeantur, conſeqvatur. Ita-„qve ante biennium circa ſolſtitium æſtivum miſſos lega-„tos, ut indicata ejus voluntate, cum Senatu utriusqve re-„gni agerent de *Friderico* eligendo. Eos neqviviſſe tum le-„gatione recte defungi, Dania bellis flagrante, qvæ ab ipſo „nulla juſta de cauſa concitata eſſent. Qvo factum etiam, „ut Senatores ad legitimam & liberam relectionem deſcen-„dere haud potuerint. Nec vero eum adhuc ab armis ceſſa-„re, ut ex propoſito ſuo regnum occupet, excluſis iis, ad „qvos hereditatis jus propinqvitatis nomine ſit devolutum. „Imperatorem igitur, qvum deceat ex officio qvemlibet in ſuo

„suo jure tueri, non consentaneum pati, hostili *Christiani* An. 1536.
„machinatione propinqvam contra jus per vim hereditate
„sua spoliari & detrudi. Sed & Germaniæ cum regno Daniæ
„propter viciniam multa intercedere commercia, qvorum
„usus antiqvitus obtinuerit, qvæ modo bellis interpellen-
„tur, magno omnium subjectorum detrimento. Itaqve
„Imperatoris esse, operam dare, ne regnum Daniæ pessum
„eat, sed commercia terra mariqve restituantur. Qva-
„propter his aliisqve de causis ei in animo esse ad vim ho-
„stilem haud diutius connivere, neqve ut bella gerantur
„diutius tolerare. Monere serio Cæsaris nomine, bellum
„deponat, & vi omni manus abstineat, simulqve exercitum
„omnem dimittat, nec regnum Daniæ ultra oppugnet.
„Si qvam sibi actionem competere existimet, judicium ex-
„periatur. Sperare, simul ac amotus miles ejus fuerit, effe-
„cturos, ut pariter obsessi in potestate Cæsaris sint futuri,
„& rem ad inducias venire sinant. Imperatorem tum ex
„officio obligatum, tum ad pacem conservandam procli-
„vem, ut unicuiqve jus petenti, qvod æqvum est, tribuat.
„Qvantum igitur juris in hæc regna vel alia *Christianus* sibi
„usurpare possit, ad cognitionem suam Imperatorem velle
„revocari, a qvo expectent sine dilatione, qvod æqvius
„meliusqve videbitur, ut nulla qverela sit superfutura.
„Sin *Christianus* detrectet Imperatori obedientiam, & a vi
„non desistat, metuendum esse, ne ex officio alia remedia
„qværat, qvo pax regno Daniæ restituatur, & ab Imperii
„finibus malum atqve vis arceatur. Qvibus ut mature oc-
„currat, & rebus suis consulat, monere, obedientem Impe-
„ratori se præstet, & qvid prorsus animi habeat, per eun-
„dem nuncium scripto ostendat. Nam mandato Cæsareo
„injuncta alia, qvæ diversis in locis peragenda. Sin non in-
„commodum rebus suis accidat, ut aut ipse in Holsatiam
„locave vicina commeare velit, aut per relictos in Holsatia
„gubernatores rem tractari malit, se præsto Hamburgi, Lu-
„becæ, vel alio qvopiam tuto loco futuros, ubi se offerant
„ad agendum de hujus suæ legationis negotiis.

Sed interim, dum hæ litteræ legatorum ad Regem per-

R ferun-

An. 1536. feruntur, nullo expectato responso, legati *Henricum* Megalopolitanum Ducem adeunt, & apud eum mandata peragunt. Cujus ignari Regii gubernatores, Hamburgum frustra veniunt, haud opinati tam brevi eos illud iter fuisse ingressuros. Ideo iis, Sverini responsum a Megalopolitano expectantibus, missis litteris ostendunt, "potestatem sibi a „Rege factam de toto negotio agendi. Qvi & parati sint „Hamburgum aliqvos amandare, simul ac eo reversi ipsi „essent; ut rem expediant.„ Legati autem præferunt excusationem, "qvoniam Hamburgum reverti haud liceat, par„tim qvod negotia præter opinionem incidissent, qvæ venire „eos non sinant: partim qvod nullo misso commeatu, „tuto per ditiones *Christiani* transire neqveant: Lubecæ se „intra spacium sex dierum affuturos promittunt. Petere „ut eo, qvos mitti velint, accedant.„ Sed regii Segebergæ reditum Cæsareorum a Megalopolitano aliqvamdiu præstolati, missis inde litteris rogant, "in cœnobium Arnobochia„num accedere ne graventur, ubi eos tutos satis fore, & se „missuros, qvi sine periculo eo deducant. Simulqve sive „huc sive ad Regem ipsum ire velint, paratos fidem publi„cam litteris spondere.„ Verum legati recusarunt etiam eo venire, "qvod negotia Lubecæ sint, qvæ inde excedere „non patiantur, & simul temporis brevitate excludi, qvo „minus alio venire liceat. Qvum itaqve mora utriqve no„xia, rogare, intra biduum Regii Lubecam adeant, ut ibi „responsum dent, deqve toto negotio colloqvantur. Eos „omnino hoc futurum expectare, & inde res suas disposi„turos.„

Tandem qvum viderent regii, destinatum legatis nusqvam loco movere, ex suis *Gozidium Rantzovium* & *Petrum Svavenium* Lubecam mittunt, qvi responsum referant & legatos expediant. Summa autem responsi Regii, scripto exhibiti, hæc fere fuit: "Rem ita postulasse, ut necesse habuerit Rex ultra mare in Daniam regredi, ubi mox „de adventu legatorum ipsi litteris eorum innotuerit. Qvod „si præscivisset, suam præsentiam cis mare eis exhibiturum „fuisse. Nunc rebus ita turbatis & commotis fieri id non pos-

„ posse. Itaqve scripto legatis responsurum, qvid animi ha- An.
„ beat. Salutem a Cæsare grato animo accipere, & eam 1536.
„ reddere: simulqve deferre Cæsari sua officia, ut Regem
„ Danorum designatum; & obseqvium ac obedientiam
„ præstare paratum, ut Ducem Holsatiæ. De nuptiis *Fride-*
„ *rici* Palatini & *Dorotheæ* non ingratum qvod allatum sit.
„ Laudibus enim *Friderici*, qvas veras agnoscat, se favere,
„ nec iis detractum velle. Et cognatæ talem maritum con-
„ tigisse, non posse non ei gratulari. Precari, velit Deus
„ felix faustumqve hoc connubium esse. Legatos, qvi in
„ Daniam ab Imperatore ante biennium missi fuerant, ut
„ de eligendo *Friderico* Palatino agerent, si retulerint a se
„ regnum bello petitum sine justo titulo, aut ignaros rerum
„ fuisse, aut invidia & malevolentia veritatem depravasse;
„ Nam rem longe aliter habere. Priusqvam enim ipse in
„ Daniam movisset, non solum ab hostibus eo ingressis
„ misere afflictam, sed bello intestino civium inter se turba-
„ tam, ut pristini decoris & virium nihil fere superesset.
„ Occasionem se bello nullam præbuisse, a qvo semper lon-
„ ge animus abfuerit. Ita se a patre, pacifico & moderato
„ Principe, a prima ætate edoctum, in cujus obedientia huc
„ usqve vitam contriverit. Eo extincto utriusqve ducatus,
„ suo fratrumqve impuberum nomine, administrationem
„ suscepisse. Qvo tempore nihil de priore instituto mutasse:
„ Sed pacem undiqve qvæsitam. Ac qvidem cum *Maria*
„ Cæsaris sorore & Belgis fœdus initum; ne bellorum ali-
„ qva inde existeret materia. Id indigne tulisse Lubecenses,
„ qvibus tum præerant inqvieti homines *Georgius Textor* &
„ *Marcus Mayerus*: qvi violato fœdere, qvod cum patre
„ intercesserat, in suam & fratrum perniciem insurrexerint.
„ Ab iis, Oldenburgensi impulsore & duce, initium injuriæ
„ factum, qva populabundi Holsatiam ingressi sunt. Mox
„ vero comparatis contra eos copiis versum in Daniam bel-
„ lum: ubi proditione qvorundam, qvos donis & spe cor-
„ ruperant, præcipuas urbes sine armis occupârint. Hoc
„ impedimento fuisse, qvominus Senatores ad Regis desig-
„ nationem descendere potuerint. Interim se, & Holsatiam,
„ totum in defensione & recuperatione fuisse. Nec aliam

An. 1536 „cauſam graviorem belli Lubecenſibus fuiſſe, qvam qvod „noluiſſent fœdus cum *Maria* ictum, rati officere id, qvo „minus mari libere dominarentur. Eam ſibi occaſionem „belli contra *Johannem* patruum, & alias contra Reges „Daniæ ſumſiſſe. Auctam deinde Lubecenſium malevo„lentiam in conventu Hamburgenſi, ſtudio aliqvo erga „Cæſarem declarato. Nec nihil indignatos, qvum Belgæ „naufragio ad Daniæ littora ejecti, hoſpitio & victu adjuti „fuiſſent. *Mariam* hæc ignorare non poſſe, editis Lube„cenſium ea de re ſcriptis, qvorum unum initio horum „motuum ad ſe miſerit. Non igitur faciendum Cæſari „fuiſſe, ut bellum legitimum impediret, qvod excitatum „ipſius potiſſimum cauſa, nedum ut regna Daniæ & Nor„vegiæ affini ſuo peteret. Non poſſe eſſe hæc conſentanea „iis, qvæ aliis legationibus acta, qvibus nunciatum eſt, „nolle Imperatorem ad regnum Daniæ venire, niſi ali„qvem filiorum *Friderici*, qvibus ſi qvis obſiſteret, auxilio „iis futurum. De qvibus & aliis amplis promiſſis ſupereſſe „etiamnum documenta, qvæ fidem faciant. Nec poſſe „ullo jure *Fridericum* Daniam ſibi per uxorem vindicare, „qvod liberum regnum ſit, & per electionem Ordinum „conferatur. Nam ne filio qvidem Regis obſtrictos un„qvam Ordines, nedum ut filiarum ulla id petere poſſit, „qvamvis plerumqve illius ratio haberi ſoleat. Caveri ſo„lenni ſacramento in Regum inauguratione, ne hoc jus „violetur. Qvod Rege machinante, eo ipſo ſolutos eſſe a „fide & obedientia ordines. Hiſce legibus ex familia Olden„burgenſium *Chriſtiernum* I. ad regnum aſſumtum, & reg„naſſe iisdem ordine huc usqve reliqvos. Conſtare de his „omnibus *Godeſcalco Erici*, utpote in hiſce regnis educato. „Ac tametſi liberum regni jus, tamen eligi Palatinum non „potuiſſe, ut maxime legati ante biennium ad comitia ac„ceſſiſſent. Nam ſe obligaſſe Senatum, *Friderico* patri ali„qvem ex filiis ſucceſſurum. Eo interregnum tum agita„tum, ut adhibitis Norvagiæ proceribus communi conſilio „ſuper hoc decerneretur. Non defuiſſe tum occaſionem „extorqvendi electionem, ſi ita libuiſſet, inſtigantibus Lu„becenſibus, & haud obſcure ſtudiis multorum in id incli-

nan-

"nantibus. Noluisse regnum armis impiis sibi parare, & "potuisse ferre electionem cujusqvam fratrum impuberum. "Senatoribus autem, cum Dania armis undiqve premeretur, "visum regiam dignitatem sibi deferre. Non potuisse affli"ctos & efflictim operi petentes destituere, sed eorum desi"derio paruisse. Inde jam pro regno, non solum paterno "& avito, sed & suo asserendo, auxilium ab armis petitum. "Deum justæ causæ favisse, & victorias terra mariqve con"tra hostes hactenus dedisse, ut unicam saltim urbem etiam"num teneant. Eam, utpote regni primariam sine dede"core & pernicie regni in manibus hostium deseri non posse, "ideoqve exercitum tanto impendio paratum, dimitti haud "integrum esse. Oldenburgicum in ordinem armis cogen"dum, & pervicaciam ejus domandam, qvi oblatas æqvas "conditiones præfracte repudiarit. Nam judices adactum "omnes sprevisse; tanta ipsi in fortuna, qvæ tum affulge"bat, fiducia. Nec res meliore loco jam positas in eventum "incertum committere, & hosti viam patefacere; Cæsarem "sibi auctorem futurum. Commercia nullo pacto a se tur"bata, sed ab iis potius, qvibus bellum imputari merito de"beat. Haud id qvæsitum, qvod prætenderit Oldenburgi"cus, ut *Christiernum* liberatum vellet: sed ut vel ipse solio re"gio sederet, vel ad alium regnum, qvi pluris id licitaretur, "transferret. Id enim actum apud qvosdam ab Imperio „alienos, & acceptam eo nomine pecuniam. Rem con„fessione *Textoris* patefactam esse, & de ea certiorem red„ditum iri Imperatorem. Horum consiliorum auctores „puniendos fuisse, & ab iis pacis turbatæ rationem peten„dam. Intercedere regno Daniæ & Holsatiæ Ducibus cum „Imperatore arctum fœdus, qvod nulla in parte hinc sit „violatum. Itaqve nihil minus expectasse, qvam ut tam „iniqvum postulando se Imperator fatigaret. Non videri „hoc facturum, re exactius intellecta, & fiduciæ in ipsius „æqvitate collocatæ minus id convenire. Judicium non „detrectare, sed patrem ad curiam Imperialem controver„siam retulisse; se item judices æqvos & non suspectos ferre „posse. Vigere de Imperatore per totum orbem famam „moderationis & mansvetudinis; eam, durius in se aliqvid

An. 1536.

An. 1536. „ decernendo, sperare ipsum non aboliturum. Hostes sibi „ excitatos potissimum Belgarum causa, qvorum nec minis „ territum, nec aliis incommodis adactum, ut fœdus transgrederetur. Qvapropter rogare, ut memor horum Imperator expendat, qvid se deceat, & qvam nihil juris *Friderico* Palatino in hoc regno sit, ob qvod grave aliqvid „ contra se statuat aut incœptet.

Accepto hoc responso, eoqve perlecto, legati Cæsarei minus acqvieverunt. Non enim putabant postulatis Imperatoris satis per omnia factum: præ se ferebant etiam, qvod metuerent Imperatori renunciare, qvæ de violato fœdere, & de iniqvitate postulatorum essent objecta. Itaqve reddidere regiis responsi tabulas, de qvo nec audire nec mutua oratione conferre placuit. Regii autem contra putabant, se de omnibus abunde hic egisse, ut nihil declarationis loco desiderari merito possit, & Regi prorsus non aliam super hisce stare sententiam.

Ita irrita fere hac legatione utrinqve discessum, regiis in Holsatiam remeantibus, legatis in Germaniam ad Electorem Saxoniæ *Johannem Fridericum* & *Philippum* Landgravium abeuntibus. Ubi apud utrumqve idem fere negotii, qvod in Dania, erat; petebaturqve Regem deseri, cui crimini dabatur, qvod Daniam nullam justam ob causam oppugnaret: „ Nam ei nihil juris esse, sed ad *Fridericum* „ Palatinum per uxorem hereditario regnum pertinere. Sororis filias Imperatorem velle restitutas suæ hereditati. „ Commercia etiam redintegrata cupere, qvæ cessent bellis „ flagrantibus. Svadeant *Christiano*, ut ab armis desistat & „ judicio causam submittat. Si hæc nolit, Imperatori in „ animo alia remedia parare, & *Fridericum* ab amicis auxilia „ petiturum. Inde qvæ bella per has Europæ partes excitari necesse sit secum meditentur, & qvam noxia ea futura; „ præsertim hoc alienissimo tempore, qvo tum pacem religionis Concilio constituere Pontifici ac Cæsari in animo sit, „ tum rebus contra Turcam aliosqve Imperii hostes gerendis operam dare oporteat. Qvapropter tum reipublicæ „ causa, tum in gratiam Imperatoris suasu suo *Christianum* huc

„ huc flectant, aut si parere contumaciter recuset, ne Cæ- An.
„ sari in instituto suo adversentur.„ Responsum utrobiqve, 1536.
„ *Christianum* deseri non par esse, causam ejus non esse ini-
„ qvam :„ & de occasione belli, de jure regni, de proposito Oldenburgici & Lubecensium, pleraqve in eandem sententiam, qva prius regii prolixe differuerant. Qvæ haud grata legatis, dicentibus „non ad disceptandum eam contro-
„ versiam se missos, sed saltim, ut monerent, ne *Christiano*,
„ obedientiam detrectanti & rebelli, ulterius contra Impera-
„ torem adhærerent.„ At Princeps uterqve: "non odio
„ alicujus, sed veritatis amore se hæc differuisse, qvæ sperent
„ etiam Imperatorem in bonam partem accepturum, &
„ æqvum se Regi præbiturum, simulac causam penitus in-
„ tellexerit.„

Jam Regi ab Imperatoris exercitu metus incessit, qvem in Africa *Muleassem* restituere conantem, haud dubitabat tamen bellum hisce partibus facturum. Itaqve callido consilio id operam dedit, ut ejus curam a Daniæ cogitatione ad pericula domestica verteret. Rebus igitur in castris ordinatis, qvibus præficiebatur *Christophorus Feltenius*, in consilium adjunctis *Avone Vincentio* & *Johanne Frisio*, mox Rex in Holsatiam properat: Qvo statim evocat *Meinardum Hamam*, veterem sui stipendii & militia bonum. Eum qvid factum velit edocet, & confestim copias conductas in Frisiam Orientalem ducere jubet. Cum Geldro deinde res composita, qvi Groningensibus pridem infensus, qvod flagitanti auxilia & pecuniam, utrumqve denegassent, ut oppugnarentur Regiis auspiciis facile patiebatur. *Hama* militibus passim notus, per Vestphaliam, & in vicinia brevi confecit decem vexilla peditum. Geldrus & ipse suas aliqvas adjecit, ducibus *Johanne Grallio*, & *Bernhardo Hocfordio*. Qvæ copiæ junctæ inopinato in Frisiam irrumpunt, Dammamqve, oppidum reipublicæ Groningensis, ad ostium fere Amasis situm, occupant. Inde populabundus miles late per agros & vicinos undiqvaqve pagos excurrit, stragemqve & tristia incendia passim edit. Nec metus regiis erat ipsa Groningensium mœnia subire, qvorum etiam na-

An. 1536. vale crematum, ipfis ad vim hoftilem in ifta celeritate imparatis. Qva clade accepta, qvum auxilium a Geldro petentibus nullum fubmitteretur, eo relicto, ad *Mariam* Belgii Gubernatricem Groningenfes deficiunt. At illa rata gratum fe Imperatori fratri facturam, fi ditiones ejus augere, & imperium dilatare poffet, lubens hanc occafionem arripuit. Timebatur etiam, ne Danus, parum fincera amicitia metuendus mariqve potens, Groninga potiretur, atqve inde Frifiam occidentalem & alias Cæfaris ditiones adoriretur, Belgarumqve commercia iis in partibus impediret. Itaqve Baronem *Teutenburgium*, Frifiæ Occidentalis gubernatorem ocyus ad accipiendam Groningam in fidem Imperatoris amandat, juffo eo contra Geldros & qvosvis, hoftes qvi Groningenfium effent, tutari. Ille, acceptis ab *Maria* copiis, qvæ contra Daniam ab Imperatore comparatæ fuerant, haud diu cunctatus huc venit, & Groningam ingreffus cives & magiftratus, facramento folenni accepto, Imperatori obftrinxit. Mox inde ducens loca Dammæ vicina & ad eam oppugnandam opportuna capit. Tum ad obfidendum militem regium, qvi impar hofti fe Dammæ continebat, aggreditur.

Rex hac de re certior factus, & periculi fuis imminentis gnarus, tria peditum millia *Meinardo*, cum fuis obfeffo, in auxilium mittit, ducibus *Breidone Rantzovio* & *Georgio Munftero*. Nam bello Burgundos & Palatinum diftineri iis in partibus prorfus e re fua fore cernebat. Sed prodita *Teutenburgio* Regis confilia a fpeculatore *Adriano Hifpano*, homine omnium fcelerum genere cooperto, cui nimium qvantum confifus. Is pridem homicidii reus, Dania extorris agebat; fed Anabaptiftis infinuatus, cum aliqvibus eorum in Holfatiam reverfus, captus fuerat. Unde blanditiis, & verbis ad pietatem confictis, elapfus eft, homo qvantivis pretii vifus, & Principum qvorundam arcana haud ignorans: Ei itaqve in familiam Regis afcito creditum, ut res Frificas fcrutaretur, & exploraret, renunciaturus, qvæ Regem fcire opus effet. Sed is pariter famæ & fidei prodigus *Teutenburgio* omnia patefecerat, qvæ ipfi credita, præfertim qvæ

qvæ jam de submittendis auxiliis instituebantur. Itaqve hujus *Adriani* proditione *Teutenburgius* gnarus, qvo tempore qvantisqve copiis adventarent, ad Vestvoldiam eis occurrit, ibiqve conserto prælio cunctos fudit, fugavitqve, captis ducibus, qvi ad *Mariam* statim missi sunt. Victoriæ ejus opportunæ gaudium Palatinus participavit, qvi eo ipso die qvo hæc pacta, in castra ad exercitum victorem accessit. *Teutenburgius* autem liberatus metu regiorum, ne in hostium manibus Damma relinqveretur, ad ejus obsidionem secundum hanc pugnam e vestigio revertitur. Tolerata a regiis obsidio ad extremum usqve; donec tandem, desperato auxilio, penuria rerum omnium, ad paciscendum adigerentur. *Meinardus* ergo, *Hama*, *Johannes Grollius*, & *Bernardus Hacfordius Teutenburgio* se tradiderunt, reliqvi sine armis dimissi: qvæ tamen ut hosti inutilia redderentur, prius hastas fraxineas oblongas, qvas gestare Germanis in more est, per medium *Hama* secat, & ne fraus patesceret, obducere ea parte holoserico vel corio mandat. Ita *Teutenburgius* partim captis partim fusis regiis, postqvam Veldam, Coverdam, & Cynorstum ad Meppelam, aliaqve sibi subjecisset, Frisiam totam sub potestatem Imperatoris redegit. Tandem pax necessario a Geldro inita, & venia Frisiis data, præconis voce Groningæ extremo anni, qvo hæc acta, promulgatur. An. 1536.

Rex vero, dum initio in Groningensi ditione res non infeliciter cederent, demto Burgundorum metu, Megalopolitanum & Oldenburgicum liberius obsidendo perurgebat, fiduciæqve eorum, ad spem Burgundorum avide anhelantium, illudebat. Accesserant in fretum Oritanum naves ex omnibus Belgii provinciis, junctis simul Gallicis, Anglicis, & Scoticis qvibusdam. qvæ ex mercatura lucrum in hisce partibus qværebant. Hæ Regis jussu ad anchoras sistebantur, donec justæ classis numerum complerent. Mox ut ducentæ collectæ, Hafniam versus navigant, tanqvam obsessis auxilium laturæ. Regiæ passim per fretum ad excubias dispositæ, his obviam veniunt specie prælium conserendi: qvarum tamen sex relictæ in insidiis, si forte hostes delusi ex portu Hafniensi venientibus opem ferrent. Simul

An. 1536. ac vero concurrere, aliqvot horis eſt dimicatum. Obſeſſi, ubi claſſis propius urbem contra regias naves adnavigaret, rati ſibi auxilium præſto eſſe, portas patefaciunt, in muros armati conſcendunt, ſigna pandunt, ac per totum urbis circuitum tormentis globos explodunt. Cernere tum erat ſenes & pueros, virgines & matronas, macie fere tabefactas, præ inani gaudio in publicum irrumpere, ac vicos compitaqve paſſim ſtrepitu compleri. Tandem fumo & igne, qvibus claſſis utraqve involvebatur, paulatim evaneſcente, deprehenſum magis averſa parte navium tormenta exploſa, nihilqve damni acceptum. Tum vero dolus patefactus, pudorem inanis gaudii, dempta auxilii ſpe attulit. Itaqve clauſis portis ad extrema ferenda ſe qvaſi de novo comparant.

Inde qvum hac arte hoſtes non deluderentur, vis undiqve adhiberi cœpta. Ex inſula urbi vicina, qvæ ab ubertate agrorum nomen habet, (Amagriam vulgo vocant,) ſuppeditabatur obſeſſis indies commeatus aliqvid, ut minus tæderet inopiæ publicæ opulentiores, qvi habebant unde ſibi victum qvovis pretio pararent. Id ut compertum Regi, transportati ſunt ex caſtris milites, qvi inſulam occuparent. Agricolæ ſaltim inventi, militum præſidio deſtituti, qvi facile armatis ceſſere. Iis igitur ad opera cum militibus adactis, propugnaculum haud procul urbe in obverſo littore magna terræ mole erigitur. Nec exinde obſeſſis aliqvid hinc commeatus exportari potuit, vetito ad urbem acceſſu. Hoſtes jam pridem magna penuria laborantes, amiſſam inſulam, qvæ inſtar penu fuerat, magnopere deplorabant.

Mox indies magis magisqve gliſcere, & publica annonæ calamitas privatim apud omnes augeri. Itaqve conſilium a prudentioribus civium initum, qvo pacto huic malo ſubveniretur. Qvibus hæc res maxime curæ, oſtiatim denunciaverant ſingulis, magiſtratuum nomine, ut poſtero die in forum freqventes convenirent. Parent mandato cives, & a ſacra concione egreſſi inermes ibi præſto ſunt. Propoſitum ipſis, de fame ſublevanda invicem agere, ut mitterentur ad eos, qvi urbem in poteſtate habebant, delecti qvidam civium petitum, rationem annonæ expedirent, aut

egen-

egentes & macie confectos urbe mitterent, ne fame in urbe enecarentur. Sed rescitum fuerat gubernatoribus urbis, hoc agi, qvi omnia in pejus verterunt. Sparsus enim per eos rumor, agitare cives, ut urbem Regi dederent, atqve ita omnes in potestatem ejus venirent. Eo milites, qvi in præsidio erant, audito, undiqvaqve armati concurrunt, & ut in repentino periculo, attoniti vociferantur, se a civibus prodi, auditaqve vox impia & crudelis *Ambrosii* & *Johannis Bosii*, „vindicandam civium perfidiam, ne scelus gaudio „sit. Tollendos seditiosos & rebelles, ut reliqvi parere in „qvavis afflictione assvefiant.„ Mox illi ipsi, & ex senatu urbis alii qvidem armati, primum inermes cives sclopetis & gladiis petunt. Hinc miles in eos qvasi dato signo impetum facit, ac trucidantur ita civium ducenti: Reliqvi clam domum delapsi qvisqve suam, qvæ tamen tutum perfugium præstare non valuit. Nam cæsi ibi permulti, ac qvidam inde in publicum extracti. Nec pauci hujus cœtus, omnium inscii, in amplexibus conjugum & liberorum confodiuntur. Qvidam etiam in officinis, nullo metu, labore domestico occupati, cæsi. Non tuta ulli domus, unde pecuniæ aut annonæ spes aliqva: Si qvem militum offenderat civis, eum per invidiam, ut proditionis reum, suæ domi mactandum nefariis manibus tradunt. Tandem cœsis compluribus, hisce atqve illis modis, ut fides rumori proditionis ex specie aliqva veri conciliaretur, vetitum, in publicum ne qvis civium ad aliqvod tempus egrederetur. Ita inopes & egeni qvasi carcere domi suæ inclusi sunt, ut qvibus aliunde victum qværere necesse esset, eo qværendo prohiberentur, & famem qvasi pœnam indictam miserabiliter tolerarent. Tandem vero satiati sangvine & cæde, qvi faces hujus crudelitatis fuerant, *Ambrosius*, & *Johannes Bosius*, volente id Oldenburgico, dissidium inter cives & milites ita componunt, ut patratum scelus nulli noxæ sit, ac deinceps utrisqve securis a periculo esse liceat. Qvæ ratio, necessario metu majoris mali, a civibus inita est. Nam auditæ minæ, ni restituta foret concordia, militem domos qvorumcunqve direpturum. Nec aliter tot innocentium civium cædes in cujusqvam caput vindicata, magistratu urbis ad omnia connivente.

An. 1536.

 Sed

An. 1536. Sed Deus ſangvinis innoxii acerrimus vindex, non tulit tantum ſceleris impunitum, qvi induratos animo ad pœnam traxit. Nam fame per obſidionem augeſcente, tanta calamitas tandem in univerſos incubuit, ut in communi malo ſummi pariter & infimi ingemiſcerent, & mortis miſerrimæ imaginem ſibi ob oculos ponerent. Panis enim jam deficiebat, & furfuraceus pretium habebat, eoqve pejor ex polentæ retrimentis confectus. Nec ſi totus cenſus in panem qvantulumcunqve impenderetur, non erat qvi venderet, ne qvidem hordei & avenæ, tanta eorum ibi penuria. Si qvibus qvantumcunqve erat frumenti, privatim tundebatur, vel integrum vorabatur. Non caro cuiqvam ſupererat, niſi qvam jumentis, felibus & canibus mactatis paraverant; & ea ipſa adeo tabida & emaciata, deficientibus pridem jumentorum pabulis, ut nihil in edendo voluptatis, parum in refovendo utilitatis eſſet. Qvæ & ſicubi coqvebatur, ad manducandi obſcœnum uſum nec periculum aberat, incuſantibus militibus alia ſervata ſupereſſe, & ad fallendum tantum fœdos illos cibos menſæ apparari. Qvidam domos opulentiorum ingreſſi, cibum qværebant, non eo contenti qvod nihil reperiebatur, ſed tanqvam penitus aliqva recondita, vim & mortis metum, ni proferrentur, intentabant. Et multis ea mors grata, ſed negata. Non ab herbis abſtinebatur, qvæ per hortos & ſub mœnia urbis extirpatæ, qvocunqve modo coctæ vel etiam crudæ, ſi fames moram non dabat, in ventrem abſumebantur. Nec fere tam qvicqvam obſcœnum, qvod dentibus teri aut in ſtomachum poſſet ingeri, qvin in cibum veniret. Multi dum hæc ipſa, dictu & auditu fœda, foris ſolicite qværunt, per vicos urbis defecti viribus concidunt. Nonnullos domo egredi haud valentes, mors in lecto per ſomnum oppreſſit. Qvidam ne ſepultura carerent ſi domi contabeſcerent, in publicum ſe proruunt, & ibi per compita viarum & ad vallum, langvido corpore animam fœtidam exhalant. Robuſtioribus paulo ſolatio erat ad cœmiteria ſerpere manibus pedibusqve, qvum ſe levare erecto corpore defectu virium non poſſent, ut ibi expirarent, & cum reliqvis, qvos aſportari contingeret, terræ mandarentur. In conjugum amplexi-

xi-

xibus uxores gravidæ, duplicis mortis exitio extingvebantur. An. 1536.
Liberi ad parentum misericordiam perfugientes, cibum lamentabili ejulatu ab egentibus faucibus qvasi præripiebant. Infantes in cunis vagientes, qvum mater nullo cibo sustentata lac non præberet, lucem qvam recens viderant, tenebris mortis commutarunt. Qvidam etiam ab uberibus cum matribus simul contabescebant: atqve inter complura tristia mortis exempla hoc erat, qvod mulier qvædam ad templi parietes mortua inventa, in cujus gremio duo vivi infantes jacebant, sangvinem ex mamillis sugentes, qvibus paulo post extinctis cruor per ora manabat, ut ex ipsis uberibus, unde vita foveri debebat, lethalem humorem traherent. Qvod miserandum spectaculum multis millibus hominum visum, ingenti omnes horrore perculit. Atqve in hac tanta fame id maxime animos afflictorum cruciabat, qvod nullum a magistratibus solatium, non sublevandi spes, saltim verbis afferebatur. Si qvi eos auxilium instantius flagitabant, jussi facessere, "nondum ad infantum esum „ventum esse, qvod Hierosolymis contigit.„ Qvi emittebantur portis, beneficium moriendi ab hoste petituri, vel saltim jejunii diutini solatium captivitate redempturi, ad famem augendam in urbem redigebantur, parcentibus regiis hosti, qvem victum maxime voluere. Horum pleriqve in ingressu ægre pedes firmabant, & vel in limine portæ ruebant, vel probris & conviciis militum excipiebantur, qvæ nihilo morte acerbiora. Ita apud nullum in urbe inveniebatur solatium, hoste aliqvam tamen misericordiam exhibente. Nam Ducis Megalopolitani conjugi, in Dania filium enixæ, missæ in cibum farinæ, carnes & alia, qvibus pluribus protracta aliqvousqve deditio.

Demum vero multitudo sibi ipsi gravis, tantum aberat, ut arma contra ferre possent, uti pauci vitam præ inedia tolerarent. Itaqve domiti fame, victiqve malis suis, calamitatem communem recognoscere didicerunt. Cincti enim duobus castris ab occidentali & boreali urbis parte fuerant, & classe portus obstructus erat, ac propugnaculum in insula vicina erectum, ut nec aliqvid invehi, nec ipsis

An. 1536. deserta urbe effugere liceret, sed necesse esset miseriæ immori. Itaqve jam re consultata, ad tradendam urbem cuncti animos inclinant. Mox ab Megalopolitano & Oldenburgico in castra ad Regem missi, qvi deditionem offerant, si aliqvo saltim modo tolerabiles conditiones concederet. Sed angebat Regis animum, alias per se mansvetum & placabilem, pervicacia hostis, ut haud aliter deditos acciperet, qvam si ejus potestati omnino se permitterent.

Advenerat commodum in Daniam per hosce dies, *Guilielmus* Dux Lunæburgensis, qvi supplicum preces intercessione sua apud Regem juvit. Cui obsecranti tandem benignitate & clementia Regis indultum, ut ascitis regii exercitus tribunis & legatis, veniæ & pacis leges moderarentur. Erant autem, qvi ad hoc negotium adhibiti sunt, *Christophorus Feltenius*, regiarum copiarum dux, *Gebbardus Schenccius* & *Bosso Feltenius* eqvitum præfecti, *Conradus Penningus*, & *Conradus Hogenstenius*, tribuni, *Petrus Ultrajectinus*, *David Dracus* & *Volfgangus Rosenbergius*, centuriones, ac præterea alii ex utraqve urbem obsidentium legione. Hi exorato Rege primis verbis in universum obtinent, ut Megalopolitanus, Oldenburgicus, totusqve exercitus hostilis, & cives cuncti in gratiam acceptentur, ita, ut qvibus libitum impune regno excedere liceat.

Postea vero leges pacis deditis sigillatim ab iis dictæ: „*Albertus* Megalopolitanus cum conjuge, liberis, consiliariis & aulæ ministris, navibus regiis ad Germaniæ litora „transvehatur, & in tuto, securus omnis a Rege periculi, „sistatur. Bona non exportet, nisi qvæ ab ipso in regnum „invecta sunt, relicturus qvæ aliorum esse constiterit. Tormenta & naves in Daniam adductas cum armamentis suis „non corruptas Regi relinqvat. Regias naves, qvibus „transvehendus, cum præfectis & nautis reliqvis, simul ad „litus Germaniæ appulerint, illæsas domum remeare sinat. „De injuria & contumelia, Regi ab Megalopolitano immerito illata, arbitri utrinqve cognoscant: qvibus diffidentibus arbiter honorarius allegetur, & ita transactione vel „judicio lis finiatur. Liberum sit qvibuscunqve, comitari Me-

„Megalopolitanum volentibus, cum eo in Germaniam ire, An. 1536.
„ sive ii ex nobilitate sive ex plebe sint, exceptis *Georgio Coccio*
„ & *Ambrosio Bibliopego*: Qvi tamen exierint, non in Da-
„niam redeant. Qvi mercatorum ex Germania Hafniam
„venere, & per belli tempus ibi substitere, præter naves &
„earum armamenta, cuncta sua auferant, & cum Megalo-
„politano discedant. Oldenburgicus cum suis pariter in
„Germaniam regiis navibus sine noxa vehatur. Idem, sa-
„cramento præstito, tota vita nihil contra Regem, pro-
„pinqvos & socios moliatur, nec subjectos regno Daniæ
„Sveciæ, Norvegiæ, Sliævigiæ, vel Holsatiæ deinceps violet
„aut injuria afficiat. Ingressu Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ,
„Sliævigiæ & Holsatiæ tota vita abstineat; nec ibi qvic-
„qvam clam, sub infamiæ pœna, in alicujus perniciem struat.
„Eqvites, qvi per tempus obsidionis Hafniæ fuerint, cujus-
„cunqve tandem stipendio meruerint, cum armis & eqvis
„aliisqve, qvæ sua habuerint, terra marive, uti visum fuerit,
„facessant. Pedites, & qvicunqve alii Megalopolitano aut
„Oldenburgico militarunt, soluto qvod civibus debetur,
„pari conditione cum reliqvis terra marive exeant, sed ve-
„xillis substrictis aut dimissis: nec Germaniam ingressi con-
„tra Regem, propinqvos, aut socios, qvadrimestris proximi
„spatio militent; pœna infamiæ irroganda, si secus faxint.
„Qvi in comitatu militum subducere se regno voluerint,
„excepto *Georgio Coccio* & *Ambrosio*, non vetentur. Sed
„in Daniam post, nisi a Rege impetrata venia, non redeant.
„Cives Hafnienses, cujuscunqve commissi facinoris rei, ad-
„versus Regem, fratres, senatum, vel nobilitatem, noxæ
„venia, intercessione *Gulielmi* & reliqvorum, sint donati:
„qvos & Rex contra qvorumcunqve vim & injurias prote-
„gat. *Georgius Coccius* & *Ambrosius* in gratiam accepten-
„tur: qvi tamen domicilium extra regnum vel ducatus
„haud transferant; sed in horum oppido aliqvo habitent,
„ubi Rex indulserit, ibiqve commercia sua libere sub pro-
„tectione Regis exerceant. Ceterum gratia eatenus gau-
„deant, modo sacramenti fidem iidem non violent, qvo se
„obligarunt Regis & regni commodis sincere & constanter
„consulturos, & viciffim noxia amolituros: nec palam aut

An. 1536. „occulte de *Chriſtierni* captivi liberatione, aut Regiæ familiæ mutatione laboraturos. Captivi, qvos terra marive „in prælio capi contigit, utrinqve ſine pretio dimittantur; „ſoluto prius, qvod a qvopiam hoſpiti debetur. Qvi ex „Senatu & nobilitate Danica extra regnum in Megapolin „aut alio captivi miſſi, reſtituantur libertati ſuæ, ſine pretio „aut obligatione aliqva: Et ſiſtantur inprimis præſidi Se„bergenſi in Holſatia; denturqve pro iis obſides, qvi facta „reſtitutione dimittantur. Sed eorum, qvi Hafniæ modo „exiſtunt, liberatio confeſtim ſeqvatur. Urbs Hafnienſis, „cum arce, tormentis, globis, pulvere nitrato, & aliis huc „facientibus, Regi aut procuratori, Regis nomine, tradan„tur. Nec non naves qvæcunqve, ſive intra urbem ſive „extra in ſtatione ſint, cum armamentis & tormentis om„nibus; pariter & ſupellex, litteræ, theſauri, & qvæcunqve „alia vel Regis vel civium regni eſſe conſtiterit.„ His legibus pax facta, qvæ in tabulas relatæ, & utrinqve obſignatæ a Rege, Lunæburgico, Megalopolitano, Oldenburgico, Regiis tribunis & centurionibus jam memoratis, nec non hoſtium tribunis & centurionibus, qvi erant *Chriſtianus Ollius, Heido Ermandorſius*, *Henricus Deccenus*, *Georgius Snatterus*, *Johannes Chindelburgius*, *Ludovicus Salisburgius*, *Thieſſa Raimundus*, *Johannes Slengellus*, *Martinus Lipſius*, *Utzo Fleuchtevangius*, *Guilielmus Schollens.*

Deinceps arbitri cognoſcendæ & decidendæ controverſiæ inter Regem & Megalopolitanum nominati. Rex *Philippum* Haſſiæ Landgravium, Megalopolitanus *Albertum* Electorem Moguntinum delegit. Promiſſum autem utrinqve, "ſimul ac a Rege reqviſitum eſſet, intra ſpatium de„cem ſeptimanarum, Moguntinum a parte Megalopolita„ni, pariterqve Landgravium eodem loco præſto futurum „a parte Regis. Arbitrorum eatenus ſe extenderet poteſtas, „ut ab eis aut cauſa conſenſu partium componeretur, aut, „ſententia prolata, decideretur ſine provocatione. At diſſi„dentibus iis arbiter honorarius allegeretur, qvo ad alteru„trum accedente, ejus ſententiam ratam faceret.„ Super qvibus etiam litteræ utrinqve confectæ ſunt.

Tum

Tum vero de captivorum Danorum liberatione & obsidibus, eorum loco dandis, cautum. Megalopolitanus & Oldenburgicus nominatim hosce nobiles Danos patriæ restituendos spoponderunt: *Andream Billeum*, *Johannem Billeum*, *Ottonem Crumpenum*, *Matthiam Bollium*, *Johannem Urnam*, *Nicolaum Vincentium Longum*, *Canutum Petri*, *Jacobum Hardenbergium*, *Hilarium Ronnovium*, *Canutum Henrici* F., *Ericum Matthiæ* F. & *Benedictum Billeum*. Hos enim deditos, & sacramento sibi obligatos, contra fidem datam in Germaniam ad suas ditiones captivos miserant, ut eo qvasi pignore se suosqve redimerent. Pro iis liberandis & sine obligatione solvendis obsides dati a Megalopolitano *Christophorus* Burggravius, & Baro *Donanus*, *Joachimus Jesseus*, *Viccius Stralendorpius*, *Melchior Campenus*, *Theodoricus Oldenburgius* & *Johannes Veltzovius*. Ab Oldenburgico *Henricus Deccenus*, *Heido Ermandorpius*, *Ludovicus Debenus*, *Georgius Lista*, *Henricus Juchterus*, *Hieronymus Schuiringius*. Hi exhibiti in manus Regis, paulo post publica fide dimissi sunt, hac obligatione, "ut Hamburgum recta proficiscentes se conferrent, ubi in diversorio publico tantisper „commorarentur, donec Dani captivi postliminio essent reversi. Qvo facto & ipsis ad sua liberum esset remeare. Reversi autem domum, qvatuor mensium spatio a tempore „reditus, cujuscunqve tandem stipendio contra Regem sociosve non mererent, aut interim qvicqvam clam machinarentur.„ Qvo pacto Oldenburgicus se etiam Regi obstrinxit: a qvo exactum super eo aliisqve sacramentum solenni scripturæ formula conceptum, qvum Megalopolitano litteris datis fides sit habita. An. 1536.

De omnibus his cautionibus redditis & acceptis, coram Rege in castris comparent Megalopolitanus & Oldenburgicus, ut convenerat, supplices futuri & noxam deprecaturi. Uterqve gestantes manu albam virgam, nudo capite, pedibus ingrediebantur. Ut in conspectum Regis admissi, mox in genua procidunt, & confessi culpam, veniam, ante promissam, precibus ex Regis ore obtinent. Megalopolitano Rex æqvior fuit, qvem pertractum in societatem haud ignorabat: Oldenburgicum, totius calamitatis auctorem, oratic-

An. 1536. tione severiore objurgans; "qvo te læsi, inqvit, ut tantum „mali mihi meisqve creares? An tibi ulla injuria ante illata, „qvam tam cruento bello concitato persеqvereris? si qvo „te incommodo affeci, non res repetitum oportuit? Jam „tu mihi non meritum aliqvod memorare, nec saltim inju-„riæ speciem, si maxime coneris, ostendere habebis. Bello „tamen non denunciato irrupisti in Holsatiam, & qva iter „dabatur, ferro flammisqve omnia vastasti. In Dania etiam „rebellio & seditio tuo impulsu excitata, ut totum regnum „cædibus & incendiis miserum in modum deformatum sit. „Nec, si sangvinis fusi pœnas Deo exigere a te placet, erit, „qvo noxam tantam expies. Id igitur operam des, ut Deo „seria cordis anxietate & dolore lites, ne in judicii die tan-„tum tibi facinus imputet. Mihi enimvero, qvamvis tuæ „propinqvitatis nullam rationem habueris, haud decorum „fuerit, necessitudinis nostræ & sangvinis oblivisci. Nec si „tu pudorem exuisti, dignum honore meo fuerit, ut man-„svetudinem meam deponam. Non utar igitur vindican-„di occasione, qvam modo tempus offert, nec ulciscendi „mihi libido erit. Vincam iram & justam indignationem „& tibi pacem, qvam exposcis, propitius dono. Memor sis „modo beneficii, qvod eo ipso tibi confertur, qvia a te „nullam expeto pœnam maleficii. Consule tibi deinceps „rectius, & Deum veniam exora.„ Hæc Rex mixta ira & miseratione fatus, vix se continuit, fortunam casus humanos mire variantem altius animo meditatus; nec felicitate magis tum insolescens qvam gaudia moderans. Tum jussi ambo se humo levare, dimittuntur, & e vestigio stipati satellitio regio, in urbem redeunt.

Secundum hæc accessere etiam in castra, qvi totius civitatis nomine ad Regem missi fuerant, ex consulibus, senatoribus urbis & civibus. Qvibus, noxam humili confessione deprecantibus, data est venia defectionis, delictorumqve omnium. Inde Rex, stipulatus ab iis in posterum fidem & obedientiam, indulget omnia, qvæ efflagitarunt. „Refor-„formatæ Evangelii doctrinæ adhærere ipsis sine fraude fore, „modo adhiberent ad docendum publice ministros nulla

pra-

„prava opinione infectos, ſed modeſtos, pios, & Regi eru- An.
„ditione & moribus probatos. Jura, immunitates, & be- 1536.
„neficia ſuperiorum Regum, *Johannis* & *Friderici*, non mi-
„nuenda, ſed firmanda, & in Regis coronatione augenda.
„Agrum vicinum, qvem *Cereris* dicunt, pro totius civitatis
„armentis compaſcuum retinendum. Urbem, cum pro-
„pugnaculis, turribus, tormentis & aliis, in manus Regis
„tradendam, qvibus Rex ab eis cujusvis violentiam & in-
„juriam propulſaret. Qvæ tempore belli commiſſa, per
„ſacrilegia, cædes, latrocinia, incendia, aliisqve modis, ſive
„in urbe ſive extra urbem, prorſus condonanda: pœnis ſal-
„tim ab iis exigendis, qvi manus violentas *Annæ Roſæcrant-*
„*ziæ* intulerunt. Bona publica regni, & qvæ privatorum
„uspiam extant, reſtituenda. Poteſtatem creandi conſules
„deinceps penes Regem fore. Infamiæ alicujus vel prodi-
„tionis reos, ex legibus & privilegiis convictos, pœnis affi-
„ciendos. Commercia, per Norvegiam & alias Regis pro-
„vincias, libera præſtanda. Urbem Hafnienſem Regi in po-
„teſtate & obedientia futuram, qvousqve is in vivis: at eo
„mortuo, Senatui, vel qvem Senatus Regem deſignarit, ſer-
„vandam.„ De his poſtqvam utrinqve Rex ſe Hafnienſi-
bus, & ii viciſſim Regi ſe in caſtris per litteras obligaſſent,
mox illi in urbem remiſſi, pacem promulgant.

Nec diu morati Megalopolitanus & Oldenburgicus, ſarcinis collectis, qvanto ocyus poterant, ex portu ſolventes, in Germaniam abnavigant. Inde in paucis diebus Rex cum Regina & Senatu urbem, jam ſuam, ſolenni pompa invehuntur. Excipitur tacito gaudio, tanto plebis ipſius majore, qvanto fuerat per obſidionem majore calamitate immerſa. Effuſi in fores & plateas, qvi qvacunqve ratione ægrum corpus trahere poterant, fauſtis ominibus tranſeuntem per ora hominum proſeqvebantur. Et ſuperſtitem liberationi ſuæ vitam ſibi gratulabantur, qvicunqve vel ad liberam religionis reformatæ profeſſionem anhelabant, vel fortunis penatibusqve ſuis tandem tranqvillitatem aliqvam & otium deſiderabant. Magiſtratus etiam officiis erga Regem functi, porta tenus obviam venienti exierunt. Cohi-

An. 1536. bita tamen ab omnibus gaudia præ magnitudine mali publici, ſaltimqve planctu & gemitibus ſtudia in Regem teſtabantur. Qvi conſcii ſcelerum ſibi formidabant, ſoli ſilentio ſuſpicaci mœrorem obruebant. Rex ipſe, dum traducebatur, qvaqva oculos vertit, triſtem faciem urbis mœſtus cernit. Tecta ædium & templorum tormentis ſemiruta patebant; parietes pertuſi, & effracti, domibus vacuis, in omnem partem nutabant; nec feneſtræ laceræ intuitum ab ullius privato infortunio arcebant. Officinæ & tabernæ, mercibus aut prorſus diſtractis aut violenter ereptis, undiqve clauſæ. Qvi ſe videndos in publicum exhibuere homines, magis ſpe boni ſuſtentari, qvam fortuna ſua lætari apparuit. Sed qvæ in oculos omnium incurrebant exempla calamitatum, Rex unus altius animo defigit, auctorum inſanam pervicaciam amore miſeræ plebis execratus. Qvo moderatius etiam victoria uſus eſt, a nullo, cujuscunqve criminis, ſeu ſacrilegii, ſeu cædis, ſtupri aut rapinæ reo, pœnam expetens. Tantum qvi principes fuerant patrandæ cædis in nobiliſſimam matronam *Annam Roſæcrantziam*, propinqvis accuſantibus, capitis ſupplicio damnati, culpam ſuam luerunt. *Ambroſium* Conſulem uxor *Johannis Cubicularii* reum egerat iniqvæ in maritum latæ ſententiæ: Sed qvum poſtridie cauſam dicturus eſſet, & judicibus rationes facti probaturus, ſumto veneno fatum ſibi acceleraverat. Qvæ haud dubie divini judicii vindicta, non paſſa pœnam evadere, qvi ambitione, avaritia & dominandi libidine tot atrocibus calamitatibus innumeros mortales involverat.

Regi autem urbis potito, eoqve totius regni compoti, omnis cura cogitatioqve in eo verſabatur, ut rempublicam collapſam inſtauraret. Itaqve adhibitis, qvi præſto erant, patribus, *Magno Goyæo*, palatii Magiſtro, *Tuccone Crabba*, Mareſchallo, *Avone Longo*, *Accio Brabeo*, *Canuto Billeo*, *Olao Roſæcrantzio*, *Oligero Vlſtandio*, *Trugoto Vlſtandio*, *Magno Guldenſternio*, *Erico Crummedigio*, *Johanne Friſio*, hæc res eorum ſecreto conſilio agitata. Nam antiſtites & reliqvos ſenatores eccleſiaſticos odium religionis & metus mutationis domi continuerat, qvo minus Regem a ſe deſigna-

gna-

gnatum, publicæ calamitatis fere securi, observantes affecta- An.
rentur. Nec adhuc redierant ex captivitate, qvi in Germa- 1536.
niam missi a Megalopolitano & Oldenburgico attinebantur.
Omnibus eadem sententia placuit, "abolendam antistitum
„auctoritatem, opesqve eorum reipublicæ applicandas, nec
„ferendum ullum eorum posthac ad gubernationem ali-
„qvam ecclesiasticam vel politicam admoveri, nisi synodo
„generali Ecclesiæ aliter sancitum. Et ut maxime synodo
„ita decretum fuerit, nulla machinatione tamen enitendum,
„ut ullus pristinum locum recuperet, nisi Regis, Senatus
„populiqve Danici consentientibus suffragiis. Religioni re-
„formatæ velle universos adhærescere, ejusqve sinceræ do-
„ctrinæ inoffensum cursum adjuvare. Regi, tum religionis
„tum reipublicæ causa, si necesse sit, vitam & fortunas om-
„nes velle impendere.„ In hæc se mutuo obligabant, qvæ
& litteris consignata sunt, ac silentii fides sacramento ab sin-
gulis senatorum exacta, ne ante tempus consilium hoc ever-
tendi status ecclesiastici evulgaretur. Formidabilis enim
antistitum etiamnum potentia, eo Regi magis suspecta, qvo
animo erat ab illis & eorum religione alienior. Et nitebantur
adhuc non invalido tum nobilium tum plebejorum multo-
rum præsidio, nondum exstirpata prorsus ex animis omnium
superstitione. Itaqve visum tutissimum factu, ut ignari
omnium uno die cuncti opprimerentur.


Paulo autem postqvam hæc acta, Hafniam officii ergo Regem adierunt *Torbernus Billeus* Metropolitanus Lundensis & *Ronnovius* Roschildensis Antistites. Ibi illi jussu Regis inopinato a *Meliore Rantzovio* capti, *Billeus* in hospitio suo, *Ronnovius* in aedibus, qvæ tum antistitis erant, uterqve eo die simul epulati. Qvorum ille qvidem necessitati parens, sponte se dedidit; sed hic a militibus effracta vi porta in ædium interiora se proripiens, super laqvearia in fœdum latibulum conscenderat, ac demum undiqvaqve qvæsitus, postridie reperitur, violentus etiamnum contumelia, qvia tolerandi insolens. *Canutum Guldensternium* Antistitem Otthinianum, qvum sacris operatus ex *Albani* templo egrederetur, *Claudius Daba*, cum centurione Ger-

 ma-

An. 1536 mano opprimunt: qvi initio fremens & indignans, tandem lectis litteris Regiis, qvibus hoc ministerii mandabatur, acqvievit, nullo motu concito. Eadem mandata secutus *Johannes Rautzovius*, Antistites Jutiæ partim vi, partim astu adoritur, ac tandem in potestatem redactos ad Regem captivos adducit. *Georgius Frisius* Viburgensis, opera civium qvorundam prehensus est, qvum nihil mali sibi metuens, ad excipiendum *Rautzovium* honoris ergo extra portas castelli Hallensis esset egressus. Nam a Viburgensibus, interemto janitore, antistiti fugienti portæ obseratæ, qvem ita exclusum *Rautzovius* consecutus, mox ipso pariter ac castello potitur. Nec magna vis contra *Stigotum Crumpenum* Burglamensem adhibita, qvi in sua diœcesi longius dissita contra dolum minus paratus. Antistitem Arusiensem, qvia vi capi *Christianus* vetuerat, redigendi in ordinem major labor erat: Is enim castellum Silkeburgicum dedi non patiebatur, qvantumvis acriter *Rautzovius* id oppugnaret, sed per *Johannem Stugium* contra vim defendebat: Qvod & tenuit tantisper, donec ad *Christianum* scriberet; a qvo fiducia meritorum, qvorum, sub tribus Regibus Cancellarii munere functus, sibi conscius erat, petiit, ne id, sibi a collegio Arusiano fide jurisjurandi traditum, extorqveret, atqve ita perjurii reum faceret. Sed tametsi deprecatio ejus inanis, nolente Christiano qvemqvam antistitum diœceseos aut castellorum amplius compotem esse, tamen præ reliqvis ejus ratio habita, idqve honori ejus tributum, ut mitterentur *Johannes Frisius*, & *Olaus Rosæcrantzius*, qvi eum hortarentur ac monerent, ut Regis potestati se permitteret, ac jussis pareret. A qvibus persuasus, castello tradito, in Selandiam in ipsorum comitatu liber versans deducitur, usqvedum Roschildiam ventum, ubi demum, adhibito *Stenbergio*, militum custodia septus est. Ita & ille pro captivo asservatus est. Solus autem *Ivarus Munccius*, qvi antistes Ripensis fuerat, qvia jam antea deposita dignitate ecclesiastica, vitam privatam elegerat, & per invaletudinem senecta ad extremum vergente, nusqvam duci poterat, evasit captivitatis infortunium. Electus tamen *Olaus Munccius*, cum reliqvis eandem fortunæ necessitatem subiit. Ita capti antistites alii alio in custodiam dedun-

duntur, qvidam Draconiam, nonnulli Vordinburgum, *Crumpenus* Sunderburgum, & *Ronnovius* jam hac jam illa arce asservatus. Nam prout qvisqve modeste se gessit, & a contumeliis temperabat, ita humaniter habitus. Ac plerisqve, qvibus magis tractabile ingenium, liberatio contigit, non solum restitutis bonis hereditariis, sed etiam beneficia unde viverent, a Rege tributa. Cum *Ronnovio*, reliqvis ferociore, durius postea actum: qvi primum in regia Hafniensi detentus, inde Draconiam vectus, tum in arcem Helsinorensem, inde in Visbuensem, ac demum in Hafniensem ductus, donec tandem in custodia diem novissimum explevit. An. 1536.

Mox autem, captis antistitibus, bona ecclesiastica omnia, qvæ cujusqve diœceseos fuerant, & monasteria a Rege occupata. Qvi tamen usus insigni benignitate, conservavit qvinqve Collegia Canonicorum, ac in monasteriis vitam degere permisit, qvotqvot claustris istis exire nolebant: haud vetitis tamen ad ministerium evangelii adhiberi, qvi divinarum litterarum studio mediocri imbuti, ad docendum erant idonei.



NICOLAI CRAGII
ANNALIUM LIBER IV.

An. 1536. CHRISTIANUS, ne qvis publicum regni liberi statum injussu populi mutare eum criminaretur, indictis comitiis, ex plebe urbana ac rustica delectos, ex nobilitate superstites universos Hafniam vocat. Ordo ecclesiasticus, qvi captis antistitibus perturbatus erat, exclusus, ne dominari in comitiis assvetus, libertati suffragiorum officeret, qvia contra eum omnia fere tendebant. Qvum ergo ingens ex reliqvis duobus ordinibus hominum multitudo confluxisset, principio cum patribus actum de obligatione, qva jura nobilitatis & ordinum sacramento a Rege præstito confirmantur, qvibus ea verbis conciperetur, ac qvæ jura, immunitatesve superioribus adjungerentur, de qvibus postqvam utrinqve convenisset, convocata in forum concione, Rex & Senatus in pegmate ad eum usum exstructo consistens, populum circumstantem ex scripto per interpretem affatur. Exorsus autem a publicarum calamitatum miseratione, ostendit "ex animo se dolere infausta tempora, qvæ „rempublicam afflixerint. Ac malorum causam qvidem „merito ecclesiasticis imponi agnoscit; sed tamen reliqvos „ordines non ita culpa procul esse, ut prorsus innoxii sint. „Nam nobilitatem contra plebejos multa commisisse, ple„bem item contra nobiles ac proceres nimis infesto odio „exarsisse; ac utrosqve contra rempublicam multorum „criminum reos. Sed Regem omnibus ignoscere, ac pro „sua clementia delictorum gratiam facere inclinatum: Vi„dere enim, si omnia ad severæ justitiæ normam exigenda, „& vindicanda essent, nullum finem effundendi sangvinem fo-

„ fore. Nolle autem regnum a sangvine auspicari, sed potius benevolentia & gratia id erigere & instaurare. Svadere, monere, rogare, itidem illi ex animo faciant, ac mutua delicta reipublicæ condonent.„ Hac sua moderatione & commonefactione coaluisse qvodammodo nobilitatis ac plebis animos existimans, mox prolixam adversus qvemlibet antistitem pertexit accusationem, memoratis dictis & factis, qvibus rempublicam læsissent, aut Regem offendissent. Alia aliis objecta, qvorum pleraqve erant, qvæ extremis suppliciis vindicari jure solent. Uni eorum præ reliqvis exprobratum, qvod mens meminisse horret; "optasse eum in diabolum „transformari, ut animam *Friderici*, hæresi infectam, apud „inferos qvanto vellet cruciatu posset affligere.„ Universi autem hoc nomine maxime insimulati, qvod doctrinæ re-„formatæ pertinaciter omnibus viribus obstitissent; qvod „Evangelii doctores implacabili odio essent persecuti; qvod „jura regni suis statutis & decretis antiqvassent; qvodqve „in sua qvisqve diœcesi, nec prorsus Pontificii nec Luthera-„ni, regnum sibi erigere constituissent. Eis de causis anti-„stitibus electioni Regis intercedentibus, rempublicam ac-„cepisse cladem, qvæ modo ante oculos versetur. Hæc & „ejusmodi innumera per summum dedecus & flagitium „antistites patrasse, ideoqve visum intolerandam ipsorum „superbiam esse, & exitiosam dominationem; proinde „placere ecclesiasticam illam dignitatem in perpetuum abo-„leri, ut potestas omnis reipublicæ deinceps penes proceres „laicos sit. Doctrinam etiam velle reformari, ac religio-„nem ritusqve ecclesiæ Romanæ cessare; ita tamen, ut si „qvi sint, qvi Pontificiis renunciare nolint, non idcirco dis-„sentientes malevolentiam formident, nedum ut vi contra „conscientiam adigantur; sed ex verbo Dei de veritate po-„tius erudiantur: Tum si parere recusent, reddituros ipsos Deo „fidei rationem. Se nihilominus agnitam veritatem deserere „nolle. Qvod si autem pariter illi doctrinam puriorem ample-„ctantur, & ecclesiasticam dignitatem abrogatam velint, haud „dubie passuros bona ecclesiasticorum in fiscum redigi; qvod „non videantur in meliorem alium usum converti posse, qvam „ut inde æs alienum tempore belli conflatum dissolvi, & plebs

An. 1536.

 tri-

An. 1536. „tributorum exactionibus liberari facilius qveat. Nec tamen „cenſere ita prorſus omnia fiſco vindicanda, qvin ad pios „uſus remaneant. Nam jura patronatus, qvæ nobilibus „competunt, ſerventur; fundi & prædia eccleſiis ſuis ma„neant; decimæ etiam pro Superintendentibus & aliis do„ctis viris alendis inferantur; Academia neceſſariis profeſſo„rum ſtipendiis inſtauretur: Collegia canonicorum & vi„cariorum, cum prælaturis & præpoſituris, ſua retineant: „Reformatis cænobiis, monachi & virgines ibi, ſi velint, „alantur: & noſocomiis aut ptochotrophiis erigendis de pro„ventibus proſpiciatur. Atqve hæc de rebus ſacris ſtatuta, „aliis non omiſſis, ſed cura reipublicæ etiam ſuſcepta, ut „qvoqvo modo reſtituatur. Deprehendiſſe autem ſcaturi„ginem malorum omnium fuiſſe, qvod in tempore de ſuc„ceſſore Regis defuncti nihil fuerat decretum. Exiſtimare „itaqve ad ſalutem regni eſſe, ut provideatur, ne unqvam „reſpublica in hoc infortunium recidat. Id fieri poſſe, ſi „Regiam legem ſeu conſtitutionem condere placeat, juben„tem ſucceſſorem deſignari, qvi decedente Rege imperium „capeſſat. Qvo adducta vicinorum populorum exempla, „qvorum Germanos habere Regem Romanorum, Gallos „Delphinum, Hiſpanos Infantem, Anglos Principem, qvem „declaratum priori ſucceſſorem omnes agnoſcant. Id inſti„tutum Danis etiam ſeqvendum, ſi vitare ſeditiones velint; „documento ex ſuperiorum temporum motibus perqvam „luculento. Veruntamen teſtem Deum facere, non id „ſua cauſa agi, nec fratribus præjudicium allatum velle, ſed „tantum reipublicæ ſaluti conſultum. Cujus haud mini„mam infelicitatem eam eſſe, qvod jura legesqve multis „modis interpolata, & introductis variis conſvetudinibus ac „ſtatutis judiciorum ratio labefactata. Deliberaſſe ergo cum „ſenatu etiam de legum emendatione ac judiciorum inſtau„ratione, conſcriptis legibus & formulis, qvibus judices ſe „jure jurando aſtringant. Eas leges, deinceps recitatas, in„dicat publico bono ita ſancitas, ut jura nobilitatis & plebis „tueantur: Utriqve enim ordini conſultum ſe voluiſſe; ideo „& nobilitati, ut immunitatibus pridem impetratis ac jam „deſideratis gaudeat, indultum: plebi permiſſum eſſe com-

mer-

„ mercia, opificia & alia pro cujusqve vitæ genere exercere; „ sed ei interdictum fundos nobilium comparare, aut sibi „ obligare. Tandem qvia insolentius se plebs gessisset, qvam „ par erat, sententiam suam esse, deprecatione culpæ gratiam a nobilitate orandam, qvæ &, se intercedente, noxam remissura, promisisset, ut ita injuriarum omnium in „ perpetuum memoria obliteretur ac inducatur. Horum „ omnium patres secum auctores factos, eisqve cuncta probari: restare igitur tantum, ut eadem populus jubeat, „ velitqve. „ An. 1536.

Tum hujus scripti post qvartam horam demum recitatione finita, populus uno ore exclamans, scivit, uti rogasset. Itaqve perlata rogatione, tabulæ publicæ confectæ, qvibus continebantur hæc omnia decreta, insertis nobilium universorum & delectorum ex plebe nominibus, vulgo *Recessum* vocant. Atqve ad eum modum supremus Senatus, in qvem ecclesiastici, videlicet Antistites omnes, & Abbates qvidam, nec non Priores, ordinante ita Sancto *Canuto*, annis abhinc plus minus trecentis qvinqvaginta, cooptati erant, qvi & auctoritate semper prævaluere, ex solis laicis (ut vocabant) constare cœpit: ecclesiasticis ad parendi necessitatem dejectis, ut nullum in Senatu amplius suffragii jus habeant. His cum populo actis, qvilibet in publico gaudio lætus, & jam bonæ spei plenus domum se recipiebant. Senatus tum multis de causis aliis cum Rege mansit, tum ut successurus in regnum nominaretur.

In qva deliberatione Rex qvidem fratrem *Johannem* successorem dicendum censuit. Sed eam sententiam pauci saltim secuti, *Johanni* jurejurando obstricti; eo tamen magis, qvod ætas adultior, & spem laudabilis Principis jam de se præbuerat. Alii autem merita Regis, reipublicæ liberatoris, pluris faciebant, qvibus dandum, ut successionis spes in filium *Fridericum* transferretur. Qvorum sententia, a nemine pertinaciter oppugnata, vicit. De forma gubernationis, per minorem ejus ætatem constituenda, si qvid humanitus Regi contingeret, major disceptatio fuit. Erant

 qvi

An. 1536. qvi Reginæ matri adjungi qvosdam ſenatores vellent, atqve eis ſimul reipublicæ gubernationem committendam. Aliis alia ratio placuit: nec de hac re conveniri potuit. Qvæ & eo tutius prolata, qvo firmior valetudine & validior robore Rex, qvam ut mortis metu urgeret. Senatusconſultum tamen factum, ut deinceps, dum in vivis Rex eſſet, ſucceſſor Principis nomine declaretur, & qvidem *Friderico* jam regnum moriente patre deſtinatum.

At vero Rex qvî eccleſiaſticorum bonorum, qvæ fiſco vindicabantur, poſſeſſionem cerneret, prius *Lutheri* conſilium de iis & antiſtitibus captis ſciſcitatus fuerat. Cujus ea ſententia: "captivitatem antiſtitum, utpote a perſecutione „verbi Dei non ceſſantium, & rempublicam pariter perturbantium, defendi qvidem poſſe, ac ſe velle hoc factum excuſare ac propugnare, qvam poſſet validiſſime. Veruntamen ex bonis eccleſiaſticis in publicum addictis tantum „pro miniſterio reſervandum, ut docentes habeant, qvo „mediocriter ſuſtentari qveant: alioqvin metuendum, iis „diſſipatis, unde ſuppetat qvo docentes alantur. Qvod „qvidem *Lutherus* ajebat a ſe moneri forte non neceſſe, „præſertim Regem tam pium, qvi absqve eo officium ſit „facturus: ſed aliorum exemplo excitari, qvibus niſi reſtitiſſent pii Principes, in iis partibus omnia ad ſe rapuiſſent: „Qvales ſi aliqvi in Dania a Satana exſuſcitentur, Regi optare a Deo, ut eccleſiarum neceſſitatem recte meditetur, „id eſt, verbi Dei, unde qvi jam ſunt, & futuri erunt, æternam ſalutem diſcant, & damnationem ſempiternam evitent: Nam in verbo omnia ſita eſſe.„ Hæc *Lutheri* ad *Chriſtianum* fere verba: atqve hoc graviſſimum ejus de bonis eccleſiaſticis conſilium. Qvod ſecutus Rex, reliqva qvidem in uſum Eccleſiarum, Scholarum, Academiæ, Noſocomiorum contulit; caſtella antiſtitum & monaſteria pleraqve ſub jus fiſci redegit. Qvorum tamen complura tum & deinceps a fiſco alienata; aliqva donatione in bene meritos collata; qvædam venditione aut permutatione diſtracta; nonnulla nobilibus fruenda data & locata, rationibus obnoxia, aut certa penſione fiſco qvotannis inferenda.

Hæc

Hæc Regi agenti, a consiliis semper erat Senatus, suamqve auctoritatem accommodabat, sed ad paucos redactus. Nam complures patrum nondum in gratiam redierant, ex qvo hostium potiti sunt. Mox tamen qvi ab Oldenburgico & Megalopolitano in captivitatem abducti fuerant, acceptis Hamburgi publicæ fidei litteris, domum reversi sunt. Qvi tum aliorum intercessione, tum supplici sua deprecatione delictorum veniam impetrant. Ac mox restituti Senatui, qvæ patres reliqvi de ecclesiasticæ dignitatis abrogatione, & *Friderici* designatione, aliaqve omnia de statu regni in comitiis populo probata, suffragiis suis confirmant. Qvorum in pari causa erant *Jacobus Hardenbergius*, *Nicolaus Longus*, *Hilarius Romnovius*, *Canutus Sparræus*, *Matthias Bollius*, *Ericus Bollius*, *Canutus Guldensternius:* non qvidem sponte fide rupta, desertæ reipublicæ rei, sed crimini saltim fuit, qvod vitam & fortunas omnes, ad extremum contra hostem perdurantes, reipublicæ non impendissent. In pejore causa erant *Ottho Crumpenus*, *Johannes Billeus* & *Andreas Billeus*; qvia & facilius hosti accesserant, & beneficiis acceptis ei se obligarant. Qvibus Rex idcirco ad indulgendam veniam se difficiliorem præbuit. Qvamvis & illi, nobilium matronarum ac virginum intercessione, dignitati pristinæ etiam redditi: Ac universi pariter fidem litteris obligarunt, datis insuper sponsoribus, ne qvid unqvam contra Regem, rempublicam, atqve qvæ jam acta comitiis essent, molirentur. Tandemqve ita in supremum ordinem aliis restitutis, aliis allectis, Senatus ad justum numerum completus: atqve ita regni potestas & authoritas summa Regi ac Senatui confirmata. An. 1536.

Cujus auctoritate per eosdem fere dies cum legatis Sveticis, *Laurentio Sigenio* Mareschallo, *Gustavo Olai*, & *Christophoro Andreæ* fœdus convenit, qvo sancita horum regnorum arcta conjunctio, ad mutuum auxilium ferendum: simulqve decretum, qvomodo de litibus publicis vel privatis habendum sit, & de commerciorum mutuo usu. Qvod tamen signatum a Rege Daniæ & Senatoribus plerisqve,

An. 1536. *Guſtavus* ratum non habuit, qvia in provincias qvasdam, qvod ſibi vindicabat juris non fuerat reſervatum, & controverſiæ de finibus aliqvibus non erant deciſæ. Legati etiam in Belgium ad *Mariam* decreto Senatus miſſi, qvi fœdus Gandavenſe renovatum confirmari peterent, poſtulata haud obtinuere. Dies tamen dictus, qvo utrinqve legati Hamburgum convenirent, ubi de hac re ageretur. Atqve ita ſalus aliqva *Chriſtiani* moderatione & prudentia rebus fere perditis affulſit, & reſpublica Danica qvodammodo caput attollere cœpit.

Interim vero in Norvegia toto hoc anno cum ingentibus turbis conflictatum: ubi res eo loco erant, ut iſtud regnum a paucorum fide aptum eſſet. Metropolitanus enim Nidroſienſis offenſus, qvod cismontani, auctoritate ſua ſpreta, ab ipſius conſiliis diſceſſiſſent, tum potentiores, tum plebem ſibi adjunxerat, certus in *Chriſtiani* electionem neqvaqvam conſentire. A qvo qvum comitia, hujus anni initio, Regi creando Nidroſiam indicta fuiſſent, miſſi ſunt eo a *Chriſtiano* legati *Johannes Revæus* antiſtes Aslöenſis, *Claudius Billeus* & *Vincentius Longus*. Qvi adulta jam hyeme ipſo brumæ tempore, per ſcopulos Norvegiæ glacie ac nivibus obtectos, Nidroſiam penetrarunt. Ii humaniter a Metropolitano accepti, ilico Regis mandata proceribus Norvagicis exponunt, petere " *Chriſtianum* Norvagii Regem, „ pariter ut Dani, deſignatum cognoſcant. Simulqve tri„ butum belli oneribus ferendis inferant. Proceres qvidem utriusqve bonam ſpem legatis fecere: placuit tamen in concione ad populum de iis rebus referri, qvæ in biduo futura. Interim dum concio indicta expectatur, emanat in vulgus, qvid a *Chriſtiano* deſideratum. Itaqve plebs fremere & indignari, qvod nondum Rex creatus tributum imperaret, atqve hoc initium pro gravis & intolerabilis imperii augurio accipiebant. Sed nihil tentatum, priusqvam de Metropolitani voluntate conſtaret. Ad qvem miſſi delecti ex plebe, qvi ejus conſilium ſciſcitarentur, ſimulqve rogarent, ut regno Norvegiæ nec non afflictæ plebi pro ſua benignitate conſuleret. Qvibus auditis, Metropolitanus non

ſolum.

solum plebem a turbulentis consiliis non deterret, sed seditiosos magis instigat & confirmat. Qvum ergo is abhorrere a plebis consilio non videretur, ingens multitudo hominum in curiam ejus confluit, qverens graviter de Senatoribus Norvagicis in partibus cismontanis, qvod indictis superiore anno in dominicam trinitatis comitiis Regiis venire detrectassent, ac neqve iis ad Johannis festum prolatis comparuissent. Nam tum excusationem saltim allatam, qvod per belli pericula, obsesso ab hostibus mari & portubus, accedere Nidrosiam non possent. Repetitumqve *Johanniem Revæum* antistitem Aslöensem, *Martinum Crabbam* Præpositum, *Vincentium Longum*, & *Ericum Ugeropium*, *Christiano* fidem dedisse; Atqve ab iis ita non solum plebem frustratam, sed Metropolitano qvoqve turpiter illusum. Rogare igitur eum, "ne Regem fieri patiatur, qvi nec unanimi Senatus consilio sit designatus, neqve eo loco Rex declaratus, ubi lex Regia reqvirit. Præsertim qvum tam importune iniqvus ac gravis reipublicæ sit, ut nondum juribus regni atqve ordinum pro more confirmatis, haud dubitarit tributum irrogare.„ Metropolitano non minus ægre erat, qvod cismontani & alii qvidam ipso inconsulto *Christianum* Regem agnoverant, qvam plebi, qvod tributum exactum. Itaqve utrisqve offensis, auctore Metropolitano, plebs scivit, ut *Magnus* Antistes Hammerensis, *Revæus* Aslöensis, *Claudius Billeus* caperentur; reliqvi *Vincentius Longus*, *Martinus Crabba*, *Ericus Vgeropius*, *Ericus Haccius* plecterentur capite, ubicunqve deprehensi essent. Vix hæc utrinqve statuta, qvum furore adhuc recenti plebs in hospitium *Vincentii Longi* irrumpens, ipsum confodit. *Nicolaus Luccius* & ipse a plebe obtruncatus, sed propter incestum cum sorore conjugis suæ commissum, uti plebs ferebat. Qvamvis verior causa erat, qvod metropolitani machinationibus adversatus fuerat, ex qvo superiore anno pariter cum ipso regnum *Christiano* detulisset. Ab eo enim tempore semper animo metropolitani diffidentia inhæsit, ut timidius deinceps de rebus Norvagicis cum eo, cujus mentem explorarat, communicaret. Iis sublatis, nulla mora intercedente, properatum est ad legatos capiendos: An. 1536.

An. 1536. qvi ubi vident, nec innocentia nec gentium jure ſe tutos, furori plebis cedentes, ſe dedunt. Captusqve una *Æſchylus Billeus.* Atqve hi in inſulam, *Monachorum* dictam, urbi vicinam, qvæ metropolitani erat, avecti, ibi in cuſtodiam deduntur.

His Nidroſiæ a plebe patratis, qvum ex litteris ipſorum Bergenſes de omnibus certiores facti eſſent, didita mox fama per totam Norvegiam, *Chriſtianum* ſpe regni dejectum, magnum itidem in cismontanis partibus tumultum excivit. Nam plebs ibi pariter de tributo indignata, abjecit obedientiam, revocante fruſtra *Erico Guldenſternio*, minataqve malum eſt univerſis, qvi *Chriſtiano* adhæreſcerent. Ubi ſeditio, auctore *Magno* Hamerenſi antiſtite, & *Gvidone Gallæo*, ſuſcitata, eo gliſcebat magis, qvo *Guldenſternius* ferocius ageret. Qvi non ſolum prædium *Gvidonis Gallæi* incendit, ſed nonnullos etiam privatim ob recuſatum tributum male mulctavit. Ac viciſſim ipſius *Guldenſternii* prædium crematum, qvi nec usqvam a plebe jam irritata tutus, niſi caſtello Aggeruſiano, ubi regium præſidem agebat.

Sed tum hic, tum ibi haud multo poſt tumultus ſedatus, initio a Metropolitano tumultus auctore facto, qvi pœnitens facti, mittit ſuos ad *Billeos* captivos pertentatum. Qvos ille ubi æqviore animo injuriam ferre (ut neceſſe erat,) comperit, cuſtodia relaxatos dimittit. Antiſtitem Asloenſem retinere qvidem in animo erat; ſed *Billei* ſuo conſilio & auctoritate obtinuerunt a metropolitano, ut eum qvoqve miſſum faceret. Nam metropolitanus jam pravi facinoris conſcientia ſtimulatus, non potuit non metuere pœnas violati juris gentium, & ſpretæ petitionis Regiæ. Itaqve dimiſſurus legatos, non ſolum cum iis amicitiam redintegrat; ſed & auctoritate, qva apud Regem pollebant, confiſus, ipſis & amicis eorum interceſſoribus ſpem gratiæ præſumit. Atqve ut de fide ejus viciſſim minus dubitare eſſet, legatis mandata ad Regem perferenda ſcripto tradit, ſimulqve per litteras ſe obſtringit, qvibus ampliſſima a ſe promittit. Mandatis continebatur, ut Regi tum cædem *Vincentii Longi,*

gi, tum alia contra electionem Regis structa excusarent. Litteris promittebatur "fore, si Rex designatus metropolitanum de gratia securum præstet, ac veniam delictorum omnium litteris obsignet, tam qvæ adversus *Fridericum* patrem commissa, qvam adversus ipsum *Christianum* patrata, inprimis ne legatorum detentio irato animo accipiatur; ne cædes *Vincenta Longi* vindicetur, ne oppugnatio *Erici Guldensternii* ipsi imputetur, neve recusatio Regis & electionis in cismontanis partibus facta oppugnatio fraudi sit. Hæc si Rex propitius promittat, tum vicissim habiturum eum pro Rege, auxilia ex regno suppeditaturum, a bello & seditione qvieturum; regnorum conjunctionem non soluturum: sed comitia inprimis habiturum, qvibus unanimi consensu, magno cum honore Rex renuncietur. Atqve legatos ex regni senatoribus mittendos, qvi litteras de hisce ferant, ac simul confirmationem privilegiorum ac immunitatum accipiant." In qvibus omnibus qvum legati sedulo operam se navaturos promisissent, a metropolitano benigne dimittuntur. Qvi in reditu Bergas primum appellunt, ut ibi res seditione illa Nidrosiensi turbatas restituerent. Cui rei dum diutius incumbunt, *Æschylus Billeus*, præmonitis Norvegiæ proceribus, tanqvam ejus regni & Senatus ibi aliqvota pars, electionem Regis ratam habet, litteris confirmat, idemqve reliqvi ut facerent studet. Conjungunt consensum cum *Billeo Oscoldus* Stavangriensis antistes, *Johannes Crucovius*, regni senator, sacerdotes collegii Bergensis, atqve urbis senatus. Qvod *Æschylus* postea, missis ad comitia ministris suis cum mandatis ac legatorum potestate, Regi nunciat. Mox descendentibus Asloam legatis, qva iter fuit, Regi omnes accedunt, Nobiles, Abbates, & plebs universa. *Gvidoni Gallæo* gravius offensi legati ob inimicitias cum *Guldensternio* susceptas, qvam ut facile ipsi ignoscerent: Veruntamen ubi plebs rustica provinciæ Borgesyssel luculentissimum testimonium innocentiæ ejus perhibuisset, etiam ipsi, fidem suam in *Christiani* electionem assentiendo probanti, venia indulta. Itaqve inde spe erecti, ex omnibus partibus provinciæ Agerhusianæ Asloam delecti mittuntur, uti jussi fuerant, qvi plebis

An. 1536.

An. 1536. nomine cum Legatis tranſigant. Qvibus tum ſpes veniæ facta, ſi deinceps non parere recuſent, nec vectigalia debita ſolvere detrectent. Res tamen integra Regis & Senatus cognitioni ſine præjudicio reſervatur, ita ut veniam, tum demum, qvum Rex reſponſum dederit, pro ea, qvæ ipſius erga omnes eſt clementia, expectare poſſint.

Atqve ita in partibus cismontanis, qvum nulli non Regi fidem dare parati eſſent, res ibi pacatæ, & ſtatus regni Norvegici ad tranqvillitatem aliqvalem redactus. Ex legatis *Revæus* itinere fatigatus, domi remanſit, Regi ſe litteris excuſans, & fidei *Claudii Billei* omnia committens. Qvo referente, qvæ legatione iſta in Norvegia geſta eſſent, reliqvis qvidem ignoſcendum, Rex & Senatus cenſuere, & gratiæ beneficium promiſſum ſervandum: At metropolitani perfidam crudelitatem, & projectam audaciam haud inultam voluere: Contra qvem, promiſſis a ſenatu & nobilitate auxiliis, bellum decretum, fruſtra intercedente *Æſchylo Billeo*, qvi rogatu metropolitani bellum iisdem, qvas ad Regem de electione ſcripſit, litteris deprecatus, diſſvaſerat exercitum in Norvegiam tranſportari. "Nam regnum pridem afflictum ſi miles ingrediatur, prorſus exhauſtum fore. Poſſe gratiam indulgendo facile rerum ibi potiri, omnesqve incolas jam ei acceſſuros. Metropolitanum qvoqve juſſa facere paratum, nec Regis electioni ulla ratione adverſaturum. Sed Rex deſignatus noluit metropolitanum impune habere, qvod patrarat, gnarus non fuiſſe antehac eam hominis conſtantiam & ſinceritatem, ut ad officium niſi coactus reduceretur. Itaqve eo in propoſito perſeverante, copiæ undiqvaqve contractæ *Trugoto Ulſtandio* & *Chriſtophoro Hvitfeldio* traduntur, Nidroſiam ad oppugnandum metropolitanum vehendæ, qvam ad rem parata claſſis præfecto *Joſepho Falſtrio*.

An. 1537. Qvum igitur metropolitanus accepiſſet, a Rege deſignato exercitum in Norvegiam parari, ut adventum ejus præveniret, fugam meditari cœpit: atqve ad eam rem, qvæcunqve poteſt, comparat. Arcem igitur, impoſito præſidio, decano & ſacerdotibus collegii Nidroſienſis, nec non nobi-

libus

libus qvibusdam committit, eorum fidem ſibi ſacramento obſtringens. Ipſe interim in naves, qvas qvatuor adornarat, qvicqvid erat auri, argenti, tum in ſuis, tum in eccleſiæ theſauris, invehit, cum tormentis bellicis, & aliis rebus, qvibus pretium. Adeoqve caſtellum ipſum nudavit, ut ne pulverem qvidem nitratum, qvantum opus erat, relinqveret. De qvo remittendo interpellatus, promiſit qvidem per *Thorphinum Olai*, qvi ea de cauſa comitabatur, in naves etiam ſeptem, ſub *Inſula Monachorum* ad anchoras ſtantes, qvantum ſatis eſſet remiſſurum: ſed eum tamen inanem prorſus in oppidum redire juſſit. Fidem etiam dederat ſacerdotibus collegii, fraudi haud futuram cædem *Nicolai Luccii*, eoqve nomine ſcriptam in pergamena cautionem traditurum nobili cuidam *Chriſtophoro Nicolai*, ad mare ipſum deducturo. Sed neqve hic promiſſa impleta ſunt. Utrobiqve enim eos fruſtratus, flantibus ventis recta curſum in Hollandiam tenuit, ſi qva ſpes reditus poſtea affulgere poſſet, præſtolaturus. Nec qvam in diſceſſu ab aliis exigebat fidem, ipſe in rebus qvidem leviculis præſtitit. Mox adulto vere, ac fuga elapſo, copiæ Regiæ advectæ: qvæ facta exſcenſione, pars late per agros vagantur, pars obſidionem caſtelli, caſtris poſitis inſtituunt. At qvi in præſidio erant, qvoad ſuppetebat, unde obſidionem tolerarent, arcem contra vim tenuere. Sed qvum imparati ad diuturniorem obſidionem eſſent, & jam neceſſariis fere deſtituerentur, cœpere cum popularibus ſuis, qvi centuriones & legati in caſtris iisdem *Chriſtiano* militabant, permiſſu ducum de pacis conditionibus agitare. Qvæ haud difficulter convenerunt, utrisqve in tam turbulento regni ſtatu pacem incertæ belli aleæ præoptantibus. Itaqve qvum eæ a ducibus ratæ habitæ eſſent, nulla arcis deditioni mora facta. Erant autem ejusmodi, ut cum obſeſſis haud iniqve actum ſit; qvippe qvibus de gratia Regia cautum, ut ſalvas fortunas ſuas efferre liceret, & retinerent beneficia eccleſiaſtica ad extremum vitæ, neqve fraudi eſſet aut cædes *Vincentii Longi*, aut dedecori apud qvenqvam deditio. Caſtellum ita deditum, a *Trugoto Ulſtandio* traditur *Hvitfeldio* ſervandum in fide Regis aut Senatus, ſi Regi qvid humanitus con- An. 1537.

Bb 2 tin-

An. 1537. tingeret, eadem lege, qva reliqvæ arces Daniæ & Norvegiæ. Relictus ita cum mediocri præsidio in borealibus partibus *Hvitfeldius*, ne qva plebis motus ibi oriretur, Norvegiam transmontanam moderatione sua tranqvillam præstitit. Reliqvæ copiæ, denuo navibus conscensis, ad inferiora Norvegiæ Hameræam transportantur: Bergis relictis, qvia mortuo antistite, omnia virtute *Æschyli Billei* pacata. Oppidum ipsum sine magno labore ac periculo occupatum. Verum antistes, qvi & prius a metropolitano steterat, nec etiamnum in *Christianum* consentire in animum induxerat; curiam suam contra vim aliqvousqve defendit, præsidio & tormentis aliisqve necessariis ad eam rem instructus. Tandem elapsis aliqvot diebus, qvum se arctius premi cerneret, qvam ut durare contra tantam vim posset, fide publica ad finem unius diei accepta, cum *Ulstandio* acturus in templum cathedrale descendit, ubi multis ultro citroqve habitis sermonibus, tandem stipulatus certas qvasdam conditiones de vitæ fortunarumqve incolumitate & vivendi ratione, se suaqve in potestatem Regis dedit. Ejus curia tradita *Theodoro Russo*, donec Rex designatus qvid de illa fieri vellet, statueret. *Johannes Revæus* antistes Asloensis, qvum eo ventum esset, reliqvorum malis cautior, nihil contra regios molitur. Qvin ipse paulo post in Daniam profectus, Regis potestati, qvæ suæ dioeceseos erant, abdicato sponte antistitis officio, permittit, simulqve probat, qvæ a Senatu populoqve de abrogatione antistitum & religionis mutatione sancita fuerant.

Qvæ qvum Regi ad voluntatem affluerent, tum vero accessit ea insignis felicitas, qvod a duobus potentissimis Regibus, Gallo & Scoto, foedus & amicitia oblata: Missus eo nomine denuo ex Gallia *Georgius Lucchius*, qvi ab utroqve litteras officii & benevolentiæ plenas attulit. Gallo tum temporis cum Imperatore in Pedemontio bellum erat, eapropter amicitiam *Christiani*, qvi eundem hostem habebat, expetebat, ostenditqve se in eo esse, ut qvatuor simul Reges foedus contra Imperatorem, monarchiam in Europa sibi erigere affectantem, jungant, qvorum præter Anglum &

& Scotum unum esse Danum velit. Scotus recens cum Gallo affinitatem contraxerat, ideo & illi curæ fuit amicos, qvos socer alicujus faciebat, sibi adjungere. Tametsi ipsi sua qvadam de causa etiam Imperator invisus, nempe qvod petenti uxorem *Christinam*, *Christierni* Regis captivi ex *Isabella* filiam, Mediolanensis affinis fuisset prælatus. Huic a *Christiano* responsum, non ingratum fore, qvandocunqve placeret ea de causa legatos in Daniam amandare. *Christianus* enim ejus amicitiam haud aspernatus, ne qva Gallus offenderetur: alias tamen erat, cur eam non magnopere cordi esse oporteret. Nam rogatus auxilia belli tempore, contra *Christiernum* & Lubecenses, pari utriusqve Regis propinqvitate se excusaverat. An. 1537.

At cum Burgundis haud multo post induciæ eo lubentius factæ, qvia belli jam pertæsum. Hamburgenses eam operam sibi præcipue sumserant, tum ut commercia maritima, qvæ belli tempore fere cessarant, tutiora sibi redderent, tum ut Regi designato hoc officii præstarent. Hi per litteras primo *Mariæ* animum explorarant, an passura de pacis æqvis conditionibus agi. Qvam ubi haud se difficilem præbere compererunt, auctores *Christiano* fuere, ut legatos eo nomine cum suis in Belgium conjungeret. Ille pacis semper cupidus, haud recusavit, qvin cum mandatis ad eam ablegaret. Bruxellis acta res est non sine animorum dissidio & contentione, qvia acceptam injuriam utraqve pars alteri imputabat. Nec de pace convenire poterat, sed tantum inducias in triennium pacti, qvæ his conditionibus sunt constitutæ: „*Christianus* refunderet Transisulanis, Da„ventriensibus, Zwollensibus, & Campensibus, nec non „Groningensibus mercium, tempore obsidionis Hafniensis „publicatarum, pretium, idqve ad æstimationem qvatuor „idoneorum hominum, qvi Hamburgi e civibus deligeren„tur. Sed earum duntaxat mercium, qvæ a Calendis Fe„bruarii distractæ & alienatæ fuerant, expendenda in solu„tionem pecunia, trimestri ab æstimatione facta spacio. „Reliqvarum vero, qvæ ante eum diem venditæ, tum de„mum pretium exsolvendum, qvum pax certa utrinqve

An. 1537. „conveniret, æstimandis iis pariter a qvatuor civibus Hamburgensibus, eadem ratione qva reliqvis.„ Ac vicissim a *Maria* postulatum, sine pretio dimitteret, qvos Regi militantes in Frisia capi contigerat. Sed impetrari non poterat, ut eos liberos diutius faceret, qvam qvoad induciæ exspirarent. Ac neqve omnibus captivis *Maria* hoc indulgere voluit; tametsi bonam spem verbis faceret. Qvin dimissis legatis, priusqvam captivi nexu liberarentur, obligare fidem jussit, simul ac repeterentur in custodiam, haud moram facturos, qvin se in ejus potestatem denuo sisterent.

Et *Christianus* qvidem, tametsi legati, impellentibus Hamburgensibus, aliqvantum mandata excesserant, tum aliis modis, tum spondendo iis restitutionem, qvi in partibus fuerant, rata tamen habuit, qvæ ab eis acta erant. Nam æstimatione mercium facta, aliqvotam partem pretii repræsentans, de reliqvis cum Transisulanorum procuratore ad certum diem transegit. At vero a Burgundis tametsi induciæ acceptæ, tamen non uno saltim modo fraus facta. Renunciante Transisulanorum procuratore, qvid Hamburgi actum, *Maria* ipsa certa jam fidei Regiæ, haud multo post *Meinardum Hammam* & *Grollium* sub fide data in custodiam revocat, prætextu sumpto, tanqvam cum Geldro communicatis consiliis rebus novis ibi studerent. Neqve a *Friderico* Palatino induciarum fides sincere servata. Is enim, qvia expresse simul induciis comprehensus non erat, putabat ad se non pertinere, qvæ inter *Mariam* & *Christianum* pacta intercesserant. Qvi audito *Christianum* jam utriusqve regni potentem, non ausus ipse Daniam bello aperto adoriri, veterem stipendii & rapto vivere svetum *Ubelacherum*, ministrum audacis facinoris conducit. Datum ei negotium, ut in Westphalia & vicinis provinciis, qvam celerrime & occultissime fieri posset, milite coacto ad viginti millia, primo *Caroli* Geldri Comitatum Bergensem invaderet: mox inde juncturus suas cum Palatini copiis, in Daniam ex improviso uterqve irrueret. Hoc evulgato Palatini consilio, anteqvam justas copias *Ubelacherus* conficeret, in ipso conatu a Geldro est oppressus. Simulatqve enim comitatum Bergensem in-

ingressus, cremare paucos pagos, & spoliare nonnulla templa coepisset, cum aliqvali exercitu obviam procedens Geldrus, copias ejus facili negotio fugat, eum vivum capit. In qvem, apud judices pro latrone & incendiario reum factum, ea sententia lata, ut vita vel mors ejus in arbitrio & potestate Geldri esset. Sed *Ubelacherus* subjectus qvæstoni, qvum de Palatini & suo contra Daniam & Geldriam proposito confessus fuisset, qvodqve hæc, instigantibus & clam suppeditantibus pecuniam Burgundis hostibus, aggredi ausus fuisset, capite supplicium luit. Qvod & Rex & Saxoniæ Elector per litteras a Geldro petierant. Sed priusqvam eæ exhiberentur, truncatæ ita alæ *Ubelacheri*, ut nocendi cuipiam periculum amplius nullum esset. Hæc enim verba in Geldri responso ad utrumqve perscripta. An. 1537.

Interim litteræ hinc inde ad Reges & Principes propinqvos, atqve vicinas civitates dantur, qvibus ad festiva & publica Regiæ inaugurationis solennia invitantur. Qvæ ne foedarentur communi antistitum captorum & amicorum luctu, inter qvos complures viri primarii, decus honori Regio addituri, neve in totius populi gaudio ii soli tenebris & sqvalore obruti jacerent, dimittere eos e custodia libuit. Horum non erant omnes in pari causa: Sed alii ante captivitatem minus turbarum dederant, & postqvam capti, modestius verbis se erga Regem gesserant. His primum gratia facta, latis conditionibus ut probarent, qvæ populus de reformanda religione & ordine ecclesiastico abrogando sanxisset. In qvæ qvum fidem suam obligassent *Torbernus Billeus*, *Avo Billeus*, *Canutus Guldensternius*, simulqve promisissent, nihil unqvam contra statum præsentem regni pro ordine ecclesiastico molituros & in ea sponsores Regi dedissent, aucti honoribus & beneficia ab eo consecuti, liberantur. *Olao Munccio* vero, post aliqvantum temporis dimisso, qvia ætas ita ferebat, præterea impositum, ut uxorem duceret. Ea ratione existimabatur, facilius animo exemtum iri religionis Pontificiæ cogitationem, minusqve deinceps ad ordinem ecclesiasticum juvenem honoris avidum anhelaturum. *Johannem Revæum* facile eo etiam tra-

An. 1537. traxit horum antistitum exemplum, ut ille qvoqvè dignitatem ecclesiasticam deponeret, & decreta comitiorum Danicorum rata haberet; qvo facto liberationem impetravit. Reliqvi tardius relaxati: *Frisius* anno proximo: *Crumpenus* aliqvot post annis, interim Sunderburgi asservatus. *Ronnovius* postqvam ad varia loca translatus, tandem captivus mortuus. Etenim ferocior is ingenio, causæ etiam fiducia pertendebat, qvia, soluta pro diœcesi pecunia, cautum ei litteris a Rege defuncto & Senatu fuerat, in jure suo haud turbatum iri, damno luendo si secus fieret. Hanc autem iis gratiam a *Christiano* indultam, priscum morem secuto, erant qvi interpretabantur. Inolevit qvippe ex antiqvo mos apud Danos, ut Reges solenniter inaugurandi, clementiæ auspicio delictorum veniam iis faciant, qvos carcer non usqve adeo atrocium scelerum reos attineret. Alii hoc ad amicorum auctoritatem referebant, qvi qvoniam potentiores, plus apud Regem pollebant. Sed omnino ambigi non potest, multam Regi clementiam tum regni initio, tum vero toto imperii tempore fuisse, nec severitatem suppliciorum ipsi unqvam adhibitam, nisi desperata emendatione, aut ubi exemplo opus. Hoc igitur pro lenis & moderati imperii augurio accipientes, complures eo lætiores comitia freqventant. Borussus *Christiani* sororius ipse etiam cum conjuge venit. Et legati hinc inde a Principibus & Rebuspublicis missi aderant.

Tandem solennia inaugurationis, sacra administrante *Pomerano*, verbi Dei ministro Witebergæ, & ejusdem Academiæ professore, pridie Idus Augusti peracta sunt. Ac *Christianus*, hic primus Rex reformatæ religionis ritibus, non exqvisitis, magnificis aut superstitiosis, inauguratus est, a repurgatæ doctrinæ ministro; qvum antea insolens fuisset, nisi a metropolitano, aut aliqvo Pontificis Romani legato, inaugurationis regiæ sacra celebrari. Etenim Rex volens abdicare toto regno ceremonias pontificias, haud consentaneum existimavit eas regni initio usurpari, utut ad splendorem facere videbantur. Ritus unctionis tamen pro more adhibitus, qvem mandatum divinum priscæ ecclesiæ editum

tum sacravit. Corona aurea gemmis pretiosissimis distincta caput redimitum, gladiusqve cum sceptro & pomo in manus tradita. De qvibus omnibus pia concione Rex instruitur, monitus regnum regniqve insignia per manus ministri, Numinis supremi provisu, ad summum hujus magistratus honorem Regi evecto tradi ejusqve gloriam cum salute reipublicæ unice qværendam. Hæc & alia, qvæ pias meditationes animo ingenerarent, ex sacris litteris adducta. An. 1537.

Mox IV Nonas Septembris, ab eodem *Pomerano* ordinati seu consecrati, ex omnibus reformatæ religionis piis & doctis viris septem delecti, qvi deinceps ecclesiarum curam gererent, earumqve inspectionem haberent, Superintendentes dicti potius qvam Episcopi, qvod tum vocabulum fastu & ignavia hominum in invidiam verterat, tametsi hoc a gentium Doctore in isto officio designando dedicatum. Erant autem, qvi tum initiabantur, hi: *Petrus Palladius* Sælandiæ dioeceseos; *Franciscus Vormordus* Amsterdamensis, ex Carmelita Halsinorensi minister & professor Theologiæ Malmogiæ factus, Scanicæ dioeceseos; *Georgius Vibergius*, ex ministro Hafniensi, dioeceseos Fionicæ: *Johannes Vandalus* lector Hatterslebianus, dioeceseos Ripensis; *Matthias Langius* minister Randrensis, dioeceseos Arhusiensis; *Jacobus Scaningius*, minister Viburgi, dioeceseos Viburgensis; *Petrus Thomæ* minister ecclesiæ Torn, Alburgensis dioeceseos superintendentes seu episcopi creati. Ritus in hunc usum fere non alii adhibiti, qvam qvos ecclesiæ Christi columnis Apostolis usurpatos fuisse memoriæ proditum est: qvi præcipue in oratione & manuum impositione consistunt, adhibitis saltim præterea hymnis & sacris lectionibus, qvæ officii eos commonefacerent. Horum pro se qvisqve fidem & obedientiam Regi, ad ejus honorem, emolumentum, pacem & tranqvillitatem, obligans, in officio diligentiam & integritatem pollicitus est, tum verbum Dei sincere docendo, tum sacramenta ad formam a Christo institutam administrando: Idemqve curæ habituros ut præstent ministri singuli in suis ecclesiis, utqve rudimentis catecheticæ doctrinæ ignaros instruant. De scholis etiam puerorum & eleemo-

An. 1537. synis in pauperes conferendis ac recte distribuendis solicitos futuros atqve a corruptela munerum in omnibus se integros præstituros, nec affectibus indulturos.

Ac mox, ne qva dissensio in doctrina vel in ritibus dissimilitudo ecclesiarum unionem turbaret, publicata est formula, nomine Ordinationis dicta, ad qvam omnes docentes in ecclesiis & scholis astringerentur. Concepta hæc formula fuerat anno superiore a doctissimis qvibusqve Daniæ viris, tum pontificiis, tum reformatæ religionis, qvos Rex ex collegiis & ministerio ob eam rem arcessiverat, qvi jussi tum nomina subsignarant. Ii, qvi fuerint, haud pigebit cognoscere, qvibus cordi est scire, per qvos tum Evangelii lux per totam Daniam sparsa, & qvam late, etiam initio, diffusa fuerit, vix dum reformatione cœpta. Qvod est dandum meritis istorum virorum, ut memoria eorum posteris grati animi ergo prodatur. Erant autem bini ex qvovis collegio missi collegii nomine, qvum ministri ipsi pro se qvisqve manu subnotarant: *Andreas Schougardius*, *Nicolaus Frisius* nomine collegii Viburgensis, *Georgius Samsingius*, *Johannes Olai* nomine collegii Arusiensis; *Petrus Ivari* F. *Benedictus Arvidus* Lundensis collegii nomine: *Christophorus Ransbergius*, *Nicolaus Hammerus* pro collegio Roschildensi: *Severinus Olai* F. *Johannes Christiani* nomine collegii Ripensis, subsignarunt. Horum qvosdam satis constabat etiamnum pontificios esse; qvos tamen Rex tolerans subsignare voluit, ne qvid contra hanc formulam tentarent. *Schougardius* etiam in subscriptione palam testatus est, "non „aliter ordinationis articulos acceptare, nisi donec aliqvid „melius in laudem & honorem Dei concilium generale de„finierit, & constituerit, ad id qvodammodo provocans. Reliqvi religionem reformatam palam professi sunt, nec dubitabatur eos esse, qvod profitebantur. *Petrus Laurentii* F. Lector Malmogianus, *Johannes Tausanus* ecclesiastes Hafniensis, *Franciscus Vormordus* ecclesiastes Malmogianus, *Olaus Chrysostomus* politioris litteraturæ Malmogiæ professor, *Jacobus Scaningius* concionator Viburgensis, *Petrus Thomæ* F. clericus Viburgensis diœceseos, parochus ecclesiæ Torn,

Torn, *Georgius Vibergius* ecclesiastes Hafniensis, *Martinus* An. 1537.
Hegelundius ecclesiastes Alburgensis, *Andreas Lyngius* Coronensis ecclesiastes, *Nicolaus Jacobi* F. Arrusiensis Ecclesiastes, *Thorchillus Abilgardius* prædicator Arrusiensis, *Paulus Petri* ecclesiastes Ripensis, *Christianus Scroccius* prædicator Svenoburgensis, *Melchior Johannis* F. ecclesiastes Callunburgensis, *Erasmus Vordinus* concionator Foburgensis, *Petrus Stormius* prædicator Horsnensis, *Severinus Magni* F. prædicator Coagiensis, *Matthias Langius*, ecclesiastes Randrensis, *Nicolaus Caspari*, ecclesiastes Coldingensis, *Johannes Alberti*, *Johannes Sclavus* seu *Vandalus* lector Hatterslebianus, *Reinboldus Vesterboldius* pastor Sliævicensis, *Hermannus Tastius* ecclesiæ Husemensis pastor, *Gerardus Slevertinus*, ecclesiæ Flensburgensis ad divum Nicolaum pastor, *Georgius Vinterus* concionator Hatterslebianus. Hi omnes qvum hanc Ordinationem qvasi qvasdam juris sacri leges conscripsissent, & comprobassent, exhibitus fuerat Regi libellus. Qvi totus fere tum a *Lutheri* judicio dependens, eum Vitebergam miserat, ut Academiæ istius censuræ subjiceretur. Jam vero ut a reliqvis ejus scholæ doctis viris recognitus & probatus, hisce comitiis per Cancellarium Senatui regni exhibitus est, qvi sibi qvidem probari & placere omnia profitebantur, sed monitos ministros velle, excommunicatione initio non usqve adeo sæviendum in eos, qvi sacramento cœnæ Dominicæ essent arcendi. Ad hunc itaqve modum Ordinatio ecclesiastica conscripta, & confirmata a Rege, Senatu, Collegiis, & præcipuis, qvi tum erant, ministris, in publicum typis evulgatur, & ecclesiis Danicis, Norvagicis & Sliævigicis commendatur. Jussiqve sunt recens creati superintendentes & episcopi omnia ad istam qvasi normam in ministerio evangelii exigere, neqve ab ea in doctrina vel ritibus discedere. Sicut & huc usqve nihil in ea interpolatum, sed omnia retenta sunt, etiam qvæ docti & pii viri usurpare religioni habuere, & abolita jam dudum optavere.

Qvumqve jam ministrorum ordinatio Superintendentibus esset mandata, nec munus docendi usurpare fas esset,

Dd 2 nisi

An. 1537. niſi explorata cujusqve doctrina ipſis admittentibus, qvi ſolebant paſſim ſe rudi plebi docendo ingerere, vetiti ſunt amplius circumcurſare. Inde mendicantium ordines, qvi tres tum in Dania fuiſſe feruntur, mox aboliti, qvibusdam ex iis aliisqve ſectis in miniſterium aſcitis, qvibus ea doctrinæ facultas; aliis regno profugientibus; nonnullis etiam profanæ plebi, depoſito religionis habitu, ſe inſerentibus, ut in paucis annis per totum regnum vix unus aut alter ſupereſſet, qvi non abdicata religione pontificia reformatam doctrinam ſit profeſſus. Hoc pacto religionis reformatæ incunabula, cœpta tempore *Friderici*, ſub initium *Chriſtiani*, leges ei & modum ex verbo Dei conſtituentis, adolevere, Deo pacem eccleſiæ mirabiliter procurante, & Regis pietati externa pace & tranqvillitate, ſubditorumqve conſtanti fide & amore, toto deinceps regni tempore benedicente.

Verum interim dum hæc pro eccleſiæ ædificatione & religionis propagatione conſtituuntur, non ceſſatum cum exteris legatis agi. Diſſidium, qvod Regi cum Roſtochienſibus & Viſmarienſibus huc usqve fuerat, primum interceſſione Boruſſi compoſitum. Hi conjunxerant ſe Lubecenſibus in oppugnanda Dania; nec tamen fœdere incluſi, cum pax illis daretur, qvod vetiti ab *Alberto* Duce, vindictam ſpirante & regnum ſibi ſperante, amicitiam Danicam inire. Res autem jam ita transacta, "ut exoluta in compenſationem „damni dati certa pecunia Rex iis ignoſceret. De cetero „Daniæ regno haud incommodarent, nec hoſtes Regis fo- „verent, aut portubus ſuis naves armaqve parare contra „Daniam paterentur: Sed officia Regi grata præſtarent, ac „commercia in ſuis ditionibus libera Danis facerent.

Poſtqvam ita reſtitutæ in gratiam Regis hæ duæ respublicæ, reliqvarum civitatum Vandalicarum communis cauſa acta, ut confirmarentur jura & immunitates, a ſuperioribus Regibus conceſſa. Legati hoc nomine a Lubecenſibus, Sundenſibus, Lunæburgenſibus & Gedanenſibus miſſi, qvum intenta cura negotium apud Regem & Senatum oraſſent, impetrandi ſpem præceperant. Sed reſponſum tulere, „ex-

„exhibenda immunitatum & privilegiorum exempla, ut „conſtare poſſet, qvam late ea pateant. Nam æqvum cen- „ſere Regem, ſuper qvibus fidem obligaturus eſſet, palam „cognoſcendi copiam fieri. Alioqvin ſi hoc beneficium re- „cens petatur, merito in poteſtate Regis, ei modum imponere. Inde ſeorſum cum legato Gedanenſi acta, cauſa ſpoliorum, ac poteſtas ei a Rege data cum civibus iſtius reipublicæ paciſcendi, de damnis, qvæ a regiis belli tempore acceperant. Etenim iis ſatisfactum Rex voluit, utpote nulla ſua noxa læſis; ne haberent, qvod juſta qverela ipſi impingerent. Sed & arbiter delectus a Sveco & Lubecenſibus inter legatos utrorumqve, qvi comitiis etiam intererant, inducias ad qvinqvennium eſſe juſſit. Eorum enim inimicitiæ, ante bellum Danicum cœptæ, adeo nondum deſierant, ut ultro citroqve contumeliis ingeſtis & damnis datis indies animi exacerbarentur. An. 1537.

Iisdem legatis Sveticis erant cum Rege ſua qvædam ac diverſa negotia: De qvibusdam hic transactum, de reliqvis placuit ſenos utrinqve conſiliarios Halmſtadium convenire, qvi ea cognoſcerent & judicarent. Qvod qvum utrinqve ſtatutum, a *Chriſtiano* indicata viciſſim qvædam, qvibus jus regium a Svecis lædi, & vicinitatis officia violari viderentur. „Nam exigi a Danis & Norvagis Lodeſiæ novum & inſoli- „tum vectigal. Svecos prænavigantes Bahuſium vecti- „galis ſolutionem detrectare. Nec non commercia cum „finitimis Varbergenſibus & Halmſtadianis aliisqve a Sveco „interdicta. Deniqve neqve Danos percipere fructus, ve- „tante Rege, ex fundis, qvos in Svecia ſine controverſia „poſſideant. Ad qvæ legatis non erant mandata, qvæ reſponderent; Ideoqve referenda ad Regem ſcripto petentibus tradita ſunt.

Ceterum, comitiis regiis jam finitis, in paucis poſt diebus acceſſit miſſus a Scoto legatus, *Johannes Bartunus*. Is gratulatus Regi de ſuperiorum annorum victoriis, hortatur magnopere, amicitiam Gallicam, ut qva nulla majori emolumento & honori eſſe qveat, amplectatur, promit-

An. 1537. tens a Rege ſuo omnem in ea re operam & auxilium. Tum vero qvandoqvidem bello defunctus Rex ſit, rogare Scotum, navem cum tormentis & aliis neceſſariis inſtructam auxilio ſibi mitti, reddituro viciſſim qvæcunqve deſiderari poſſint officia. Ad hæc poſtulata dum legatus *Bartuvus* Haſniæ reſponſum præſtolatur, allatum eſt, novam nuptam Scoti in fata conceſſiſſe. Id mutuam gratulationem Regis, qvæ conjugio non ita pridem inito debebatur, in conſolationis officium vertit. Igitur huc accommodato reſponſo, litteris ad Scotum datis, initio luctum eximere aliqvatenus conatur, propoſitis verborum delinimentis, qvorum meditatio maxime efficax contra dolores exiſtimabatur. Tum de amicitia Gallica, ſedulo commendata, eandem ſuam ſententiam eſſe oſtendit. Paratumqve eam qvovis arcto fœdere firmare. „Sed reqviri, ut conveniatur utrinqve de certo mutui auxi-„lii modo, ne tum demum, qvum res opem repente po-„ſtulet, ſuper ea ferenda longa diſceptatione temporis oppor-„tunitas extrahatur. Miſſurum inprimis, qvi cum Gallo „de his pertractent, facturumqve ex officio Scotum, ſi ſuos „per idem tempus adeſſe velit. Inde Daniæ ſtatus prolixe indicatus, cui triennale bellum parum priſtinæ potentiæ viriumqve reliqvum fecerit. „Nam non ſolum annonam „admodum coarctatam, ut, qvæ ſuppeditare exteris hactenus „multa potuerit, Dania vix alendo incolas ſufficiat. Sed „& evacuatos theſauros regios, privatorumqve opes exhau-„ſtas in externum militem, qvi ſtipendio meruerat. Pe-„tiiſſe ſe in his anguſtiis auxilia a vicinis & confœderatis „Principibus, ſed ſolum Gallum ſpem oſtentaſſe, & ultro „opem obtuliſſe. A qvo tamen, qvod bellum cum Cæſare „incidiſſet, nihil hactenus præſtitum. Eo elapſam e manibus „tum hoſtem ulciſcendi, tum aliarum rerum bene geren-„darum occaſionem, ut ad inducias triennales cum Bur-„gundis venire neceſſe fuerit. De nave & tormentis poſtremo, qvod mitti non poſſent, excuſatio allata ab itinere Norvagico, qvod inſtaret. „Eo ſe cum claſſe ad pacandum „iſtud regnum; & accipiendam ſolennem inaugura-„tionem brevi navigaturum. Itaqve navem vel tormenta „ſibi demere non poſſe. At compoſitis utrinqve, tum in

Da-

„Dania tum Norvegia, rebus, si auxilii indigeat, compotem „voti futurum. An. 1537.

Scoto ita dimisso, in procinctu erant legati Danici, primo in Angliam navigaturi, inde in Galliam trajecturi. Sed priusqvam portu solverent, *Georgius Lucchius*, qvartum jam a Gallo ad *Christianum* missus, legatus advenit. Is indicans a Gallo etiamnum expectari, qvibuscum Regis nomine de fœdere transigatur, monet & instat, ut eos, qvantum fieri potest, approperet. De Anglo autem ostendit mutatum Gallo consilium, nec illum jam in qvatuor Regum fœdus adsciscí velle; qvi & Imperatorem submissa pecunia juverit, & cum genero Scoto inimicitias susceperit. Itaqve neqve ullum ex Dania in Angliam mittendum, sed qvacunqve alia via legatis in Galliam eundum, qvi avidissime expectentur, ut fœdus sine mora utriusqve bono percutiatur. Rex, intellecta propensa voluntate Galli, *Lucchium* dimissum inseqvi per vestigia *Suavenium* jussit, atqve aliqva per Germaniam iter facere, qvandoqvidem ita fieri Gallus mallet.

Mox, uti cum legatis Sveticis in comitiis convenerat, arbitri seni utrinqve delecti Halmstadium adeunt. Ibi disceptatæ qvidem prolixe controversiæ nobilium, qvi fundos in alterutro regno haberent: exhibitæ coram arbitris sententiæ antea prolatæ, nec non diplomata regia & variæ obligationum tabulæ ac monumenta. Sed qvia Sveci reos in jus vocando, Dani absentiam suam excusando, qvæ partium legitima erant, non implevere, pronunciari de summa litium non poterat. Inter arbitros autem constitutum, "ut „denuo conventus ageretur, vel Malmogiæ, vel Coroneæ, „vel Halmstadii, vel Varbergæ, ad diem festivitate penteco-„stes solennem, modo ita utriqve Regi videretur, qvibus et-„jam liberum esset, qvos tum vellent arbitros adhæc nego-„tia delegare. Ac tum ferendam sine dilatione sententiam „secundum tabulas, ab eo, qvi judicio se sisteret, productas, „jure & legibus ejus regni, ubi fundi & possessiones contro-„versæ sitæ sint. Indultum autem eo ab arbitris, ut in „Dania cognoscerentur causæ, qvod leges haud sinant ex-„tra regni fines qvenqvam in jus trahi.„

An. 1537. Hæc de Halmstadiano conventu ubi *Christiano* nurciata, qvum expectationi Sveci, rebus non aliter finitis, vix satisfactum iri existimaretur, nolletqve Rex intervenire amicitiæ aliqvam offensam, *Accius Brabeus* confestim legatus in Sveciam mittitur. Actæ gratiæ *Gostavo* de auxilio præstito, & de solutione pecuniæ mutuo datæ ipsius arbitro permissum, sive eam certis pensionibus solvi, seu mallet fœnore annuo, qvod ex reditibus oppigneratorum castellorum penderetur, in credito manere. Simul ei indicatum de pœna, qvam per litteras fœderi recens inito inseri petiisset eam Regis sententiam, ut statuatur tanta in fœderis transgressorem, qvantam eam Svecus velit, modo tamen utrinqve æqvalis sit. Deniqve ostensum, cum Principibus Germaniæ Protestantibus Regi constitutum diem, qvo Brunsvici de fœdere jungendo agendum. Invitatusqve Svecus, si in ejus communionem venire velit. Hic super illis qvidem transactum, de isto autem tempus deliberandi *Gostavus* sumsit, qvoad de legibus fœderis certior fieret. At de qverelis, per legatos Sveticis ex comitiis scripto transmissis, prolixius à Sveco responsum: "Vectigalia & portoria solvi ab omnibus, extraneis & civibus, qvi suas ædes in regno non habeant, nec inqvisitione facta compertum, a Danis ampliora qvam aliis hucusqve soluta. An vero solito sint majora, ignotum esse. Jussum tamen gubernatorem non nisi consveta posthac Danos exigere. Lodesianos veteris oppidi cives, qvibus necesse erat navigare, juxta castellum Bahusianum, merito ibi vectigalibus obnoxios fuisse. At jam oppido in alium locum translato, qvum navigatio illac fere nulla, aliud juris esse, atqve existimare immunes esse oportere. Qvod rariora sint commercia Svecorum cum Varbergensibus & Halmstadianis, non eo fieri, qvia vetitum hoc edicto aliqvo, sed qvia belli tempore latrociniis, cædibus, aliisqve injuriis & contumeliis multimodis læsi a Varbergensibus Sveci. Nec posse hos cogi in certum aliqvem locum merces venum mittere, qvi ipsi per se gnari absqve monitu Regis, ubi rem facere possint. Nec tamen obstare velle, si de commerciis legitime excercendis inter eos convenire possit. Passurum etiam lubenter, ut Dani

„Dani ſuarum poſſeſſionum fructus percipiant, etſi qve- An.
„rantur Sveci nihil conventu Halmſtadiano impetratum. 1537.
„Nam deſiderare, ut qvivis Danorum ſuo jure in Svecia uta-
„tur, fruatur, idemqve ut Svecis in Dania contingat, a
„*Chriſtiano* pro horum regnorum conjunctione expectare.
„Hæc cum *Brabeo* iſta legatione in Svecia acta.

At *Svavenius* emenſus Germaniam, qva Geldri ditiones patent, Galli deſiderio juſſus illac iter ſuum capeſſere, ubi ad Galliæ fines penetravit, Gallum, in Pedemontana regione bellum gerentem, longis itineribus aſſecutus eſt. Ibi inprimis, cur legati ad Gallum non miſſi ſint, rationes reddit. „Nam non ſolum incidiſſe ſolennia inaugurationis „Regiæ, ſed multa negotia cum diverſis Principibus vicinis „exorta. Deinde Regem in conſtituendo adhuc diſcerpto „& multis partibus convulſo regno occupari: qvam ad „rem conſilio & auctoritate eorum opus ſit, qvi legationis „iſtius munus obirent. Qvumqve nihilominus aliqvos „mittere conſtitutum eſſet, nunciatum per *Luechium*, non „placere per Angliam ire; idqve difficultatem aliqvam mit„tendi legationem deſtinatam importaſſe, gnaro Rege, „qvanto cum periculo ſit conjunctum, per Germaniam, ubi „tam amici Imperatoris, qvam inimici multi ſint, legatum „ad hoſtem ejus, qvicum bellum modo habeat, permeare. „In Angliam autem ex Dania expeditam eſſe navigationem, „qvo cur legatos Danicos venire noluerit, velle Regem lu„culentius edoceri: ſimulqve patefieri, qvem jam qvartum „Principem, excluſo Anglo, in fœdus commune venire pla„ceat. Pactum qvidem Regem cum Burgundis triennii „inducias, ſed non ſpe tutæ amicitiæ, magisqve neceſſitate „adigente, qvod reipublicæ Danicæ vires, ex tenui aptæ, „bello ferendo non eſſent. Amicitiam autem Gallicam „omnium merito anteferri, ut qvæ ultro oblata eo potiſſi„mum tempore, qvo promptius beneficium flagitare, „qvam officium præſtare erat. Tantum deſiderari, ut ſum„matim fœdus concipiatur, unde conſtet, qvid hinc illius „auxilii ſperandum ſit, utqve locus & tempus deſignentur, „qvo legati utrinqve mittendi conveniant.

An. 1537. Expoſita legatione, promiſſum *Scavenio* in caſtris reſponſum, qvo juſſus Gallum comitari. Qvo ubi ventum, miſſus ad *Scaveniun* Comes *Fürſtenburgicus*, qvi tum in iis caſtris contra Imperatorem militabat, ut de variis rebus cum eo ſecreto & familiariter conferret. Indicatum a Comite, "inducias pro Italia in tres menſes Imperatori petenti „datas, qvibus durantibus venturos Narbonam ex Hiſpa„nia legatos, qvi de pace agant, miſſurumqve eo Gallum „ex ſuis magnum Magiſtrum & Lotharingiæ Cardinalem. „Conſtare autem certo, pacem ideo maxime Imperatorem „expetere, qvod, ea facta, expectet a Gallo contra Prote„ſtantes auxilium, qvos exſcindere & peſſundare in animo „habeat. Ejus conſilii rationem hanc ab Imperatore inſti„tutam, ut utrinqve ab ipſo & Gallo cogantur ingentes „eqvitum peditumqve copiæ, prætextu belli Turcici, qvi„bus deinde Proteſtantes improviſo opprimantur. Sed „Gallum ita ſententiam ſuam patefeciſſe, ut tantum abſit „Proteſtantes oppugnatum eat, ut malit perpetuum ſibi „bellum cum Imperatore eſſe. Qvi etiam, utut regnum „Delphino filio legitimo heredi deſponderi & a Deo pro„mitti videat, cui præ Aurelianenſi minore filio idcirco fa„veat; tamen ipſius mortem præoptare potius, qvam eo „animo ſit, ut Proteſtantibus ſe hoſtem ferat, aut contra „Germanos Principes bellum inceptet. Qvæ qvum Regis „ſit ſententia, qvumqve tanto ſtudio Germanos amplecta„tur, exiſtimabat Comes, e re communi fore, Proteſtantes „cum Gallo arctiore aliqvo fœdere conjungi: idqve ſuo „nomine Landgravio Haſſiæ, ſi illac tranſeundum eſſet, „nunciari rogavit: Auctorem ſe Gallo futurum, ut æqvas „conditiones non ſit aſpernaturus.„ *Scavenius* tria obſtare poſſe amicitiæ oſtendebat, qvibus qvomodo occurratur diſpiciendum. "Proteſtantes ſacramento Imperatori obſtri„ctos, itaqve non poſſe cum hoſte ejus fœdus percuti. Gal„lum etiam evangelii perſecutionem in ſuo regno incepiſſe, „ideo Proteſtantes ab eo non expectare poſſe pro ejus do„ctrinæ propagatione auxilium. Simul evulgatum paſſim „per Germaniam, cum Turca Gallum junxiſſe amicitiam, „ut idcirco nomen Gallicum in magna invidia ſit.„ At Comes

mes nullam harum existimabat satis idoneam causam, cur fœdus non sit expetendum. „Nam tametsi sacramento „Imperatori obstricti Principes, tamen potiorem Dei cœle-„stis, qvam domini terrestris causam. Nec Gallum hostem „Imperii, sed Imperatoris, iis de causis, qvæ Imperium non „concernunt. Ac si fœdus percuti sacramenti religio vetet, „saltim sibi stipulentur a Gallo auxilium certum, si qvan-„do usus veniat. Deinde nec religioni evangelicæ Gallum „hostem, qvi tantum abest, ut ceremonias pontificias om-„nes probet, ut multas erroris arguat, qvas nullatenus ad „salutem facere profiteatur. Missas tamen, haud male de „religione alias informatum, audire, & abusus multos to-„lerare, ne se iis opponens de regno periclitetur. Persecu-„tionem autem magis institui contra eos, qvi Anabaptista-„rum nomine condemnentur, qvam contra Evangelicos, „inter qvos tamen fatendum, multos eo nomine fœda „facinora velare. Fœdus cum Turca Gallo intercedere „non sine injuria dictitari. Nam nec legato Turcico mul-„tum honoris in Gallia habitum, nec ita responsum, ut ad „amicitiam via patefacta sit. Nam legato dictum, bellum „qvidem cum Imperatore susceptum, sed naturalem con-„junctionem se non exuisse, qvi, cum Rex Christianissimus „audiat, nec posset hostem nominis Christiani pro fratre „& confœderato habere. Sed si illi causa belli contra Im-„peratorem, eam per se bello perseqvendam. Atqve ad „hunc etiam modum satisfactum militibus Germanis, qvum „turbati fama fœderis Turcici, a Gallo missionem flagitas-„sent.„ Hoc inter eos ultro citroqve habito sermone, omnia ad Regem relata. Qvi dimissurus *Svavenium*, Landgravio nunciari a se petiit, "haud timendum Protestantibus, „qvod contra eos qvidqvam inceptare velit, multo minus „qvod cum Imperatore in eorum perniciem amicitiam sit „unqvam initurus, aut firmaturus. Sed expetere potius „cum Protestantibus amicitiam, a qvibus si pro ea mittan-„tur legati, conditiones propositurum & oblaturum, qvæ „haud graves ipsis futuræ.„ Regi autem jussus renunciare *Svavenius*, "non sibi improbari, qvod de induciis cum „Imperatore ipsi convenerit, qvandoqvidem ita res postu-

An. 1537.

An. 1537. „ lavit, ſed congratulari potius pro ſua erga eum amore de „ pace & tranqvillitate parta. Ad reliqva autem reſponderi „ jam commode non poſſe, per negotia bellica, qvæ extra „ regnum traxerint. Simulac vero regno reſtituatur, curæ „ futurum, ut de omnibus ſatisfiat."

Et *Svavenius* qvidem in Germaniam reverſus, inſtituto per Haſſiam itinere, cum fide ad Landgravium, qvæ a Gallo juſſus erat, pertulit. Mox in Holſatiam veniens, ibi Regem offendit. Cui expoſita qvæ cum Gallo acta fuerant, & qvantopere amicitia tum Regis, tum proteſtantium Principium Germaniæ expetatur. Eam pluris a Gallo fieri qvam ipſius Imperatoris; tametſi inter utrosqve de pace agatur. Nam ſuſpectam Imperatoris potentiam, ut totius Europæ imperium affectantis, & omnia ſub ſuam ditionem redigere conantis. Hæc aliaqve omnia cum Gallo acta ubi *Chriſtianus* accepit, non ſolam ipſe in amicitiam ejus tanto magis qvam antea inclinabat, ſed & fidei conſortes ad eam amplectendam adhortabatur. Et qvoniam dies dictus erat, qvo Brunſvigam convenirent cum Rege Principes Germaniæ proteſtantes, monet eos per litteras, ut ſuper hac re cum aliis præmeditatam deliberationem adferant, diſpiciantqve, qvæ ad Gallicam amicitiam pertinere poſſint. Dux autem Brunſvicenſis & Landgravius, Rege hic agente, rogatu Metropolitani Bremenſis, decidendæ controverſiæ, qvæ inter hunc & Regem etiamnum pendebat, ſuper diœceſi Roſchildenſi, per litteras ſuas flagitant diem ſtatui. Sed res prolata, qvia extra regnum, nondum conſultis Daniæ proceribus, ad qvos ea res pertinebat, minus opportunum Regi ſuper negotio iſto agere.

An. 1538. Principes Proteſtantes, qvum relatu *Svavenii* intellexiſſent periculum, qvod a Cæſare imminebat, invitati ad amicitiam Gallicam, pro ſe qvisqve miſſa legatione eam avide expetebant. Legati eorum juncti Gallum ſimul Mulini convenerunt. Qvi tum recens in regnum reverſus, qvum non poſſet eis operam dare, juſſit Principes in paucis diebus Nanceji in Lotharingia expectare, de rebus propoſitis acturos.

Nihi-

Nihilominus denuo voluit commonitos periculi, cujus indicium antea per *Svavenium* allatum. A Dano itidem litteræ; ex Holſatia per *Georgium Lucchium* ad Gallum miſſæ, qvibus redditæ cauſæ, qvo minus legati confeſtim mitti potuerint: Indicatumqve de Conventu Brunſvicenſi, a qvo venturos legatos ad fœdus percutiendum, qviqve ſimul qvid ibi actum renuncient. Rogans interim, "ſi pax cum Cæ„ſare conveniret, ne ſe Gallus excluſum velit, qvin parti„ceps pacis ſimul fœdere comprehenderetur. Additæ alteræ litteræ ad *Mommorantium*, recens Conneſtabilem creatum, qvibus ei qvoqve amicitia Danica commendata. An. 1538.

Eo ipſo tempore veniunt ad Regem, in Holſatia verſantem, legati a Roſtochienſibus & Vismarianis miſſi, qvi ſoluta pecunia (cIↃↃ florenorum auri Rhennani) mulctæ nomine promiſſa, petunt, has duas civitates in fœdus, cum ſociis Lubecenſibus Hamburgi ictum, recipi. Qvibus mox ex fide bona confirmata omnia, Lubecenſibus tum indulta, ut nihilo pejore qvam illi loco eſſent, iisdem legibus fœderi inſerendi, ac ſi pariter cum iis initio comprehenſi fuiſſent.

Ad ſubditos autem Hamburgenſes, qvia nondum fidem *Chriſtiano* pro more obſtrinxerant, miſſus *Caſpar Fuchſius* petitum ab eis delegatos Neomonaſterium mitti, qvibuscum de hac re tota tranſigeretur: "Nam de modo & forma „aliqvid decernendum eſſe, ſimulqve ſtatuendum, qvo tem„pore qvantisqve copiis ingreſſum ejus in urbem expectare „velint. Ac ſi qvid in controverſia ſit, velle hoc etiam Neo„monaſterii amoveri, priusqvam ad iſtam ſolennitatem ve„niatur. Collegio ſacerdotum Hamburgenſium litteræ per eundem ſcriptæ, qvibus Rex petit litem contra civitatem ſuſceptam ad ſe devolvi. Nam curiæ Imperialis ſententia lis deciſa erat, nondum cauſa coram Rege diſceptata, qvi judicem immediatum utriusqve partis ſe ferebat. Et cum civitate illa qvidem, ubi miſſi Neomonaſterium ad diem, arbitrio Regis dictum, fuerant delegati, facile concordatum. Controverſia cum collegio, qvæſitis ſubterfugiis in longius tempus, ſpe auxilii a Pontifice Romano ferendi, producta.

 Mox

An. 1538. Mox ubi inſtabat dies conventus Brunsvicenſis, miſſo legato, provinciæ regni *Goſtavo* per abſentiam Regis commendatæ.. Qvod adeo ſibi faciendum Rex exiſtimavit, qvia fama emanarat, *Goſtavum* clam bellum adornare. Itaqve ne diffidentia culpæ conſcium argueret, ſpem benevolentiæ potius qvam belli metum præ ſe tulit. Sed *Goſtavus* nullo dato reſponſo in qvartum menſem legatum detinuit. Ubi vero lubitum ei reſpondere, nil aliud reſcriptum, qvam arma jam aliqvanto tempore induiſſe metu Danorum, a qvibus nihil tutum habuiſſet. Sed hæc Regi poſt de alienatione *Goſtavi* patefacta ſunt, antea ipſi haud expectata aut credita. Interim vero iter ingreſſus eſt. Brunſvigam, ſicut inter ſe Principes pacti fuerant, Rex venit, comitatus non ita magno eqvitum numero. Qvem deductum per ſuas ditiones ad fines Brunſvicenſium, ſecutus mox uterqve Lunæburgenſium Dux *Franciscus* & *Erneſtus*, neqve ipſi admodum multis ſtipati, qvia his ut & Regi *Henricus* Brunsvicenſis per ſuas ditiones commeandi poteſtatem publica fide fecerat. At *Johannes Fridericus* Saxoniæ Elector, & *Philippus* Haſſiæ Landgravius, qvod per abſentiam Principis conſiliarii Brunſvicenſes commeatum dare inconſulto domino recuſaſſent, copiis majoribus ſe inſtruxerant. Acceſſere huc præter eos alii proteſtantium Comites, Barones, nec non legati Principum & civitatum confœderatarum. Eratqve inter alios in comitatu Electoris, *Mauritius Henrici* Ducis filius, qvem a patre in religione reformata edoctum, Saxo ad filii inſtar diligebat. Nec non complures docti viri, Theologi & alii, adeoqve ipſe *Philippus Melanchthon.*

Placuit initio Principibus litteras Nancejum, ad eos, qvos Gallus ibi affuturos ſpoponderat, mitti, qvibus nunciaretur, "peracto conventu Brunſvicenſi, Gemundam ſimul Regis Daniæ ſuosqve venturos legatos, qvi de communibus negotiis agerent. Nam jam mitti aliqvos non potuiſſe, qvod exiſtimaſſent cum Dano poteſtatem agendi a Gallo ejus rei inſcio nullam datam.„ Hi Nancejo Brunſvigam, dum adhuc conventus agitur, redeunt, referentes viſum Gallicis, potius recta ad Regem legatos mitten-

An. 1538.

tendos qvam ut Gemundam accederent, qvandoqvidem legatio jam dilata. Mox de fœdere inter Principes actum, cujus potiffimum caufa conventus ifte habebatur,: in qvod *Chriftianus* afcitus eft, titulo Ducis Holfatiæ, non Regis Daniæ. Extendebat id fœdus fe potiffimum ad religionem, „cui contra hoftes propugnandæ auxilia utrinqve promiffa, „feu numerata pecunia, feu milite commodius effet fubve- „nire. Inprimis autem cautum, ne qvis fociorum in con- „cilium, Mantuæ a Pontifice & Cæfare indictum, confentiret „reliquis in confultis. Duraturum hoc in novem annos. Qvod abfentium fociorum nomine, qvi præfto erant confirmarunt. Verumtamen ne regnum Daniæ in caufis a religione alienis auxilii expers effet, additum fœderi, pridem cum *Friderico* Rege inito, "in qvibusvis caufis, & contra „qvoscunqve hoftes regni, heredibus aut regni gubernato- „ribus tantundem auxilii expectandum. In qvam rem fponfores facti Principes, Comites, Civitates & univerfi Ordines fœdere ifto, fimul comprehenfi: Ut ita Regi amicitia tot fociorum multum ad priftinas vires contra hoftes acceflerit. Petiit autem Sveci nomine focietatem fœderis *Chriftianus*: Et *Johannes* Marchio Brandeburgicus, *Joachimi* Electoris frater, per Saxonem eam qvoqve ambiebat: Qvorum utriqve certæ conditiones dictæ, qvibus reciperentur. Borusfiæ Princeps *Albertus* enixe idem flagitavit: Sed fubjecto pœnæ profcriptionis, a curia Imperiali irrogatæ, integrum fœderis jus tribuere fas non erat, ne fimul auctoritas curiæ convelleretur. Promiffa nihilominus benevolentia & favor, fi periculum aliqvod ei ingrueret. Qvefti in hoc conventu Principum multis fuerant Goslarienfes de *Henrico* Brunfvicenfi, eorum jura & libertates minuente: qvorum caufa a *Chriftiano*, & aliis qvibusdam, intercedentibus, Brunfvicenfi commendata. Tum vero decretum eft, legationem fimul ad Gallum mittendam, ut coram fœdus invicem fanciretur, & firmaretur. Tandem his aliisqve actis, multis pietatis, modeftiæ & liberalitatis exemplis a *Chriftiano* Brunfvigæ editis, qvibus tum Principibus, tum viris doctis majorem in modum heroicam animi virtutem probavit, domum ex conventu Brunfvicenfi fe confert.

In

.nA 1538. In reditu autem Hamburgum ingressus, magno gaudio & solennitate a civibus, in armis occurrentibus, excipitur. Ei fidem Senatus & delecti civium in curiam hoc nomine vocati obligant, ad eum modum, qvo pridem avo ejus *Christierno*, patruo *Johanni* & patri *Friderico* obstrinxerant. Ipsis vicissim jura & immunitates pristinæ indultæ & confirmatæ. Secundum ea aliqvot diebus festiva convivia agitata, & solennes ludi in honorem Regis exhibiti: qvibus omnibus intererat ipsa Regina, & soror *Elizabetha*, cum *Francisco* Lunæburgensi, nec non proceres *Sliævigiæ* & Holsatiæ pleriqve, qvi Regi tum a consiliis.

At legati Regis *Æschylus Billeus*, & *Petrus Scavenius*, cum reliqvis Principum protestantium in Galliam destinatis, ubi eo venerunt, in Lingonibus præsidem Tolosanum obviam habent, cui potestas erat expediendi legationis negotia, qvæ ab ipsis adferebantur. Illi autem jussi a dominis suis se sistere, & coram legationem peragere, qvum subodorati essent, non acturum præsidem nisi cum Germanis, ostendunt fœdere communi cum Gallo jungi velle Danum & Principes Germanos; proinde ad Regem ipsum duci se petunt. Erat tum Rex Nicææ cum Pontifice Romano, ubi, ejus auctoritate induciis inter Cæsarem & ipsum constitutis, veneratus eum Gallus osculo pedum; recusantibus id facere Virtembergico, *Furstenbergio*, Mareschallo *Marchiano*, & *Georgio Lucchio* Dano. Hic qvum Regi nunciatus adventus legatorum, jussu ejus Lugdunum a præside adducti, atqve inde Avenionem, ubi triduo morati sunt. Postea Massiliam arcessiti, qvum octiduo Regem Nicæa adventantem frustra expectassent, vento adverso obsistente, qvoniam navigio accederet, uti constituerat, tandem vero eo venit. Ad qvem introducti per Connestabilem, cujus benevolentiam sibi prius conciliarant, benigne auditi sunt. At Rex qvum intellexisset summam negotiorum, non expectato fine, oratinem legatorum interrumpens, ait "se memorem „fuisse promissorum, ac comprehensos pace, cum Imperatore inita, simul Danum & Principes protestantes: nec „voluisse in concilium consentire, qvod instanter a pontifice

„ce petitum, proposito præmio Ducatu Mediolanensi, im- „mo nec posthac qvidem unqvam concilium tale appro- „baturum; idqve *fide nobilis* (hæc enim ei solennis jurisjurandi formula.) „Ac tametsi cum Imperatore pax conve- „nerit, fœdus tamen cum Dano & Principibus facere para- „tum. Illi modo leges fœderis ederent, ac authoritatem „litteris testatam legendam exhiberent.„ Qvod ubi factum de plerisqve capitibus facile utrinqve assensum; sed de pecunia aliqvo in loco Germaniæ deponenda, in eventum necessitatis bello ingruente, amplius deliberandum Gallus censuit, jussis legatis Tarasconem comitari, donec mature super hac re consilio habito responderi posset. Eo dum appellunt, Rex conspicatus legatos navigio egredientes, mittit *Lucchium* eorum adventui gratulatum. Ibi ille cum legatis familiarius collocutus, a se indicavit, Gallum certiorem de appulsu Cæsaris factum, (nam triremi una atqve altera ex Hispania tum demum ad ostium Rhodani accesserat, nec Nicææ simul cum Pontifice & Gallo præsto fuerat, detentus vento contrario) in diem seqventem cum tota aula obviam ei ad Aqvas mortuas, qvas olim Fossas Marianas indigitarant, occursurum. Qvæ res anxios legatos habuit, metuentes, ne qvid adversi sperato fœderi interveniret; ut idcirco expeditionem eo magis urgerent, *Lucchium* rogantes, responsi promissi Regem commonefaceret. Eo facto legati in aulam vocati, ubi tamen nihil effectum. Igitur *Boyartum* Regi tum a secretis compellantes, ab eo jubentur in hospitium cum bona spe redire: qvippe qvi a prandio eis renunciaturus, qvæ a Rege jussus erat. Mox legatos adiens, dilationem responsi excusat, qvam adventus Cæsaris importarit, jubens nihilominus de re bene sperare. „Regem in omnia postulata consensisse, præterqvam qvod in „postremo perplexitatis & difficultatis aliqvid collocaret. Sed non exemta tamen legatis solicitudo, qvin formidarent, ex colloqvio Cæsaris cum Gallo aliqvid fœderi impediendo accessurum. Itaqve tum Arausione *Furstenbergium* adeuntes, tum Connestabilem per litteras compellantes, rogant utrunqve, opera atqve auctoritate sua subveniant, ne qva fœderi jam fere affecto Cæsar officiat. Connestabilis per

An. 1538.

An. 1538. *Furstenbergium* respondens, jubet eos bono animo esse, nihil ei rei fore periculi. "Non agendum inter Cæsarem & „Gallos nisi de induciis, qvæ Nicææ pactæ. Reliqvum „tempus conviviis & gaudiis dicatum, qvæ pro more in „congressu Principum agitentur. Qvin sperandum potius „legatis, ut omnia ex animi sententia cedant, ac finem „initio lætiorem sint habitura.„ Tandem Rex frustra aliqvot diebus expectatus, dimisso Cæsare, Lugdunum adiit, postridie Molinum versus iturus. Qvod ubi legatis rescitum, *Furstenbergius* denuo ad Regem missus, cum vultus tristitia & insolita taciturnitate inde rediens, spem prius conceptam perimit. At Rege Molinum profecto, Præses Parisiensis legatis sententiam ejus de capitibus fœderis exhibitis patefecit. „Non placere ei, qvod de concilio recusando postuletur. Esse hanc rem juris sacri, qvæ in pactum civile, seu fœdus politicum non cadat. Absqve qvo „Gallum, utpote Christianissimum, fateri se obligatum, „ne in concilium unqvam nisi legitimum & generale consentiat; secus si faceret, minus laudabile apud Reges & „Principes fore. At si totus orbis in concilium consentiret, „vix fieri posse, ut adversari aut id recusare posset. Flagitasse enixe Regem Angliæ, ne qva sibi persvaderi concilium pateretur, amplissima spe proposita. Desiderasse „contra Pontificem Romanum, ut concilium probaret, & „jam Cæsarem pollicitum in causa religionis vim Gallo non „facturum. Idem instanter rogasse, sed neutrum obtinuisse. „Spondere constanter Regem nunqvam in concilium, nisi „legitimum & generale, se consensurum. Ac petere, hisce „verbis fidem tribui, haud secus ac si in scriptum vel fœdus „relata sint: cui inseri talem obligationem natura concilii „non ferat. Nec de postremo exhibiti fœderis articulo, „videlicet de pecunia repræsentanda & aliqvo loco Germaniæ deponenda, Regi æqvum videri qvod petitur, nisi ad „æqvalitatem aliqvam redigatur. Itaqve si ingens pecuniæ „vis a Rege deponenda sit, videndum, qvomodo aut pecunia, aut milite pro ea satisfiat, ut par pari reponatur. Sed „utrumqve horum a fœdere alienum & insolens. Si igitur „desistere ab horum petitione placeret, potestatem habere de

„de aliis haud iniqvis conditionibus agendi. Ac si staret „sententia, qvod hæc omnino a Rege præstari vellent, ipsum Molini conveniendum." Legati contra," de concilio „putasse se rem confectam, qvandoqvidem Rex sententiam „suam coram edidisset, & per Connestabilem & *Boyardum* „ad eundem modum responsum esset. Qvi si verbis pro„mittere non dubitaret, qvod de concilio peteretur, nihil „vetare idem scripto vel fœderi inseri. Nam obligationem „stipulatione & promissione consistere, etiam absqve scriptu„ra, cujus non ea vis, ut per se qvenqvam obstringat, sed tabulas „scriptas fidei & probationis saltem loco esse. Neqve fœdera „hujusmodi stricti esse juris, sed bonæ fidei & ex æqvo bonoqve „omnia constituenda. Qvapropter probrosum aut alienum „haud esse talia peti; qvandoqvidem non pudeat Principes „protestantes concilii, modo liberum sit & verbo Dei consen„taneum, absqve qvo haud rem sacram esse. Deniqve super „hoc spe pridem facta, perscriptum in Germaniam de concilio „recusando Regem consensisse; ideo fidei & honori legato„rum ut consulatur cupere. At postremum articulum de pe„cunia, non a Principibus adinventum, sed a *Langæo* in „conventu Smalcaldico propositum. In qvo par ratio esse „neqveat, qvia nec pares utrinqve facultates & opes. Ve„runtamen vicissim pro pecunia præstandum a Principibus, „ut aliqvot millia peditum suo stipendio Regi ad fines Gal„liæ, qvum peteretur, transmitterent. Qvod tamen non „aliter promissum velle, qvam si ratum Principes habeant. Hæc locuti cum præside legati, qvum, eo mandata excusante, fere nihil ad summam rei proficeretur, coacti sunt Molinum ad Regem iter facere. Ubi convento Connestabili, spes facta decennio concilium nullum futurum. Sed de pecunia nihil impetratum, ni par summa vicissim apud mercatores in Gallia deponeretur. Qvumqve petitum esset, ut Rex capita fœderis, prout ipsi placeret, conciperet, ne sic qvidem aliqvid obtinuere. Tandem vero Rege iter Blesas parante, legati ad eum adducti humanissime cum hoc responso dimittuntur: „Certum deliberatumqve, cum Prin„cipibus Germaniæ pristinam amicitiam servare, nec con„cilium probare nisi legitimum & generale; ideo Principes

An. 1538.

An. 1538. „pactione induciarum comprehenſos, qvatenus ipſi velint, „Ac paratum ipſis omnia officia præſtare, eademqve ab „ipſis expectare.„ Ita varie circumducti legati, his amplius a Rege nihil impetrare potuerunt. In ipſo diſceſſu pro miſeris hominibus, qvi Gratianopoli ob confeſſionem evangelii in carcerem conjecti fuerant, deprecati, ne hoc qvidem obtinuerunt; ſed ambiguo duntaxat reſponſo preces eorum eluſæ. A Gallo nihilominus ad *Chriſtianum* per legatos litteræ datæ humanitatis & officii plenæ, qvibus ſe paratum fœdus renovare oſtendit, ideoqve fœdere Cæſaris comprehenſum eum voluiſſe: cujus miſſum exemplum, unde id luculentius poſſet cognoſci. Et de hoc qvidem poſtea ſeorſim a *Chriſtiano* gratiæ Gallo actæ, miſſo ad eum *Petro Brochenhuſio*: per qvem petiit etiam periculi commonefieri, ſi qvid Cæſarem ſtruere in perniciem ſuam conſtaret.

Etenim parta apud Gallum pace, res novas Cæſarem moliri multorum indiciis & conſtante fama jam vulgabatur, unde nova denuo ſolicitudo Regi inceſſit. Sed qvamvis Cæſar hoc agebat; tamen obtentui bellum Turcicum ſumptum. Eaqve ſpecie fraude tecta, naves qvorumcunqve paſſim, qvæ in totum Belgium adnavigarant, detentæ. Qvarum complures ad tantum conatum minus idoneæ, navigationem intermittere coactæ, haud parvo publico privatoqve damno, & inſigni cum Cæſaris obtrectatione & invidia. Deficientibus enim neceſſariis ad oppugnandam Daniam, claſſe validam, corrumpebantur neqvicqvam naves, & ſumptus ingentes de nihilo fiebant.

Nec aliud fama dignum geſtum eſt claſſe, qvæ parabatur, niſi qvod unus aut alter pirata, ex Dania profugi, mare aliqvousqve pererrantes luſtrabant, ſi qva in Danorum ſolas naves inermes incidere poſſent. *Chriſtophorus Trudſonius* eo usqve evectus, ut ad inſulam, Helliglandiam nuncupatam, qvaſi *terram ſanctam* dicas, appulerit; ubi eſcenſione in terram facta, ſeptem ejus nautæ longius ad prædam progreſſi capti ſunt, ipſe refugio ad navem evaſit. Nautæ po-

postea ad Regem missi, cum qvæstionibus subjicerentur, An. confessi sunt, *Mariæ* gubernatricis auspicio Færis Selandiæ 1538. se enavigasse, sed non alios qvam Antverpienses & Amsterdamenses hucusqve spoliasse. Qvibus etiam Rex justitiam administrare, de noxiis supplicium sumendo, paratus erat, uti per litteras obtulit. Alter *Ottho Stigotius*, postqvam ex portu Embdensi cum aliqvot navibus solverat, litora Norvegiæ clam subiit, nullo insigni detrimento aut damno alicubi dato. Neuter in Daniam navigare ausus, qvia jam evulgatum classem a Rege paratam, ejusqve rogatu Borussum naves aliqvot instruxisse. At qvia Frisia semper eis pateret, per litteras cum Comite *Ennone* expostulatum, qvod receptum piratis, malum Daniæ machinantibus, præberet, contra qvam aut Rex paterne meritus, aut jus vicinitatis reqvireret.

Interim terra qvoqve ad fines Holsatiæ a pristino hoste Oldenburgico insidiæ regiis subditis paratæ, qvamvis hostis conatus eo hic retusus. Conduxerat ille hinc inde milites, qvos indies confluentes propius ad Regis provincias admovebat, ignaris omnibus, qva iter instrueret. Ea res primum Holsatis suspecta. Mox metus incessit, ad expilandum Holsatiam irruiturum. Qvod ibi Regi minime obscuris indiciis persvasum, haud cunctatus, qvas per tumultum poterat copias, ad fines contra Oldenburgicum educit. Sed is intellecto Regis adventu, metune an consulto retrovertit, ac recta dioecesin Monasteriensem petit. Ibi populatus oppida & agros, expugnatoqve uno atqve altero castello, nec non extorta ab aliqvibus pecunia, in urbem Monasteriensem Antistitem ipsum fugavit, qvia resistendi facultas ab exercitu adhuc imparato non erat. Qvi tamen post collectis copiis, auxilioqve aliqvo a Rege suppeditato, sua eo facilius recuperavit, qvominus amissa adversus vim armatam valida erant. Et Rex qvidem hac ratione periculo defunctus, nondum tamen metu liberatus fuit. Qvia Oldenburgicus finibus imminebat, & multi hostes in utroqve exercitu militabant. Itaqve callido usus consilio, subornabat, qvi bello sopito partem militum in stipendium Regis

Ii ad-

An. 1538. adſciſcerent, reliqvos terrore implerent, vel ſpe inani lactarent, dum moræ tædio ſponte dilaberentur.

Porro autem uti ab Oldenburgico terra turbatum, ita nec mari a Megalopolitano altero hoſte pridem reconciliato ſincere pax ſervata. Etenim aſcitum in miniſterium *Remlingrodium* qvendam Metropolitanus protectione ſua contra Belgas armabat, litteris poteſtate data, ut vindicaret injuriam, qvæ a Belgis accepta memorabatur, aliis tamen haud violandis. Hac enim ſpecie invidiam obtegi voluit, cui propoſitum mare Balthicum latrociniis infeſtum reddere, ut qvoqvo modo Dania turbis involveretur. At clam inter eos conveniſſe ferebatur, connivendo paſſurum Megalopolitanum, qvibuscunqve tandem mari captis acceſſum *Remlingrodio* in ſuos portus eſſe. Cui rei poſt res ipſa fidem fecit. Nam neqve a Danis neqve ab Anglis vim abſtinuit. Sed ſpoliantem ita qvosvis, mari Balthico, qvod Danici juris eſt, non toleravit diu *Chriſtiani* virtus, qvin contra naves inſtrueret. Qvas pirata metuens in portum mature ſe receperat, ratus ſe præda parta ibi in tuto fruiturum. Sed naves Danicæ eodem perrumpentes, dum piratæ in præda diſtribuenda occupantur, inopinantes invadunt. Qvibus fuga elapſis reliqvæ piraticæ naves crematæ, Anglica qvædam recens capta in Daniam ſalva abducta. Qvæ poſtea ad interceſſionem *Henrici* Regis domino reſtituta eſt, nullo ſoluto pretio. Qvippe cœpta jam inter utrumqve Regem ea amicitia, ut nullum gratificandi invicem ſtudium deinceps omitterent. Anglus per ſe ultro eam ambierat admiratione *Chriſtiani*, cujus virtus in omnium ore jam verſabatur. Cui ille, utut hactenus hoſtis, etiam favens adeo *Chriſtiani* laudes litteris ſuis extulerat, ut infra eas longe ipſius modeſtia ſe demitteret. *Chriſtianus* qvoqve tanto lubentius in amicitiam venit, qvia Anglo jam religione concors, priores offenſas amplius non imputaret, ſed tranqvillitati publicæ injurias omnes ſponte condonabat. Ita igitur dum Anglus *Chriſtiani* virtuti lingva animoqve favet, atqve is viciſſim benevolentiam re erga ſubditos Anglos declararet, via ad conjunctionem & neceſſitudinem, qvæ poſt ſecuta, aperitur.

Jun-

Juncta etiam amicitia cum Polono, Borussi arbitrio fœdere stabilito, qvæ multis modis eo rerum statu apud hostes qvoqve profuit. At alia parte novi hostes Regi exorti nulla lacessiti injuria Pomeraniæ Duces erant, qvi in Rugia insula bona ecclesiæ Roschildensis occuparant: nec antegressa cognitione, nec Rege præmonito; qvod ægre qvidem erat ipsi ab amicis & necessitudine junctis profectum. Sed arma tamen contra vim haud sumpta. Qvinimo indicato die reditus in regnum, rogati Duces per litteras, interim abstinerent bonis istis, ne regios possessione turbarent. Ipsum qvod jus æqvumqve esset haud recusaturum. Verum Pomerani nihil a priore violentia remisere, tantumqve qvæsita dilatio, dum possessionis commodis fruerentur. Qvapropter Rex vicissim naves civium Sundensium, Gripsvaldensium & Anclamensium in freto Oritano detineri jussit. Qvæ nexu detentionis haud aliter relaxatæ, qvam ut satisfactionem tres istæ civitates sponderent pro annuis proventibus omnibus præceptis una cum usura semisse, simulqve promitterent fore, ut A. D. Calendas Octobris mitterentur in Daniam, qvi causam ipsam cum regiis delegatis cognoscerent & deciderent. His tum conditionibus naves dimissæ: *Antonio Lecovio* civitatum legato spondente ratam fore transactionem. Et legati qvidem ad comitiorum tempus in Dania præsto fuere, sed nulla potestate rem controversam disceptandi: Id modo postulatum, ut in vernum tempus nihil moveretur aut novaretur. An. 1538.

Deinde cum *Fuggaris* Augustanis pariter inimicitiæ incidere, qvod eorum qvoqve naves fraudis compertæ in freto detentæ fuissent. Etenim *Fuggari* non contenti, qvod *Fridericus* Rex monopolium cupri ad certum definitumqve modum indulserat, solutione vectigalis qvod inter eos convenit, & modum cupri exportandi excesserant, & vectigali suo Regem fraudarant. Ac dolus qvidem patuit: Sed Cæsaris protectione confisi, ferocius & pervicacius, qvam in noxa manifeste deprehensos deceret, agebant. Post tamen hæc controversia Principum qvorundam intercessione composita.

An. 1538. Comitia regni serius hoc anno habita, qvibus gravissimarum rerum instituta est deliberatio. Contendebat Senatus a Rege, ut *Friderici* designationem totus populus solenni sacramento præstito ratam haberet & confirmaret. De modo gubernationis, si ipse ante legitimam filii Principis ætatem diem novissimum impleret, res in suspenso per silentium relicta. At proceres Sliævigiæ & Holsatiæ contranitebantur, ut gubernatio constitueretur, in cujus partem se admitti petiere. Nolle enim Ducem a regno alienum, nec denominationem istarum provinciarum extra eas collocari, utut jus electionis regno integrum salvumqve maneat. Acta res utrinqve pari ambitione, etsi jure dispari. Sed qvia Dani abdicatam a regno voluere omnem Holsatorum potestatem, nihil statui hic poterat. Res autem in aliud tempus prolata, si fortean interim in mentem veniret, qvo utrisqve satisfieret. Deinde super Borussi desiderio consultatum, qvi mortuo Gothlandiæ præside, eam insulam a Rege petierat. *Henricum Rosæcrantzium* enim, qvi insulæ præfuerat, eqvo excussum, qvum viscera vehementiore ad terram lapsu concussisset, præpropere fatum eripuerat. Rex sciscitatus antea sententiam Holsatorum, qvamvis res ad ipsos non pertineret, jam de eodem ad Senatum referri voluit. Sed Holsatis haud curæ, qvod insula a regno divelleretur, eam potius tradi sibi pignori flagitarunt, pro pecunia credita, qvam Borusso concedi. Dani intentius reipublicæ utilitatem spectantes, membrum regni Gothiam esse disseruere, nec inde abstrahi posse, sine certissima utriusqve pernicie. Qvam sententiam Rex secutus, Borusso modeste negatam petitionem excusavit. Censuit etiam hisce comitiis Senatus arcem Malmogianam reædificandam: cœptumqve mox opus magno molimine, non sine tacita plebis indignatione, cui exstructio oneri. Mortuus exul in Belgio *Olaus*, qvondam metropolitanus Nidrosiensis. Bona qvidem ab eo relicta, Rex sibi vindicavit jure ecclesiæ Nidrosiensis, cui erepta pleraqve fuerant, atqve a *Maria*, referri commentariis consignata petiit, sed frustra fuit. *Georgius Frisius*, antistes, dum res tulere, Viburgensis, libertati restitutus, qvum Regi assiduos fidejussores dedisset,

nihil

nihil ſe moturum, ſed rata omnia de religionis reformatione & reipublicæ innovatione decreta habiturum.

An. 1539.

Cœptam inter Anglum & *Chriſtianum* amicitiam mutuis officiis exercere & colere utriqve Regi deinde curæ erat: atqve ab hoc initio pridem facto, ille viciſſim ad benevolentiam paulatim magis magisqve accendebatur. Non prætermiſit itaqve, intellecto qvid animi Cæſari adverſus *Chriſtianum* eſſet, qvin rem ad incolumitatem regni Danici pertinentem, per legatum, eam ipſam ob cauſam miſſum, patefaceret. *Robertus Barns* erat, qvi exorſus publicè amicam ſalutationem, gratulatus Regi, ſecreto colloqvio expetito reliqva legationis hoc modo pertexuit: „Fuiſſe in Hi„ſpania eodem tempore Cardinalem Anglum, qvi a fide „Regis defecerat, Pontificis Romani miſſu, & legatum „ipſius Regis. Qvorum ille qvum gratior & familiarior, „indignatum Regium legatum monuiſſe Cæſarem, non ex „amicitia eſſe publicum hoſtem Regis ſui, qvem majeſtatis „reum loco proditoris haberet, tanta gratia & humanitate „proſeqvi. Ibi Cæſarem reſpondiſſe: dandum honori Pon„tificis, ut tametſi proditor Regis audiat, tamen ad o„randam apud ſe cauſam ſanctiſſimi patris admittatur, „nec eum colloqvio, cum res poſtulet, arceri decorum. „At legato perurgente & graviſſimis rationibus inſtante, ne „Cardinali proditori tantum gratiæ tribueretur, ut in con„ſpectum Cæſaris ad dicendum prodiret, a Cæſare commo„tiore exprobratum, legatos *Chriſtiani*, qvi ſe Regem Da„niæ falſo ferret, occupato per vim regno, & religionem „inviſam haberet, apud Anglum aliqvoties benigne & hu„maniter habitos, tametſi haud ignarus Anglus, Cæſari „cum *Chriſtiano* capitales inimicitias, ob fratrem captivum „ab eo detentum, intercedere. Jam Anglum exiſtimaſſe, „in hæc adverſus Danum tam contumelioſa & invidioſa „verba Cæſarem haud erupturum, ni implacabili odio „incenſus, *Chriſtiani* perniciem meditaretur. Itaqve com„mittere non potuiſſe, qvin ſuo judicio cavendum ab tanto „hoſte mature præmoneret. Id flagitaſſe mutuam amici„tiam, qvam ſi Rex ſolenni fœdere per æqvas leges ſeu con-

An. 1539. „ditiones firmari vellet, exſpectaturum ejus ſuper hoc legatos. Qvi ſi veniant, nunciatum qvæ viſa ad pacem & „tranqvillitatem publicam, nec non ad propagationem „ſinceræ religionis qvoqvo modo facere poſſe, non ſolum „ſummo ſtudio ea Anglum perſecuturum, ſed & legatos „ipſos longe fore acceptiſſimos.„

Hæc cum fatus eſſet legatus, in paucis diebus reſponſum ad ea, qvæ potiſſimum agebantur, accepit: „Cæſaris „odium non ignotum aut obſcurum, ut qvi variis modis „perniciem Dano ſtruxerit. Cauſas autem veras longe „diverſas eſſe ab iis, qvæ obtentui ſumantur, aut in publicum evulgentur. De iis edoctum legatum Anglicum, „Epiſcopum Herfordenſem, conventu Smalcaldico, & litteris rem Anglo ſæpiuſcule repetendo patefactam, ut obſcura amplius eſſe neqveat. Nam aliud Cæſari propoſitum, qvam fortean præ ſe ferat, qvem ſi deſiderii compotem fieri contingat, gravem haud dubie pluribus Principibus ejus dominationem futuram, ac conſilia multis „exitialia. Sed *Chriſtianum* innoxium inimicitias Cæſaris „perpeti, nec profuiſſe ad qvosvis æqvos arbitros provocationem, qvibus cauſæ ſuæ cognitionem non dubitet adhuc committere. At vim nihilominus intentari, & arma „contra religionis fœdere junctos ſimul parari; nullo habito „reſpectu, qvod doctrinæ reformationem ſcripturæ ſacræ „auctoritate tueri confidant. Qvod non eſſe Imperatoris, „ex officio in pacem orbis invigilantis, qvæ maxime Principum concordia innixa: ſed hominis, rem, dignitatemqve privatam qvovis jure aut injuria amplificantis, eoqve „cuncta trahentis. Amicitiam autem Danicam expeti ab „Anglo perqvam gratum eſſe, eamqve ad publicæ tranqvillitatis defenſionem & religionis propagationem plurimum commodare poſſe, haud ambigendum. Sed qvia religionis cauſa maxime agatur, conſentaneum, ut cum iis, „qvi ſacri fœderis Principes ſunt, Saxone & Landgravio ſuper hoc communicetur. Etenim e re communi eſſe, in „ſocietatem fœderis invitari, qvi ſinceram religionem profeſſi, vitæ ac fortunarum periculo eam redemerint, ac ad-

„adhuc propugnare haud recusent. Tum si iis commodum erit, mittendos postea in locum, ubi tuto consultare liceat, qvi seu in Anglia, sive alibi commodior reqviri possit, communi consilio expendendum. At si Principes Germaniæ interpellentur aliis negotiis, qvo minus de iis tractare qveant, nihilominus Regem suos missurum, ac qvod tum convenerit, constanter præstiturum. Non enim metiri religionem vulgi judicio, qvi dissensionibus & turbis veritatem ejus labefactari autumat, sed persvasum habere doctrinam nostrarum ecclesiarum, qvæ Confessione Augustana comprehenditur, verbo divinitus tradito esse consentaneam. Rogare Anglum, idem sentire ac judicare velit, id qvod ad salutem fuerit.„ An. 1539.

Cum hoc responso legatus Anglicus ex comitiis Othinianis dimissus est, cui adjunctus tabellarius in eum usum, ut referret ad Regem, si qvæ ab *Henrico* rescriberentur. Interim *Utbenbovius* & *Fuchsius* ad Saxonem & Landgravium missi, qvid cum Anglo actum esset, nunciaturi, simulqve sciscitaturi eorum de fœdere Anglico sententiam. Illi cum *Henrico* amicitiam jungere haud eqvidem recusarunt. Sed nec opportunum esse in Angliam legatos mittere mari longe distantem: nec periculo carere, omnia, qvæ agenda essent, litteris comprehendi existimarunt. At si Hamburgum vel Bremam mittere placeret, affuturos ibi, qvi æqvis conditionibus cum legatis ejus paciscerentur. Qvæ Rex qvum perscribere ad Anglum meditaretur, intervenere litteræ per tabellarium allatæ, qvibus nihil aliud qvam legatos Danicos se expectare ostendit. Itaqve de amicitia ejus & Principum Germaniæ protestantium, res prolata. Ad conventum autem Protestantium, qvum Francofurti ageretur, missi a Rege fuerant legati, ut, si pax religionis inter ordines Germaniæ conveniret, *Christianus* simul ea comprehenderetur, aut si de reconciliatione Imperatoris Palatiniqve cum eo aliqvid tentaretur, præsto essent, qvi ei modum dicerent. Sed *Vasæus*, qvondam metropolitanus Lundensis, qvi legatum Cæsaris nomine agebat, de rebus Danicis nihil in mandatis babuit. Itaqve legati clam se con-

An. 1539. continuerunt, cum Saxone solo & Landgravio mandatis communicatis. Actum qvidem hic inter alia de Borusso in fœdus adsciscendo, & spes ejus aliqva facta; sed qvia cautum utrinqve inter ordines fuerat, ne qvis ad certum præfinitumqve tempus præter jam confœderatos adsumeretur, res irrita fuit.

Tantum autem aberat, ut vel Rex Cæsari & Palatino reconciliaretur, vel Borussus pace Imperii aut fœdere Protestantium includeretur, ut utrinqve jam variis modis doli struerentur, tum ab ipsis, tum ab aliis, qvos sibi recens adjunxerant, ac præcipue Regi: Svecus enim hactenus *Christiano* amicus & necessarius, jam eo deserto, cum Burgundis amicitiam fecerat, & cum Palatino fœdus inierat. Legati Cæsaris hoc nomine Amsterodamo in Sveciam navigarunt, ut de damno Regi dando inter eos componeretur. Ac paratæ copiæ a *Gostavo* in Svecia, cum aliis Germania advectis, haud longe a finibus regni Danici habebantur, ut cuncta ad invadendum in promptu essent, nullo dum externo hoste, nec bello *Christiano* denunciato. Verum *Christianus* ubi multis haud fallacibus indiciis comperit, alium qvam pridem *Gostavi* animum, defensionem non negligendam ratus, in eventum belli militem etiam conduxit, & domi conscripsit. Sed prius tamen, qvam vel ille arma inferret, vel iste ad arcendam vim exercitum colligeret, missi Upsaliam Sveciæ ad *Gostavum* legati. Qvi ubi pro amicitia utriusqve Regis familiariter indicarunt, qvid conventu Brunsvicensi actum, ac qvo pacto cum *Bernardo Mileno* lis terminata, obruti qvodammodo sunt qverelis, qvæ in *Christianum* congerebantur. Sed qvia, Rege nihil tale expectante, mandatum super his respondendi nullum legati habuerunt, exhibitæ sunt scripto qverimoniæ omnes, ad eum referendæ. Ac de conventu Calmariensi cum *Gostavo* actum, qvo de his omnibus ei satisfieret, in qvem utrinqve assensum. Itaqve eo post legati missi primarii viri, *Accius Brabeus*, *Oligerus Vistandius*, *Canutus Guldensternius*, *Birgerus Trollius*, & *Caspar Brochmannus*, luculentum attulere ad singula objecta a Rege responsum, & *Christiani* sententiam

tiam oratione brevi executi sunt. „Mirari eum antiqva „adeo ad memoriam ingratam revocare, præsertim cum „recentibus fœderibus per silentium sint qvodammodo „abolita. Haud dubie impulsum animum *Gostavi* ad de„teriorem partem ab improbis ministris & pravis consulto„ribus, qvi pacem horum regnorum turbatam velint. Non „defuisse etiam *Christiano* causas, cur aliqvid moveretur, sed „noluisse occasionem minimam inimicitiis suppeditare. „Rogare idem animi *Gostavo* sit, nec suspicionibus indul„geat: Sed a criminationibus hujusmodi in *Christianum* & „subditos porro abstineat. Qvod si qva se læsum putet, „aut ulla injuria affectum, paratum arbitrio delectorum „utrinqve procerum rem committere, qvi qverelas mutuas „disceptent, ac controversiam omnem vel dijudicent, vel „componant.„ In qvæ omnia, svadentibus Sveciæ proceribus, tandem *Gostavus* consensit, qvum polliciti Sveci omnem operam se daturos, ne amicitia aut vicinitas aliqva offensa violaretur. Nam his officiis importunitatem belli tegebant, qvod alias & turbæ domesticæ a *Jona Andreæ* & *Nicolao Daccio* excitatæ interpellabant, & geri aliqva cum dexteritate invaletudo ejus, qvæ, Deo ita res gubernante, inciderat, non sinebat. Ita cessatum *Gostavo* ab armis, Burgundis neqvicqvam tunc temporis adversum Daniam vim Sveticam instigantibus.

An. 1539

At Cæsar ipse nihilominus ingentem contra Regem apparatum molitus, classi undiqvaqve instruendæ & augendæ operam dedit. Qvo non solum retentæ naves, qvæ in Belgium appulerant, sed Belgicæ omnes, qvæcunqve alio navigarant commerciorum causa, sub gravissimæ pœnæ comminatione domum revocatæ, præsertim ex partibus orientalibus. Nec cunctatus Palatinus, qvi exercitum in finibus Holsatiæ habuit triginta sex vexillorum & trium millium peditum. Instructæqve ei qvatuor naves, si res ita ferret, ut mare esset trajiciendum. Dux Palatino Oldenburgicus erat, idemqve omnium consiliorum moderator, eo majoris apud ipsum fidei, qvo infestius odium *Christiani* profitebatur. Alibi in Germania aliæ peditum copiæ

An. 1539. parabantur auſpiciis Moguntini & Brunſvicenſis, qvibus inimicitiæ cum Landgravio Haſſiæ inciderant. Iis in Boruſſiam ducendis, ſi forte diſſidium Moguntini & Brunſvicenſis cum Landgravio componeretur, ut ſperabatur, *Conradus Hartſteunius* Eqves auratus, ſtipendio reipublicæ Francofurtenſis obſtrictus, præficiendus erat. Adjungendi his eqvites mille qvingenti, qvi in diœceſi Colonienſi & Monaſterienſi, ſuppeditaturo pecuniam Magiſtro Ordinis Livonici, conducendi. His copiis petebatur Rex & Boruſſiæ Dux, uterqve Imperatori & Burgundis reliqvisqve ejus factionis ex æqvo pro hoſte, nulla alia fere culpa niſi religionis reformatæ profeſſione, habitus. Palatinus recta primum Holſatiam, inde Daniam invadere ſatagebat, & jam fere in finibus oppidum ditionis Lunæburgenſis vi ceperat. *Hartſteunius* cum ſuis, qva parte ad Germaniæ fines Boruſſia vergit, adoriturus Ducem erat; altera parte Magiſter Ordinis Livonici obruere inexpectato ditionem ejus decreverat. Burgundis favebat Megalopolitanus, odio Regis, diverſus ab iis religione, qvi navem farina aliisqve onuſtam, centum, (ut vulgo vocant) laſtarum per mare Balthicum in commeatum miſit. Et metuebantur Pomerani, ne tranſitum per ſuas ditiones in Boruſſiam copiis hoſtilibus eo facilius præberent, qvod Regi per affinem & neceſſarium incommodari poſſe exiſtimarent.

Sed proviſu & indefeſſa vigilantia Regis ac Boruſſi, omnes iſti conatus, & conſilia, utut callide & occulte inſtituta, inania ſperati eventus fuere. Uterqve enim, Rex & Boruſſus, navibus Belgicis, qvæ edicto Cæſaris domum revocabantur, reditum impediebant, qvum paſſim ipſorum rogatu vetitum per civitates orientales qvicqvam exportari, qvo vel annona ibi aggravari, vel naves inſtrui poſſent. Vulgatus etiam conſulto rumor, Regem naves qvorumcunqve in freto Oritano ſiſtere. Qvocirca qvodam metu nonnullæ ſponte, ne vacuæ redirent, aliæ aliis de cauſis coactæ in portubus iſtis conſiſtentes, a navigando ceſſarunt. Regi interim cum Boruſſo haud neglectum ſuas qvoqve inſtruere claſſes, ut impervium fretum Oritanum hoſti facerent. Qvin-

Qvinetiam Hamburgenſes ſuis in Albi navibus trajectum hoſtibus prohibuerunt, ne qva copiæ in Holſatiam tranſvehi poſſent. Præterea jam in finibus juſtus exercitus habebatur, ut non dubitaret Rex, ſi res ferret, cum hoſte confligere. Qvumqve captum oppidum eſſet ſub ditione Lunæburgenſi, conjunctis ſuis qvibusdam cum Ducis equitibus, eos ulturus, qvi miſere homines ejus oppidi mulctarant, facile cunctos fugavit in diœceſin Bremenſem, unde venerant. Ubi tum *Bernardus Milenus* erat, nomine proteſtantium advigilans, ut adverſariorum conſilia deſtrueret, ſi qvid contra fœderatos inceptaretur. Qvi tribunos & centuriones hoſtium, ignaros qvo ducerentur, eo ſvaſionibus ſuis perduxit, ut ſe litteris obligarent, contra Proteſtantes aut Regem Daniæ nemini militaturos: ſed Proteſtantium aut Regis ſtipendio merere velle, ſi intra qvindecim dies de eo certi redderentur. Ratus enim ita *Milenus* aut milite iſto Proteſtantes pro ſe uſuros, aut ſe copias diſtracturum. Sed ubi res, qvæ in plurium conſcientia diu latere non potuit, ad reliqvos evulgata, tribuni & centuriones in obligatione nominatim inſerti, ab exercitu profugere coacti ſunt. Qvi autem ſub iſtis ſignis militabant, qvorum qvina ſimul erant, detractis vexillis in reliqvam multitudinem ſunt diſtributi. Ita denuo univerſi ſacramento adacti ſunt, promiſſo menſtruo ſtipendio, cujus aureus unus repræſentabatur, haud tacito amplius, Holſatiam & Daniam irrumpendam, ubi ſe præda miles explere poſſet. Verum fruſtratus tametſi ſpe *Milenus* erat, tamen, qvum exercitus odio & inertia eodem loco torperet, nec reliqva ſtipendii exſolverentur, aut alia neceſſaria ſuppeterent, nec vulgo nomen ederetur, ut conſtare poſſet, cui militaretur, tandem, an ſponte, an adigente penuria, in ditione Oldenburgica non ſine minis & indignatione dilapſi & diſſipati. Qvorum qvidam in Friſiam Orientalem, alii alio, ubi cuiqve ſpes aut ſtipendii merendi, aut aliter vitæ tolerandæ erat. An. 1539.

Interceſſerat autem, durantibus hiſce turbis, Polonus, inſtinctu Boruſſi, apud *Ferdinandum* Romanorum Regem, ut reconciliationi Regis cum Palatino, pro ea qva polleret

An. 1539. apud ipsum auctoritate, operam daret. Qvod jam eo facilius, qvod adversa Palatinus fortuna usus, impetrabatur, & spem Polono fecerat *Ferdinandus*, ita futurum. Sed qvum *Christianus* nihil sibi negotii cum Palatino esse ad Polonum perscriberet, gratum alioqvin habens ejus studium & benevolentiam, langvidius ea cura ab ipso suscepta. Nec admodum de hac re a *Ferdinando* laboratum, succensente, qvod *Christianus*, spreto hoste Palatino, & expeditione ista temere gesta eluso, minus ei deferret.

Ceterum ubi & tanto ausu conatuqve ita turpiter Palatinus excidit, & destitutus auxilio Imperatoris, cui vix sumptus belli contra Turcam, finibus Germaniæ magno fremitu & terrore imminentem, suppeditabant, nedum ut in aliis pecuniam erogaret, ad Anglum opem petitum venit, Oldenburgicum secum in comitatu trahens. Ubi qvidem Rex eum benigne exceptum qva decuit humanitate & honore prosecutus est, adeo ut jactatione maris ob insolentiam nauseabundum & invalidum lectica in aulam gestari jusserit: Omnisqve alius favor & benevolentia ei impendebatur, qvæ in tantum Imperii Principem cumulari poterat; præsertim nuptiis cum Germana, Clivensis filia, jam pactis. Sed qvum Palatinus auxilium contra Regem Daniæ flagitaret, cujus petendi gratia venerat, ibi nihil tanto favore & benevolentia dignum ab Anglo præstitum. Qvin pro responso redditum, Palatinum non ejusdem secum religionis esse, nec cum Dano, Saxone ac Landgravio, qvi amicitia & necessitudine conjuncti. At si obtineri ab eo posset, ut eandem religionem amplecteretur, velletqve in idem fœdus cum protestantibus coire, in facili fore, moderatoribus pacis Anglo, Saxone & Landgravio, controversiam, qvæ cum Dano intercedat, amice componi: nihilqve reliqvum studii & modestiæ facturos, ut ita fiat. Sed Palatinus auxilium Anglicum tanti sibi haud redimendum existimavit, ut a religione pontificia descisceret, cujus constans professio cum gratia Imperatoris conjuncta fuit. Ita frustratus spe, qvam initio tantis cumulatus honoribus præceperat, voti inanis rediit.

Jam

Jam naves trium civitatum Pomeranicarum liberius commercia per mare Danicum exercebant, ac fretum Oritanum tutius permeabant. Legati enim Ducum in Dania, ex pacto, declinante vere, affuerant, ibiqve de controversia transactum, tametsi difficultate & perplexitate res non caruit, priusqvam eo veniretur. Nam qvum Rex inprimis de possessione contenderet, ut unde vi dejectus esset, restitueretur, suæqve potestatis assereret, pastorem & verbi divini ministrum in Rugia, ex auctoritate ecclesiæ Roschildensis, qvem idoneum fore compertum esset, designare, legati totius causæ cognitionem ad judices compromissarios, utrinqve ex consiliariis delectos, devolvi petierunt: aut, si magis placeret, jurisconsultis Academiæ Vitebergensis controversiæ dijudicationem delegare, eorumqve sententia stare judices velle. Verum utrisqve magis idoneos fore arbitros communes amicos, Protestantium ordines; modo Rex pateretur apud eos causam disceptari, qvorum æqvitate & prudentia seu res componeretur, seu judicio decideretur, haud invite Duces parituros. Sed Regi haud visum compromisso probando in dubium jus suum vocare, de qvo nunqvam fuisset tempore Episcoporum Roschildensium controversum. Pomerani contra, "si inconsulto Cæsare (eum noverunt *Christiano* infensum) paterentur aliqvid juri suo decedere, rationem Imperio reddendam. Cæsarem jam pridem professione evangelii erga ipsos exacerbatum: Si jam nova offensa, alienatione vel abdicatione juris sui, accederet, magnum malum eis creatum iri. Itaqve occupatos a Ducibus fundos Rugianos & reliqva, de qvibus contenditur, bono Regis, cui alias metuendum fuit, ne Cæsar sibi possessionem vindicaret." Ad qvæ responsum, "eodem loco rem fore, idemqve periculum eos manere, sive ab arbitris utrinqve delectis, seu a ICtis Witebergensibus, sive etiam a Protestantibus ordinibus causa cognosceretur, (qvæ omnia ipsis antea probata) modo injussu Cæsaris, aut eo inscio, res decideretur: Addito, reqvirendum etiam Marchionis Brandenburgici consensum, propter fœdera hereditaria, qvæ cum Pomeranis intercedunt, si qvid juris cuiqvam extra Regem Daniæ competeret. Sed nolle Regem jus

An. 1539.

An. 1539. „ſuum controverſum facere, nec cauſas Imperii cum iis, „ qvæ ſunt regni Danici, confundi aut admiſceri, prævidentem multa graviſſima certamina & inextricabiles contentiones inde exiſtere poſſe. Ac ſi bona Rugiana eo fine „ occupata, ut memoretur, certe emolumenti perceptionem nullam ad Regem vel regnum rediiſſe, eoqve minus „ jam reſtitutionem negandam. Cui ſi adverſentur Duces, „ multis modis injurios Regi ac regno eſſe, ſecus qvam litteris ſuis polliciti. Regem collegii Roſchildenſis, qvod „regni haud ignobile membrum, protectorem & dominum „ eſſe; ideo ut abſtrahantur, aut qvoqvo modo diſcerpantur, ſeu injuſte lacerentur, qvæ iſtius collegii ſunt, connivendo aut negligendo pati, ei fas non eſſe. Nec in animo „ ipſi eſſe, ut commiſſurus ſit qvicqvam ejus juri adimi, utcunqve difficilem & gravem Duces ei hanc cauſam reddant, qvantum qvidem pro viribus adnitendo aſſerere, „ qvæ regni ſunt, qveat.„ Tandem legati videntes, nihil iſtis modis differendi profici, nullamqve viam aliam patefcere amicitiæ, reſtituta poſſeſſione, ceſſere Regi jus emolumenta & reditus omnes percipiendi: ſed dominium exceptum, qvod ſuis Principibus cum proteſtatione reſervatum voluere. Ac mox rogatu legatorum bona iſta commendata *Martino Berneccovio* & filio, qvos a fide & induſtria cognitos, pridem antiſtes Roſchildenſis eis præfecerat: data poteſtate, "ut poſſeſſionem nomine Regis adirent, ac deinceps adminiſtrarent, cum diligentia fideqve, qvæ procuratores deceret, ratione redituum Regi ſoli, nec cuiqvam „alii præterea, reddenda. Fore Regem ipſis auctorem, ne „ qva fides & diligentia, eo modo præſtita, fraudi ſit futura.„ Sed hæc ſine ſolenni Regio diplomate, qvod reqvirebatur, exeqvi juſſi ſunt: qvia neqve ipſi adhuc ſacramento fidei Regi obſtricti. Controverſiam poſtea de dominio in tempus vernum Rex produci paſſus eſt, petente id Landgravio, modo ne in poſſeſſione & fructuum perceptione turbaretur.

Cum *Fuggaris* etiam Hafniæ transactum, qvi miſſo legato & procuratore ſuo *Silveſtro Rædio*, cui adjunxerat hanc

hanc ipſam ob cauſam legatos ſuos Boruſſis, expiarunt offenſam, ejus interceſſione, & redemerunt aliqvanta pecunia, qvæ in fraudem Regis commiſſa fuerant. Ac ſcripſerat hac de re etiam *Maria*, qvæ cauſam iſtam qvodammodo ad ſe traxit, tanqvam ad publicum commerciorum uſum cum Belgis pertinentem: ſed plus a Rege in gratiam Boruſſi factum. Sponſores facti *Fuggarorum* nomine illi ipſi, qvi legati fuerant, Boruſſi, & conventionis tabulæ conſcriptæ, qvas ratas habuit *Antonius Fuggarus*, ſuo ac filiorum fratris nomine. An. 1539.

Eodem fere tempore *Ottonem Stigotium*, hucusqve Regi juratum hoſtem, Saxoniam inferiorem temere ingreſſum, inter Hamburgum & Lubecam a *Magno* Duce capi contigit. Is inter ceteros cum Oldenburgico Dania exceſſerat, obligata Regi fide, ne qvid contra regnum deinceps moliretur. Sed nihilominus Palatino & aliis Regiis hoſtibus ſtipendio obnoxius, varias technas contra Daniam ſtruxerat: qvapropter Rex eum captum aut in Daniam transmitti, aut ibi qvæſtionibus ſubjici deſiderabat, miſſo eam ob cauſam cum mandatis *Johanne Rantzovio* ad ducem *Magnum*, litteris ſimul commonitum, qvanti ſua intereſſet, eum cuſtodia haud liberari. Sed Duci rogato a variis Principibus, ne innoxium attineret, ſimulqve qvia initio fidem dederat, absqve periculo vitæ fore, ægre erat, *Stigotium Chriſtiani* generi permiſſu & bona cum gratia ſolvi non poſſe. Metuebatqve tum Megalopolitani vicini, tum magis Palatini inimicitias, haud ignarus qvantum ejus apud Cæſarem & in toto Imperio polleret auctoritas. Tandem vero, qvum *Stigotius* ſe ad cauſæ dictionem offerret, aut, ſi in gratiam reciperetur, qvoad vita ſuppeteret, Regi fidum miniſtrum fore, victa Regis ira eſt poſtulatorum æqvitate. Mox *Caſpari Fuchſio* negotium datum, ut eum publica fide in Daniam adduceret. Qvi impetrata venia delictorum, aſcitus in miniſterium Regis, haud ingratam operam Regi deinceps præſtitit: præſertim expeditione qvadam in Islandiam, ubi annis aliqvot abhinc continuus tumultus, religionis potiſſimum cauſa, excitatus.

An. 1539. Qvidam enim in Islandia ſeditioſi eo usqve audaciæ progreſſi, ut præſidis Regii miniſtros aliqvot ludibrio habitos, & perqvam crudeliter mulctatos ac pulſatos trucidarint. Antiſtitis Schalholtenſis *Augmundi*, an aliorum impulſu id factum, haud pro certo conſtitit: illi tamen culpa facinoris omnis impingebatur. Cui cum *Mauritio* præſide eo minus conveniebat, qvod religionem reformatam propagare conanti infeſto odio antiſtes adverſabatur. Sed *Augmundus* vindictam antevertit, qvi abdicato munere antiſtitis, privatam vitam elegit. In reliqvos poſt ex legibus Norvagicis animadverſum.

In Norvegia tum aliqvantum tumultuatum, tum auditæ multorum qverelæ, qvod jus ita redderetur, ut nullæ certis legibus pœnæ ſancitæ eſſent; ſed judicum ac præſidum arbitrio multæ pecuniariæ noxiis irrogarentur. Huic malo ita ſubventum, ut miſſi eo ad dijudicandas cauſas, qvæ provocatione ad Regis tribunal devolvebantur, *Trugotus Ulſtandius* & *Claudius Billeus*, mandatum acceperint emendandi & ſupplendi, qvæ juri Norvagico hac in parte deerant. A qvibus conditæ leges, Danicis qvodammodo conformes, qvatenus jura & conſvetudines iſtius regni patiebantur: qvæ confirmatæ poſt a Rege, inibi adhuc obtinent. At tumultus a *Claudio Billeo*, Bahuſiano, & *Petro Johannis* filio, Aggerhuſiano præſide, ſedatus, qvem hac occaſione excitari contigit: Cœptum erat ſuperiore anno, in Tilemachia provincia Norvegiæ, e viſceribus terræ, argenti, cupri & plumbi metalla eruere, ac probata materia Electori Saxoniæ aliisqve ejus rei peritis, ad qvem ſuper hoc aliqvoties ſcriptum, magna ſpe arceſſitæ ex Miſnia operæ, mandata cura & inſpectio primum *Stigoto Baggoni*, inde *Antonio Bruſchio*, moderatore operarum *Johanne Glaſſone*. Ac immunitates indultæ, prout in fodinis Miſnicis, tum jura condita, qvibus operæ regerentur. Nihilo minus tamen illæ ruſticis abutentes, inſolentius agebant. Eo magis dolebat miſeris, qvod præter ſolitum onera imponerentur, nullo emolumento: ſimul qvia res erat cum hominibus, qvibus cum nullo lingvæ commercio tam brevi familiaritas

tas intercedere potuit, alienati magis animi. Itaqve coierunt aliqvot parœciarum rustici, ut operantes aut affligerent, aut iis locis expellerent. Sed petulantia eorum a præsidibus, qvos dixi, refrenata. At pauci qvidam post, mandato Regis, extremo supplicio affecti, reliqvis alia multa irrogata, prout qvisqve culpæ affinis, aut a noxa immunis reperiebatur, qvum de sceleris auctoribus est inqvisitum. An. 1539.


Verum qvum initia fodinarum læta fuerint, operæ pretium diu tamen non admodum factum: Nam in paucis annis Rex fatigatus sumptibus, illi inexhaustis laboribus, inceptum destruere. Causa ferebatur, qvod emanavit tantum aqvæ e cavernis terræ, ut penetrari, qvo necesse esset, sine submergendi periculo non potuerit. Cujus affluxus & scaturigo, seu natura loci ita ferente, seu divinitus in pœnam excitata, mihi edisserere haud lubet. Id pro certo compertum, qvum dona Numinis invidiæ sint, non ferentibus, qvi rebus præsunt, ad qvosvis fructum eorum redundare, qvæ in totius generis humani usum, ut initio condita, & postea in tempore patescunt, qvin sibi omnia vindicent, vel certe supra modum vectigalibus & exactionibus onerent, irato Deo sæpius ea aut penitus exolevisse, aut alio traducta. Qvod in religione & vero Numinis cultu itidem usu venisse, inde usqve ab initio animadversum, ut pro veritatis luce ingratis tenebræ superstitionum sint obortæ. Qva in parte tamen a *Christiano* ita laboratum, ut ministerii curam, & promptam in propaganda religione voluntatem solicite Deo probare, etiam in mediis turbis & summis rerum angustiis non omiserit. Eo voluit, propagata jam late per utrunqve regnum evangelii doctrina, qvum deessent passim idonei ministri, Academiam seu scholam publicam, qvæ Hafniæ est, per belli tempora collapsam instaurari, ut inde peti posset, sicubi ecclesia ministro indigeret. Aucto itaqve doctorum collegio, aliqvibus professorum præter priores institutiones attribuit, unde proventus & salaria, prout illa tempora ferebant, large & munifice cunctis inferrentur. Atqve aliqvot post annis præstantissimi qviqve, hi atqve illi ex Germania viri, ad docendi munus in Acade-

Nn mia


An. 1539. mia eximiis præmiis ſunt invitati. Eandem paulatim ſolicitudinem ad alias ſcholas toto regno extendit, nec non ad eccleſias, docentibus ita proſpiciens, ut nihil ad vitæ neceſſitudinem deeſſet: adjecturus plura & uberiora, ni animum, huc ſatis per ſe proclivem, abſtraxiſſent, qvibus qvicqvid miniſtris verbi tribuitur, ſemper nimium eſſe videtur. Cui indicio eſt, qvod factam poteſtatem Superintendentibus voluerit petendi pro miniſtris, ſi qvid deſideraretur, & coram libero acceſſu monendi atqve judicandi, ſi qvid ad religionem reqvireretur, aut uſpiam miniſterio vis fieret. Nec pauperum nulla habita ratio, qvibus alendis conceſſa paſſim per cuncta oppida regni monachorum & virginum monaſteria, adjectis ex proventibus, qvantum neceſſe. Et ubi proventibus nullis vel tenuibus fuerant mendicantium cœnobia, largitus de ſuis & iis, qvæ regni erant, ut vix ullum ſit regni oppidum, ubi non aliqvod pietatis veſtigium ab eo ſit relictum.

Qvæ beneficia, ſimul hic a me memorata, ad extremum vitæ halitum paſſim erga qvosvis ita præſtita. Nec unqvam pietatis *Chriſtianum* tædebat, aut bene de ſingulis merendo fatigabatur: Hoc omnium confeſſione in præcipua laude ejus poſito, eum haud paſſum verbi miniſtrum, munere recte fungentem, ſine conſolatione a ſe dimitti. Ratus nimirum his pietatis officiis expiato Numine, tum aliam multiplicem felicitatem divinitus datam impetratum iri, tum pacem externam regno obventuram. Pro qva magnopere jam ſolicitus fuit, tot inſidiis inopinato petitus, ac porro metuens Imperatorem, qvod in proximum ver, induciarum pactarum finis triennio elapſo inſtabat. Ne tamen in bellum erumperent, ab Hamburgenſibus, qvi priorum induciarum auctores fuerant, denuo ad *Mariam* de iis prorogandis ſcriptum. Qvibus reſponſum, "nihil „antiqvius eſſe nec Cæſari gratius, qvam ut *Chriſtiano* cum „Palatino recte conveniat. Velle Cæſaris nomine ac per „ſe totis viribus in id incumbere. Ac ſi mittantur a Dano „legati, nihil reliqvum facturam eorum, qvæ ad pacem, „qvietem ſubditorum, benevolamqve invicem communicatio-

„cationem facere qveant.„ Ita Reginam ad pacem inclinatam ubi *Christianus* cognovit ex litteris, non distulit ad eam legatos cum mandatis & amplissima potestate mittere. Erant illi *Avo Vincentius Longus*, *Gossichius Rantzovius*, *Scavenius* & *Fuchsius*, qvi Reginam Gandavi adierunt. Sed qvum latæ essent conditiones Regi graves, de qvibus nullum mandatum habuerunt, re infecta discessum est. Polliciti tamen legati, se ad Regem relaturos, qvi denuo aliis missis, sententiam suam super iis qvæ desiderabantur brevi esset declaraturus. An. 1539.



Nn 2 NI-



NICOLAI CRAGII
ANNALIUM LIBER V.

An. 1540. Venerat Cæsar Gandavum, peragrata Gallia, ubi omni honore affectus est, qvem mortali tribui fas. Commoratus illic spe diutius, qvia Cardinalis *Farnesius*, Pontificis legatus, varia ad illum simul & Gallum mandata attulerat. Qvi hic inter alia etiam de *Christiano* egit, Cæsari exprobrans eum in fœdus protestantium venisse. Tandem vero Cæsar ab iisdem filiis Regiis, a qvibus ad fines Hispaniæ exceptus fuerat, post ingentem lætitiam & festiva gaudia deducitur Valentianas Hannoniæ oppidum. Inde igitur ubi se in Flandriam contulerat, accessere eum protestantium legati, nec non *Christiani* Regis: non qvidem communicato consilio missi, utriqve tamen de negotio haud dissimili, illi securitatem religioni, hi pacem Daniæ petituri. Nam haud procul erat, qvum induciæ triennales pridem pactæ exspirarent, uti memoravimus. Qvum ad rem ventum esset, legatis Danicis *Æschylo Billeo*, *Scavenio* & *Fuchsio*, ea maxima difficultas objecta, qvod dignitas Regis titulo tenus asserenda erat, sicut *Christianus* mandarat. Nam Cæsarei, inter qvos *Scepperus*, Regem Daniæ eum non appellabant, sed solummodo *electum* aut *designatum* nominarunt. Jusserat enim ita Cæsar, ratus alias præjudicium Palatino, de regni jure contendenti, fieri, si is pro Rege agnosceretur. Regii contra tendebant nihil *Christiano* detractum velle: „Eum legitime ad regni fastigium a Deo „& hominibus, qvibus potestas, evectum, solenniter etiam „inauguratum, & unctione consecratum, sicut in Christia„nitate moris sit. Audire Regem apud omnes, pro eoqve „ha-

„haberi & agnosci, neqve de jure regni ulli qvicqvam con- „cedere, aut fateri cuiqvam vel minimum aliqvid juris „competere.„ Verum qvum regii hæc & alia pro jure Regis differendo nihil proficerent, reservata ejus dignitate integra, cum contestatione, ad ea, qvæ legationis istius propria erant, accessere. Ac inprimis transactum de solutione promissa Transisulanis, qvam denuo recepere Regii futuram Hamburgi tribus annuis pensionibus, qvibus refunderetur pretium mercium ante Calendas Februarii distractarum, qvemadmodum pacto priorum induciarum convenerat. Pro reliqvis autem solutio fieret, qvum pax in universum constitueretur: aut si ea ultra annum porferretur, cum legatis, qvi postea mittendi, super ea re concordandum. Nam pax jam convenire prorsus non poterat, nec obtineri, ut induciæ prorogarentur, nisi in diem anniversarium a Calendis Maij. Cæsar enim ita prorsus voluit, qvod existimaret, induciis in aliqvot annos prolatis utrinqve ad pacis curam capessendam lentiores minusqve intentos fore. Cujus studium ne torperet, placuit conventum in aliqva ex qvinqve urbibus nominatis agendum, incipiente autumno ad diem, qvi memoriæ beati Bartholomæi Apostoli dicatus. Eo arcessendus Palatinus, ut de omnibus transigi posset, nihilqve reliqvum esset, qvod pacem ulterius distineret.

An. 1540.

Qvum hæc in Flandria agerentur, per idem fere tempus Landgravius litteris ad Regem datis ei auctor fuit, ut qvaqve ratione se a Palatino liberaret, ac jus dotis, qvæ peteretur, qvovis pretio redimeret. „Nam Palatinum pro ac- „cipitre esse, Cæsarem instar aucupis, illo ad instituta, qvæ „cogitatione multo majora, abutentis. Si pateretur itaqve „Saxonis & suo arbitrio litem componi, ei rei operam li- „benter daturos.„ Ac simul invitatus *Christianus* in arctius fœdus cum protestantibus, qvo non solum religioni, sed etiam ejus dignitati ac regno consuleretur, Clivensi eodem fœdere una comprehendendo. Sed is controversia, qvam Palatinus pridem faciebat, tollenda vel componenda arbitrium ipsorum non defugiebat. At novum fœdus inire nolebat, ignarus qvid in Flandria actum, legatis iis nondum

An. 1540. reverſis. Itidem ad Palatinum ſcripſerant Saxo & Landgravius, qvi & ipſe eosdem arbitros haud detrectabat.

Itaqve qvum de cauſis religionis Smalcaldiam conventum eſſet, miſſus eo Regis nomine *Utenbovius*, ita inſtructus, ut nullam æqvam conditionem eſſet aſpernaturus. Sed Palatino præ regni cupiditate nihil, qvod offerebatur a Saxone & Landgravio, ſatisfaciebat. Id omni jure ſibi vindicabat, adducto inter alia ad petitionem ſuam ſtabiliendam, „qvod utriusqve ſexus liberos ex *Iſabella* naſcituros in pactis „dotalibus, ab iis, qvi conjugem *Chriſtierno* petitum ad „Imperatorem venerant, promiſſum fuerat, nomine totius „Senatus regni Danici, ſucceſſionem certo & indubitato „manſuram. Hac obligatione Senatum regni adſtrictum, „ſucceſſionem in alium non potuiſſe transferre, ſed jus illud „*Chriſtierni* liberis competere.„ Rogatus autem Palatinus, ut iis miſſis, qvæ nec liqvido probari, nec tum ab *Utenbovio*, ad reſpondendum huic exceptioni imparato, refutari poterant, nullam aliam pacis rationem iniri aut admitti paſſus eſt, qvam qvæ ceſſionem regni includeret, ni prius coram cum *Chriſtierno* eſſet communicatum. „Itaqve ſi „Rex faceret colloqvendi poteſtatem, accepta fide publica „venturum ad *Chriſtiernum*, ac tum demum qvid fieri aliis „pacis legibus qveat, patefacturum.„ Horum neutrum promittere *Utenbovius* poterat, nulla a Rege facta poteſtate. Ergo alia via Palatinus urgere *Chriſtianum* cœpit, petens ſocerum captum cuſtodia liberari. Ac multa qveſtus de iniqvitate eorum, qvi pellectum fraude & ſubdolis promiſſis in poteſtatem redegiſſent, in integrum reſtitui flagitabat, dicturum cauſam, ſi qvis alicujus ſceleris reum poſſet arguere. Sed *Utenbovio* non in mandatis erat, qvod de hoc poſtulato ſponderet, qvi ratus neqve hac de re oportune agi poſſe, niſi ubi ipſe *Chriſtiernus* præſto eſſet. „Eum autem „carcere exemptum aliqvo loci ſiſtere, in poteſtate ſolius „Regis *Chriſtiani* non eſſe, ſed rem plures attingere, qvi jus „hoſtis captivi ſuis armis domiti aliqvod vindicent. Non „ſpem eſſe illos paſſuros *Chriſtiernum* longius a regno avehi, „ne vis metuenda ſit.„ Hæc aliaqve in eandem ſententiam

tiam qvum probabiliter legatus disseruisset, ex sententia Saxonis & Landgravii inter partes constitutum, "ut *Christiernus* Lubecam veheretur, qvo venturi Saxo & Landgravius, ipseqve adeo Palatinus cum utraqve *Christierni* filia." Ita qvum utrinqve acceptum, ut ad hunc conventum redeundum esset, nihil amplius ad pacem & concordiam obtineri hic poterat. An. 1540.

Reverso autem in Daniam *Utenhovio*, deliberatum cum Senatu de Palatini postulatis. Aliis alia sententia sedit. Erant, qvi Palatinum neqvaqvam ad *Christierni* colloqvium admittendum existimarent, qvippe animum atrocem & vindictam spirantem magis induratum iri, aut certe cupiditatem Palatini plus *Christiernum* inflammaturum. Alii, adhibitis aliqvibus regni Senatoribus arbitris haud arcendum soceri colloqvio familiari Palatinum censuere. „Posse eum „inflecti precibus *Christierni*, qvem jam carceris ita tæderet, „ut credi par sit, qvavis conditione potius transactum velle, „qvam diutius in isto sqvallore hærere. Aut, si nollet Pala„tinus regni Senatores auditioni colloqvii interesse, saltim „haud ægre laturum a Saxone & Landgravio aliqvot dele„gatos adhiberi. Cum itaqve hæc sententia cunctis probata esset, decretum, ut legati ad conventum proximum ituri, hactenus spem colloqvii Palatino facerent, aut etiam, si ita facto opus esset, ut omnino & sine conditione venturum Palatinum coram ad socerum conveniendum promitterent. Præterea vero qvum Palatinus jus suum eo asseruisset, qvod a legatis totius Senatus nomine de successione liberorum, ex conjugio *Christierni* cum *Isabella* susceptorum, cautum pactis dotalibus fuisse ferebatur; interrogati sunt jam qvoqve testimonia Senatores, qvotqvot eorum superstites erant, qvid super ea re veri haberent. Qvi omnes fassi nihil tale in mandatis fuisse, nec tale aliqvid tabulis pactorum dotalium insertum proferri posse. Horum confessio ut majoris esset fidei & ponderis, si qvando ejus usus apud exteros esset, placuit Regi eos coram Magno Duce Saxoniæ sisti, atqve, adhibitis notariis publicis testibusqve ad eam rem idoneis, solenniter audiri & examinari, ut monumen-

 tum

An. 1540. tum deinde legitime confici & perſcribi poſſet. Qvod Rex ut propere fieret a Duce contendit, qvia pleriqve ea ætate erant, ut dies fatalis haud longe abfuturus videretur.

Jam vero qvum dies conventui dictus inſtaret, miſſus a *Maria*, qvi *Chriſtiano* indicaret, deſtinatum Cæſari Coloniæ, legatis Danicis & Palatini præſentibus, diſſidia cognoſcenda componere, & qvoqvo modo dirimere. Itaqve deſignati erant legati, ut Coloniæ conventum eum obirent, *Andreas Billeus*, *Goſſichius Rantzovius*, *Wolfgangus Utenhovius*, *Johannes Forſterus*, *Svavenius* ac *Fuchſius*. Sed qvum jam mandata ſua acceperant, & in procinctu eſſent, Regi mutatum hoc conſilium. Id ſive aliorum monitu, ſeu qvod mutatum etiam Palatinum compererat, incertum. Conſtat tamen communicatum cum Boruſſo, qvi graviter offenſus, qvod induciis annuis comprehenſum ſimul Cæſar noluiſſet. Qvi nec iram diſſimulans occulte habuit, ſed hoſtem Cæſaris viciſſim profeſſus, naves Belgarum paſſim detentas e ſuæ ditionis oppidis, enavigare trimeſtri temporis ſpatio vetuerat. Sed & Palatinus alium animum induerat, coactus a *Maria* ad diſceptandam hoc ipſo Colonienſi conventu, qvam cum Belgicis habebat, controverſiam. Itaqve qvum ſtatuiſſet Coloniam ſuos mittere, frivola ſimulatione temporis brevitatem obtendens, (qvod idem utriqve conventui erat) Saxonem & Landgravium arbitros modeſte recuſavit. Nam plus favoris ſuæ cauſæ apud Cæſareos ſperabat qvam apud Saxonem & Landgravium, utpote *Chriſtiano* amicitia conjunctiſſimos. Qvum igitur Regi litteris Landgravii Iſenaco ſcriptis indicatum eſſet, hoc animi Palatino eſſe, Colonienſi conventui voluit obnunciatum. Qvo nomine miſſus itidem ad *Mariam Fuchſius* cum litteris, qvibus aliæ in ſpeciem redditæ rationes, cur ad conventum Colonienſem legati mitti non potuerint. „Nam ſerius de „loco indicatum, qvam ut commode expediri legati potue-„rint. Deinde cautum nuper Gandavi fuiſſe, controverſia „Smalcaldiæ cum Palatino compoſita, aut in aliud tempus „diſceptatione ejus prorogata, irritum fore, qvod de iſto „conventu fuiſſet decretum. Qvandoqvidem ergo id Smal-

„Smalcaldiæ actum, ut confenfu utriusqve partis caufæ „cum Palatino intercedentis cognitio fit in aliud tempus „dilata, rogare conventum Colonienfem patiatur protelari. An. 1540.
Sed tum *Mariæ*, tum inprimis Cæfari ægre erat, conventum non obitum, præfertim qvia a diverfæ religionis hominibus hæc agebantur, qvibus laudem compofitæ hujus diuturnæ & graviffimæ litis nollet accedere. Nec Palatinus nihil fuccenfuit, qvi miffis Coloniam legatis fuis, ipfo interim qvid fieret apud Cæfarem exfpectaturo, fpe fruftratus, ac fremens petierat, nihilominus contra *Chriftianum*, qvafi fidei defertorem & Cæfaris contemptorem, gravius aliqvid ftatui ac decerni. Mox litteræ ab utroqve, *Maria* & Cæfare, ad *Chriftianum* miffæ, indignationis haud obfcurum indicium præ fe ferebant. Evocabatur iis Rex ad comitia Imperii qvæ proxime inftarent. „Nam tametfi doleat Pa-„latino, ad conventum Colonienfem neminem Regis no-„mine veniffe; tamen ftudio pacis & concordiæ, perfvafum „a Cæfare & *Maria*, haud recufaffe caufam illic tractari. „Monere igitur ne cunctetur legatos mittere, promiffo Cæ-„faris favore a *Maria*, fi qvod æqvum eft, haud afpema-„retur.„ Sed nec locus litteris defignatus, nec tempus expreffum, ut fciri poffet, qvo mittendi legati, aut qvando futurum comitiorum initium. De his igitur *Chriftianus* refcribens petiit fe certiorem fieri, fimul, qvia annuarum induciarum dies interim forte exiret, ne qvid periculi legatis effet, litteris publicæ fidei fecuros reddi, atqve itidem qvid interea ipfi expectandum, bellumne an pax, indicari defiderat. Ac miffus nuncius qvi acceptum refponfum propere reportaret. Per qvem a Cæfare litteris refponfum, "comi-„tia Ratisbonæ fore, qvæ inceptura qvidem A. D. VIII. Idus „Januarii, fed ob varia qvæ haud dubie inciderent negotia, „in menfem unum atqve alterum duratura, ut fatis mature „mitti legati qveant. Qvibus fecuritatem fore publica fide „promiffum, ita ut per totum Imperium usqve ad reditum „periculi immunes fint futuri, haud obftante, fi vel induciæ „interim finirentur. Tum cum legatis de prorogandis in „menfem unum aut alterum induciis Ratisbonæ agi „poffe, donec pax conftitueretur, nec interim qvicqvam „Regi metuendum.„

An. 1540. Et Cæsar qvidem severius litteris agens, operta offensarum haud texit. At *Maria* magis iram dissimulans, familiarius ad Regem scripserat. Nam blandius & benignius Rex ab ea compellandus fuit, qvia aliis litteris intercedendo pro *Fuggaris* gratiam aliqvam sibi apponi postulavit. Etenim *Fuggari Christiano* pecuniam mutuo sub fœnore ad certam summam promiserant, qvum inter eos transigeretur, monitiqve jam fuerant, ut promissis satisfaciendo Hamburgi eam repræsentarent. Qvod sive subiratis molestum, sive a pecunia imparatis grave, ne fides eorum traduceretur, ad *Mariam* confugientes, rogatu ejus obligationis liberationem impetratum iri sperabant. Atqve illa causam eorum haud langvide agebat, increpito nonnihil Rege, qvod donatus ab eis aliqvot millibus, ad mutuum hoc promittendum absqve ullo jure adegisset. „Nam qvod prætextui sumptum, Palatinum ab eis pecunia adjutum, atqve in eorum „divertisse ædes, ad tuendam facti rationem haud qvaqvam „sufficere. Non enim pecuniam ullam a *Fuggaris* subministratam. Jus autem hospitii a multis annis Palatini majoribus cum eis intercessisse, qvod adhuc coli, ideoqve „etiamnum eum pristino hospitio uti, crimini haud vertendum. Absqve qvibus esset, tum *Fuggaros* communi „mercatorum jure, inter qvos principem locum tenent, „tum pacto induciarum tutos esse oportuisse. Sperare igitur, ne *Christianus* hæc memorari indignius ferat. Qvæ „seu falsa sint, uti sibi persuadeat, e re tamen fore, rumoris de se sparsi haud ignarum esse: Sive illa vera, posse „rumorem facile aboleri, si aut *Fuggaris* promissi gratiam „faciat, aut a postulando pecuniam tantisper supersedeat, „donec de tota controversia conveniret, qvod haud dubie „brevi futurum. At *Christianus* brevibus ad objecta respondens, ostendebat *Fuggaros* nihil iniqvi in Dania passos; „eos permissu Regis patris qvasi monopolio usos, cupri „exportandi modum fraudulenter excessisse, atqve ita vectigalia regia intervertisse. Deprehensos igitur in noxa, „qvam commissam negari non poterat, pecunia luisse, ac „in pœnæ parte hanc mutui obligationem esse. Nec pacto induciarum hac ratione qvicqvam detractum, qvæ

am

„ anno post firmatæ. Atqve extare etiamnum initi contra- An.
„ ctus tabulas, indices, qvomodo tum utrinqve convenerit, 1540.
„ qvibus fidei memorem stare paratum, ac vicissim haud
„ dubitare, *Fuggaros* promissa servaturos. „ Sed non eo destitere *Fuggari*, qvod nihil hic impetratum: nam qvantum poterant, suam causam Cæsaris ac Palatini rebus intexuere, ut communem hanc qvodammodo controversiam ii ad se traherent. Itaqve de his tum proximo anno Ratisbonæ, tum aliis deinceps conventibus sæpiuscule actum, uti loco memorabimus.

Sed dum per inducias a Cæsare & Palatino pax est, imminet finibus Svecus, adducto Ludosiam & Elsburgum milite, qvo etiam tormenta convehenda, ut promptum ei esset, utrum vellet regnorum, Daniam, aut Norvegiam, adoriri. *Christianus* itaqve, metu undiqve amicorum solicitis indiciis incusso, & re ipsa periculi commonefaciente, exploraturus, qvid animi *Gostavo* esset, per litteras ab eo petiit, diem dici, qvo legatos utriusqve regni convenire placeret, ad tollenda, qvæ indies magis magisqve gliscebant diffidia. Sed qvi has attulit nuncius, qvum moram diutius in Svecia faceret, qvam necesse videbatur, fluctuabat animo *Christianus*, suspicans ob hoc ipsum retardatum, ut interim *Gostavus* se pararet, nihil postea æqvi per eum responsurus. Itaqve qvum nec amicitiæ satis certus, nec bellum facturum Svecum, injuria nulla affectum, potissimum sine denunciatione, *Christianus* sibi persvaderet, armis sumptis terrorem ostentare ad invidiam Sveci pertinere existimabat. Eo consilio copias arcessendi nondum tempus esse rebatur. Ne tamen oppida & castella per socordiam & neglectum invasioni hostium paterent, mediocria præsidia eis imposita, ut moventem hostilia aliqvatenus inde saltem repellerent. Tandem vero reversus nuncius Regius, responsum ab eo adfert: " Legatos Calmariam circa medium autumni mittendos, ibi Sveticos etiam affuturos. Eo ubi venere *Accius Brahens, Oligerus Ulstandius, Canutus Guldenstiernius, Birgerus Trollius*, & *Caspar Brochmannus*, multa negotiorum variorum eos deprehendit perplexitas. Fremebat

An. 1540. *Gostavus*, & indignabatur pecuniam mutuo datam non esse solutam, & fidem *Christiani* per contumeliam & superbiam proterve incusabat. Nec contentus tantis pignoribus, unde plus emolumenti, qvam ex fœnore redundare posset, armis solutionem æris sui repetiturum minabatur. Legati diem præfigi petierunt, ad qvam repræsentari pecuniam vellet, *Christianum* solutioni moram ulterius non facturum. Ita convenit, ut ad diem certum vere proximo Ludosiæ pecunia numerata, *Christianus* obligatione æris istius se liberaret. Sed non una difficultas negotio a Sveco injecta: qvi *Christianum* ad certam monetam astringi voluit, atqve insuper confessionem a legatis extorqveri, labefactata pridem fide, castella pignori obligata recte potuisse occupare; nec non ipsos legatos pro pecunia solvenda fidejussores fieri, sub gravissima pœna, si non esset satisfactum. Qvæ omnia eo pertinebant, ut patientia & lenitas *Christiani* contumelia irritaretur, aut, si ea minus commoveri contingeret, ut haberet *Gostavus*, qvo se tueretur, si bellum facere vel castella oppignorata invadere luberet. Prorsus enim multa exulcerati animi & malum intimis sensibus abstrusum meditantis, indicia eruperunt, Sveco non solum fidem *Christiani* per contemptum elevante, sed etiam minaciter incusante, "passim in Borussia *Johannem* Ducem dictitari juniorem Seciæ Regem. Præterea Borussum ipsum per se „multis modis injurium.„ De qvibus omnibus qvum legati qvanta poterant modestia *Christianum* excusassent, & de pecunia ad voluntatem cavissent, tandem *Gostavus*, ut aliqvatenus placati animi fidem faceret, expetit Regis colloqvium certo expresso die, ut coram dissidia omnia componantur.

Ceterum reversis legatis, qvum intellectum esset, qvanta superbia, fastu & inhumanitate egisset Svecus, prima cura *Christiano* fuit, qvomodo pecunia ante diem solvenda pararetur. Ac colloqvium expetitum, tametsi minus rebus suis opportunum, nec multum emolumenti allaturum animadvertit, tamen ineundum existimavit. Sed dies alius præfixus, qvam *Gostavo* antea placuerat, de qvo misso nun-

cio

cio certior factus, indicato simul loco, qvantisqve cum copiis Varbergam (hic locus erat,) esset venturus. Sed *Gostavus*, qvod *Christiano* non placuisset dies ab ipso dictus, ne qvid ei concederet, prolato colloqvii tempore, rursus alium diem per ministrum, Danico nuncio adjunctum, constituit. Qvem ille etiam expectans, pedites priora ad castra longius a finibus remisit, ipse Elsburgi cum una atqve altera eqvitum turma commoratus. Qvum autem copia *Christiano* facta esset cognoscendi controversias & qverelas, qvas Svecus ei movebat, rogatus Borussus ad eum conventum etiam suos ablegare, capitibus causarum, de qvibus a Sveco accusabatur, scripto ad respondendum missis: simul etiam monitus, si de *Johanne* Regulo fama jactaretur, qvod Svecus exprobrarat, operam daret, qvoad fieri posset, ut ex ore atqve animis hominum ea opinio evelleretur. Sed & oblata Regis opera Dantiscanis ad componendam controversiam ipsis cum Sveco intercedentem, qvod simul per Borussum eis indicari voluit, ut toto hoc mari Balthico belli metus expelleretur.

An. 1540.

Verum dum *Christianus* ita Sveco pacem omni ex parte parare studet, interim hic novos hostes Danis excitare laborat. Eo corrupti pecunia perditi qvidam homines in civitatibus cum protestantibus fœdere junctis, qvos Svecus, Livonius, Brunsvicensis & metropolitanus Bremensis ad excitandam seditionem conduxerant. Conscii hujus qvoqve nonnulli in civitatibus magistratus, qvi dissentientes clam a religione, easdem partes sectabantur. Unde ingenti terrore *Christianus*, pacis cupidus, perculsus, metu mali, qvod, dissoluto protestantium vinculo, religionem reformatam maneret. Res communicata *Christiano*, cui conspiratio primum innotuit, cum amicis Saxone, Landgravio & Borusso, nec eis visa carere periculo. Itaqve conjuncto consilio vicissim clam subornati, qvi insidiis detectis obviam irent, & subita factionum sub initia opprimerent. Ea ratione factum, ut seditio paucorum conscientia imbecillis expirarit fere, simul ac emanarit, nihilqve incommodi in civitatibus senserit religio reformata.

Qq Sicut

An. 1540. Sicut nec in Islandia tumultus, superiore anno excitatus, eo validus erat, ut cursum purioris Evangelii ibi impediret. Qvod tamen magis Dei benignitate qvam hominum adjutantium alacri studio effectum. Qvorum pauci erant in tam longe dissitis locis, qvi aut auctoritate plebem pacandi pollerent, aut voluntatem religionem propagandi haberent. Tametsi non defuit officio *Christianus*, qvi in utramqve curam, qvantum res sinebat, incubuit, nec impensis parcens, nec molestiam defugiens. Sed vix in Dania hactenus potentiorum aliqvis erat, qvi tam longinqvum iter maritimum exiguo emolumento suscipere vellet, prius-qvam *Christophorus Hvitfeldius*, qvi ut Deo & Regi suo gratam operam præstaret, hanc provinciam haud detrectavit. Is ergo acceptis a *Christiano* duabus onerariis, cum aliqva militum manu, in Islandiam secundo vento usus navigavit. Ubi castigatam leniter plebem, qvæ rebellionem conciverat, denuo cunctos in verba *Christiani*, sacramento adegit, jure regni Norvagici. Mox Superintendentem eis commendans, in Schalholtensem diœcesin introducit, qvem Rex pridem designarat, *Gislerum Enericum*, bonarum litterarum & sacræ scripturæ cognitione Witebergæ imbutum, cujus opera scholæ & ecclesiæ inibi reformarentur. A qvo primum publice religionis cœpta emendatio, iis auspiciis, ut deinceps brevi tempore superstitio omnis ex oculis amoveretur. Sed ex animis tamen eo difficilius cultus idolorum, & in ritibus externis devotio exempta, qvod in simplicitate ista hominum, consvetis nihil melius vel sincerius reperiri posse judicabatur. Unde etiam qvum prælecta plebi ordinatio, ad qvam tum Danicæ tum Norvagicæ & Islandicæ ecclesiæ conformandæ, abdicatis ritibus impiis & superstitiosis, minus eis grata fuit, qvin conturbati animis, qvod ordinatio Regis nomine propter auctoritatem inscriberetur, rescribendo ad *Christianum* sententiam suam, judicio rudi patefacere non dubitarunt: „Exhibitam qvidem novam de religione „ordinationem eo missam; Sed existimare non Regis esse, „sed Romanæ ecclesiæ, cultum ac ceremonias in religione „præscribere. Haud dubie ab antistite ita edocti, a qvo pro ecclesia Romana dimicatum, qvod spes erat incolumem ejus

ejus ſtatum fore. Sed urgentibus fatis ejus ruinam, conceſſerat tempori, abdicato antiſtitis munere, ut diximus. Qvi jam reduci *Hvitfeldio*, in vergente iſta ſua ætate in Daniam qvaſi captivus vehebatur, ut, ſi pacata eſſent conſilia, præſtito ſacramento acciperet, unde privatus in otio degeret; ſin aliter eſſet animatus, & turbas cieret, aut religioni ſe opponeret, in cuſtodiam dederetur. An. 1540.

Dum hæc in iſtis partibus geruntur, Pomerani haud contenti, qvod legati ſuperiore anno poſſeſſionem bonorum Rugianorum *Chriſtiano* ceſſerant, inhibuerant per mandatum *Martinum Berneccovium*, ne qvæ Roſchildenſis antiſtitis erant auferret, rati in certamine dominii, qvando res ad arbitrium Principum delectorum veniret, ſe ſuperiores fore. Itaqve velle reditus omnes in Rugia manere, qvod promptius eſſet præſentibus potiri, qvam in Daniam avecta repetere. Inde adeo factum, ut *Johannes Berneccovius* filius, cui, patre mortuo, hoc anno Rugiana omnia commiſſa, neqve ipſe auſus ſit contra interdictum præſtare, qvæ debebantur. Qvod qvum Regi moleſtum, denuo moniti Pomerani, ut poſſeſſione abſtinerent, nec fructus ac emolumenta percipiendi poteſtatem adimerent. Nam Roſchildenſis antiſtitis a multis annis ſine controverſia fuiſſe, ut nullo jure ea ſibi vindicare qveant. Illi, qvum fruſtra ad arbitrium Principum rem integram referri petiiſſent, exiſtimante *Chriſtiano*, niſi poſſeſſioni reſtituatur, in cauſâ non eſſe qva fuit, tandem ejus voluntati obſeqvuntur, controverſia tamen dominii arbitrio Electoris & Landgravii reſervata, ad qvos pridem utriusqve partis conſenſu fuerat devoluta. A qvibus etiam ad indictum Naumburgi proteſtantium conventum, *Chriſtianus* ſerius hoc anno invitatur, qvi nihilominus hac aliisqve de cauſis, in Holſatiam profecturus erat, ut ad fines Germaniæ præſto eſſet ſi forte communicato opus. Sed ad mare Balthicum progreſſus, ubi trajiciendum fuit, adverſo vento detinebatur. Ubi qvum complures dies conſtitiſſet, demum aliqva tranqvillitatis ſpe affulgente, qvadraginta ſcaphis in adverſum litus remigare inſtituit. Sed vix in altum pervenerant, qvum

An. 1540. ſubita orta tempeſtas tenebris & caligine cunctas involvit, ut undecim a reliqvis avulſæ & diſſipatæ retro actæ ſint, *Chriſtianus* cum reliqvis, haud ſine periculo incolumis, ad terram appulerit. Inde ergo qvum ſerius in Holſatiam acceſſiſſet, nec expediri legati tam brevi poſſent, ad *Utenhovium*, qvi tum iis partibus erat, mandata miſſa, ut is legati vice fungeretur: itaqve ab eodem, qvæ tum incidere, peracta ſunt.

Hujus anni æſtate ſol inſolito fervore ſegetes & fructus adurebat, qvum in vere vehementisſima tempeſtate mare usqve adeo fuerit commotum, ut in ipſo freto Oritano ducentæ naves fluctibus obrutæ, aut invicem colliſæ perierint. Utraqve hæc clades terra mariqve accepta, an ad fatum *Magni* Ducis, qvi *Chriſtiano* filius ſecundus VII. Idus Septembris hoc anno natus eſt, haud dixerim. Conſtat tamen varie eum ſorte in vita jactatum fuiſſe, ut vim ſuam & in extollendo & dejiciendo homine ſatis fortuna ejus exemplo oſtendiſſe videatur. Tametſi in eo nihil magnopere erat, qvod vituperari poſſet, ſi donandi & profundendi modum, qvem ſors facultatum dederat, feciſſet; de qvo erit, qvum loco plura reddemus.

An. 1541. Cœptis Ratisbonæ Imperii comitiis haud multo poſt advenere eo ex Dania legati, *Andreas Billeus* Eqves, *Wolfgangus Utenhovius* Cancellarius, *Svavenius* & *Fuchſius*. Cæſar autem tardius acceſſit. Eapropter cum conſiliariis interim agendo, reddita eis cauſa adventus, ac per eos *Chriſtiani* nomine Cæſar ſalutatus, eiqve de proſperitate gratulatum: addito, ſimulac placeret indicare, unde initium agendi fieri velint, moram haud facturos, qvin ſententiam Regis ſui enunciarent. Mox vero in paucis diebus Cæſar urbem ingreſſus eſt. Tandemqve legati A. D. III. Nonas Maij ad ipſum accerſiti, mandata peregerunt, ut cum ampliſſima ſpe benigne ſint dimiſſi. Datum inde negotium *Pratenſi*, *Granvellano*, & *Naveſio* diſſidiorum rationes cum legatis reddendi & accipiendi, cujus rei biduo abinde initium factum. Qvumqve auctoritatem ſuam & agendi poteſtatem

tem Regiis litteris legati adstruxissent, jussi a Cæsareis exordiri, qvæ vellent, pro eis *Utenbovius* paucis verba fecit. Ac repetitum inprimis, "qvod superioribus aliqvot legationibus semper jus in regna & provincias *Christiani* sibi Palatinus asseruisset, qvia *Christierni*, qvondam Regis, filiam matrimonio sibi junxisset. Verum actionem isto nominè nullam ei competere: Non enim fœminis in feuda, multo minus in regna, qvæ per electionem liberam conferuntur, succedendi aliqvod jus esse. *Christianum*, legitimis procerum suffragiis electum & inauguratum, sexus qvoqve ratione filias captivi Regis excludere. Itaqve haud concedere cuiqvam de jure regni sui, qvod tantum abest, in dubium vocari velit, ut ne verbo disceptari de eo mandarit. At si aliud qvippiam peteretur, paratos esse ad æqva postulata Palatini audienda." Ad ea *Navesius*: "Regna & provincias Palatinum non postulare, cui nulla de iis sit actio, vivente etiamnum *Christierno*; Sed velle socerum suum libertati restitutum videre, qvem iniqve contra datam fidem captum existimet. Hoc ex officio pietatis flagitanti probro haud dandum, qvi conjugali amori id debeat. Idem filias *Christierni*, utrumqve avunculum profusis lacrymis obtestantes, flagrantissime contendere. Idqve Cæsarem a Rege præstitum velle, si pacem sit habiturus." Responsum ab *Utenbovio*, "de liberatione *Christierni* hic agi non posse, qvod pridem indicatum *Mariæ* Belgii Gubernatrici, sed in propinqvo aliqvo loco, uti Lubecæ, Hamburgi, aut Lunæburgi, ubi ipse præsto esse possit, id postulatum inferendum. Nam eum interesse prorsus necesse, ad consensum reqvirendum, qvi alias vix ratum gratumqve habiturus, qvod a Palatino fiat, qvippe qvi præ impotentia animi sæpe in has voces eruperit, non fecisse potestatem Palatino pro se agendi, superesse suis rebus posse, ut procuratore non sit opus. Nec si maxime velit *Christianus* eum custodia relaxari, penes ipsum solum hoc situm, sed plurium simul hostium captivum esse, qvibus obligatus litteris, qvi arci Sunderburgensi præest. Hujus autem rei binis litteris ne minimam mentionem a Cæsare factam, ut idcirco præscius Rex, qvid agendum

An. 1541.

An. 1541. „hic foret, haud mandarit. Itaqve neqve eſſe, qvod de „*Chriſtierni* liberatione multis diſceptetut, cujus ſpem in„juſſu domini ſui facere neqveant.„

Ita Cæſarei periclitati hac qvaſi prima velitatione, qvid animi legatis eſſet, ad Imperatoris & procerum concilium ſuper his referendum cenſuerunt. Interim legati cum Landgravio collocuti, qvid apud Cæſarem & conſiliarios actum ſit, exponunt. „Judicium facere ex præteritis, vix fore, ut „ad pacem aliqvid impetretur. Adeo inſtanter flagitari „*Chriſtierni* liberationem, qvam Palatinus ſalvo ſuo honore „negligi non poſſe exiſtimet. Itaqve ſi forte conveniat, „ut Lubecæ, Hamburgi, aut Lunæburgi de eo liberando „agendum ſit, rogatus Landgravius, ut Regi ſuam præſen„tiam velit accommodare.„ Ibi ille inſtigatus ab Imperatore, qvod haud diſſimulavit re altius repetita, acrioribus qvodammodo Cæſaris verbis legatos premere cœpit: "*Chri*„*ſtiernum* contra fidem datam captum, ſed & multis con„fictis criminibus argui, qvorum reus convinci nunqvam „poſſit. Interceſſiſſe etiam cum *Friderico* pacta conventa, „qvibus ille fidem *Chriſtierno* obſtrinxerit; ejus immemo„rem *Fridericum* hoſtem ſe profeſſum. Promiſſa a Gallo „& Anglo eatenus Cæſari auxilia, ut *Chriſtiernus* liberetur, „qvæ tanqvam in communi Principum cauſa non defutu„ra.„ Viduam Ducis Mediolanenſis Lotharingo nuptui „jam brevi datum iri, ita eum qvoqve in ſocietatem ventu„rum. Et præterea ab aliis opem expectari, ut ea ſpe Pa„latinus vix pecunia ſibi ſatisfactum velit. Aliam igitur „videri viam ineundam, ut offeratur ei regnum Norvegiæ, „aut etiam Jutia, aut ſaltim Scania. Qvod ni fiat, qvidvis „potius Palatinum facturum, qvam ut jus ſuum amittat. „Nam aut permutatione Cæſari pro Luxenburgenſi provin„cia regna iſta ceſſurum, aut aliam qvamvis terram ejus „loco accepturum. Metuendum etiam Regi, ne Holſatia, „cujus necdum inveſtitura (uti vocant) *Friderici* filiis legi„timis & conſvetis ſolennitatibus collata ſit, Imperio tan„qvam in commiſſum ceciderit, vindicetur. Itaqve cum „*Chriſtiernus*, utut res habeat, haud dubie deceptus ſit ſecu-

„rita-

„ritate ab iis promiſſa, qvi ſummæ rerum præerant, diſpi- An.
„ciendum, qvomodo fidei Regis conſulatur, nec Palatinum 1541.
„eatenus irritandum, ut deſperans, qvod æqvum eſt, extre-
„ma moliri in animum inducat.„ Ad qvæ *Utenbovius*
„precatus reſpondendi veniam, ita excepit: *Chriſtiernum*
„haud iniqve captum videri, qvi multis modis leges reg-
„nandi ſacramento ſolenni ſancitas violarit, ut idcirco ex
„iisdem legibus ſoluti obligatione fidei & obedientiæ ſubje-
„cti. Neqve illum fide Regis deceptum, ſed acceptis litte-
„ris publicæ ſecuritatis a *Guldenſternio*, non ſigillo Regis,
„qvod tamen in ejus poteſtate, ſed privato obſignatis, in
„poteſtatem *Guldenſternii* ſe tradidiſſe. Itaqve ſi eum, te-
„mere confiſum antiſtiti, decipi contigit, eſſe qvod ſibi ipſi
„hoc imputet. Contra qvem tamen ſi competere ſibi jure
„aliqvam actionem arbitretur, non defuturos æqvos mini-
„meqve ſuſpectos judices, coram qvibus juſſu Regis *Gul-
„denſternius* ſiſtatur. Pacta conventa inter *Fridericum* &
„*Chriſtiernum* alia eſſe nulla, præter litteras qvibus Trittoa
„pignori pro debitis *Chriſtierni* Lubecenſibus obligata, qvod
„pignus *Fridericum* ipſum luiſſe, nondum refuſo pretio, cer-
„tum. Fruſtra etiam a Cæſare, nedum a Gallo, Anglo,
„& Lotharingo ipſi expectanda auxilia. Nam Cæſari vix
„ſuppetere, ut ſua contra hoſtes tueatur, cui tamen ſi qvid
„ſuperſit, fratri, qvem Turca graviter premat, indigo au-
„xilii ante omnia ſubveniendum, priusqvam aliena oppu-
„gnatum eat. Gallo jam qvomodo cum Cæſare conve-
„niat, haud obſcurum; qvandoqvidem legati ejus, ad Tur-
„cam ituri, ad Padum fluvium in Italia ſunt trucidati, a qvo
„tanto minus Regi metuendum, qvia jam recens cum eo
„fœdus ictum. Diffidere Anglum religione a Palatino,
„utut vacillet fides ejus; ideo vix futurum, ut alias pecu-
„niæ haud prodigus, in gratiam Palatini temere ſua pro-
„fundat. Lotharingo offenſum connubio viduæ Mediola-
„nenſis Gallum, absqve qvo haud ejus vires Daniæ magno-
„pere formidabiles. Itaqve eum ſpem alieno auxilio ſuper-
„ſtruentem debili & imbecillo tibicine ſuſtineri. Non igitur
„opus illi Norvegiam cedere, regnum haud parum opulen-
„tius & naturæ donis abundantius, qvam exiſtimetur, nul-

An. 1541. „laqve alia cauſa obſcurum & ſpretum, niſi qvod ſedes regia & aula inde in Daniam translata. Nec a regno Daniæ ſeparari poſſe nobiliſſimas provincias, Jutiam aut Scaniam, præſertim pro Jutia Holſatis & Sliævicenſibus pugnaturis, immo ne qvidem Anglum aliqvando ignobilem freti Oritani inſulam Hvenam, qvamvis immenſum pretium offerentem, conſeqvi venalem potuiſſe: ita mutuo inter ſe apta vinculo neceſſitatis & cohærentia Daniæ membra. At ſi peteretur fortean Lalandia inſula, qvæ olim *Chriſtophoro Bavaro* provinciæ Ducalis nomine collata, cujus etiam armis, titulo & reditibus in Conſtantienſi concilio uſus, ſpes aliqva eſſe poſſet, non paſſurum repulſam. Nam Cæſarem, permutatione Luxelburgicæ provinciæ vel alterius, qvam pacate poſſideat, Daniam ſibi adverſantem accipere velle, eſſet incertam ſpem certo pretio redimere, & eventum rei dubiæ in ſua poteſtate nimis confidenter ſtatuere. Feudum autem Holſatiæ, Romano Imperio ſubjectum, qvod a Cæſare acceptum non ſit, tamen ab Antiſtite Lubecenſi, ſi non ſolenniter, at certe literis ejus collatum. Cui ea poteſtas a *Sigismundo* Cæſare tributa, extante ſuper hac re diplomate Imperii aureo ſigillo obſignato; qvapropter non eſſe, qvod iſtis de cauſis regna aut provinciæ metu Palatini aut ſociorum tradantur, fruſtraqve eum talia ſperare. Verum de dote uxoris agenti, Regem qvod æqvum eſt non recuſaturum.„ Hic Landgravius de antiſtitis Lubecenſis auctoritate ſubdubitans: „At vos (inqvit,) antiſtites omnes abdicaſtis, qvomodo igitur jus hujus antiſtitis propugnatis? Tum *Utenhovius*; „Antiſtites in Dania ita munere eccleſiaſtico abuſos, ut ſalva Regi dignitas ſua & ſubjectorum obedientia eſſe non potuiſſet, niſi ipſorum auctoritas fuiſſet convulſa. Itaqve ni (inqvit) pridem everſus fuiſſet eccleſiaſticorum ſtatus, etiamnum neceſſario huc veniendum foret.„ Tandem Landgravius qvum ſpem facere non poſſet, venturum qvo petebatur, qvia filia ducenda in Saxoniam ad ſponſum *Mauritium*, & alia inſuper eſſent negotia; promittit tamen, qvæ Regis cauſa præſtari qveant ſedulo facturum.

Dein-

Deinde mox in paucis diebus aliqvoties legati cum Cæſareis collocuti ſunt, ſed ab his nihil aliud qvam *Chriſtierni* liberatio ſemper propoſita, qvam Palatinus honoris ſui cauſa omnibus aliis rebus anteponebat. „Eum exiſtimare non ita excludi a regno Daniæ fœminas, uti dictitetur, immo filias & neptes nec non viduas regnaſſe. Sed „Palatini ſententiam ſcripto comprehenſam eſſe, qvod legatis exhibitum velit. Simul prolatum ſcriptum, ad qvod reſpondere legati juſſi ſunt, additis minis, "adhuc non collatum feudum Holſatiæ. Itaqve diſpicerent qvid agendum, „ne *Chriſtianus* de eo periclitetur. Poſt aliqvot diebus, qvam perlectum ſcriptum Palatini, denuo cum Cæſareis convenitur, ibi legatis acerbiore & vehementiore ejus ſcripto offenſis, haud diſſimulatum, qvid de iſto ſentirent. „Non videri dignum Principe tale ſcriptum, & *Chriſtianum* „prorſus ejusmodi contumeliis indignum. Ita mordaciter „enim & inſolenter compoſitum, ut pro famoſo libello haberi poſſit, qvo nihil minus qvam jura cauſæ legitimis „rationibus & argumentis diſceptentur, nec ſe ex mandato „reſponſuros, veritate omnibus manifeſta: „ Qvia tamen non usqveqvaqve honoris Regii legatis ejus obliviſcendum, haud commiſſuros, qvin pro re pauca dicantur. Ac primo ad ea reſponſum, qvæ pro *Chriſtierni* defenſione & ſcelerum extenuatione adducebantur: atqve oſtenſum, multis modis regnandi jura, ſacramento firmata, ſuperbe violata, prolatis ipſis legibus juratis, qvas irritas fecerat. Additumqve de Holſatia, qvam ab Imperio avulſam juribus & immunitatibus exuerit, ſubductis furtim inſtrumentis, qvæ in arce Segebergenſi cuſtodiebantur. Non igitur poſſe ſubditos incuſari, ſi transgredienti jura fidemqve violanti, fides non ſit ſervata, qvandoqvidem mutua obligatione regnum ejus & obedientia ſubditorum ſteterit. Tum memorata, qvæ ab eo regnante patrata facinora, qvo tempore crudeliſſime cædibus, contumeliis, & expilationibus in cujusvis generis homines, Danos, Svecos & alios ſævitum. Deinde ſuper jure ſucceſſionis in Regnum diſputatum. „Non ſucceſſiſſe unqvam filias vel neptes, ut „exiſtimet Palatinus, multo minus viduas. Nam *Chriſto-*

An. 1541.

An. 1541. „*phori Bavari* viduam *Dorotheam* non per ſucceſſionem, „ſed per mariti electionem in Dania remanſiſſe. Etenim ſi „ſuccedendi jus eſſet, oportuiſſe Bavaros deinceps a morte „*Chriſtophori* ad regnum veniſſe. Et Scotiæ Regem, Mar„chionemqve Brandeburgicum, ſi per matrem regni jus „aliqvod transmitteretur, potuiſſe etiam hereditatem Daniæ „ſibi aſſerere. Qvod neqve ab his neqve ab illis factum. „Nec deceptum fide publica *Chriſtiernum* fuiſſe, demonſtra„tum, ſed inopia preſſum ultro paciſci cum *Guldenſternio* „expetiiſſe. A qvo ſi promiſſa non integre ſervata eſſe exi„ſtimet, in eum dari actionem. *Fridericum* Regem præ„monuiſſe, ne *Chriſtiernus* in Daniam veniret, ſpe amicitiæ „aut ullius benignitatis fretus. Nunc qvum *Chriſtianus* re„gnum illud, qvaſi ex faucibus dirorum inimicorum ere„ptum, & ab hoſtium immanium crudeliſſima oppreſſione, „cædibus, incendiis, latrociniis, furtis, adulteriis, ſtupris, „rapinis liberatum, erexerit & ſtabilierit, haud æqvum eſſe „eum deturbatum velle. Etenim conſtitiſſe *Chriſtiano* „illud periculo vitæ & impendio fortunarum omnium, „erogatis in ſumptus belli plusqvam qvadragies centenis „millibus nummorum uncialium ſeu dalerorum. Eam „prius pecuniam a Palatino *Chriſtiano* offerendam & re„fundendam, ſi regnum deſideret. Tum ipſum de æqvita„te poſtulati deliberaturum. Absqve qvo non modo glo„riam alieno labore partam iniqve eum in ſe transferre, ve„rum etiam regnum, alterius periculo & impendio acqviſi„tum, perperam fruſtraqve affectare." Poſtremo cum in legatos ipſos invectus etiam ſcripto ſuo eſſet Palatinus, hic modeſte pro contumelia ei repoſitum: "agnoſcere legatos "ipſum Imperii Principem, dignitate & potentia eminen"tem, cui multis ipſi depoſita perſona concedant. Nec "tamen idcirco qvod viles & humilioris conditionis ei vi"deantur, magnopere laborare, modo Regi ſuo placere "qveant, eiqve fidem & induſtriam ſuam probare. Nam "criminis ſperare ſe innoxios, aut ſi haberet Palatinus, de "qvo recte legati inſimulari poſſent, paratos coram ſuo legi"timo judice cauſam dicere, & rationem dictorum facto"rumqve reddere. Nec feudi jus neglectum, qvin præſti"tum

"tum sit; qvod litteris Cæsaris *Sigismundi*, postea a *Friderico* Imperatore confirmatis, reqviritur, ut id ab Antistite Lubecensi accipiatur. Qva ratione etiam collatum *Johanni* & *Friderico* Regibus, qvibus nulla eam ob causam controversia facta." Hæc, & præterea pleraqve apud Landgravium exposita, qvum contra Palatini scriptum adducta essent, jus *Christiani* sicut prius assertum. "Regnum ei legitimis ordinum suffragiis collatum, qvod vulgo notum est, in libera Senatus populiqve Danici potestate semper situm fuisse. Nec voluisse antehac ipsum Cæsarem, alium Regem in Dania fieri, qvam aliqvem filiorum *Friderici*, qvod *Maria* soror verbis ejus per litteras testificata, ut mirum sit regnum a *Christiano* jam avocatum velle. Ac tametsi electionis libera potestas ad regnandi auctoritatem sufficiat: tamen *Christianum* eo justius & meliore titulo regnum usurpare, qvod ab hostibus violenter occupatum in libertatem armis asseruerit: Qvod Cæsari faciendum fuisset, si Daniam filiabus *Christierni* traditam voluisset, aut Palatino, ut ipse jus suum armis propugnaret." Qvum per hujusmodi disceptationes, minas, scripta ac responsa omnibus tentatis nihil ad summam rei profici appareret, a cæsareis cœptum est de induciis prorogandis agi. *Nauesius* ostendit Cæsaris sententiam esse, causas Belgarum cum Palatini actione nihil commune habere, itaqve nolle negotia in suspenso relinqvi, ne subditi utrinqve mari committantur. Ac familiariter suis verbis fatetur, "*Christiernum* ita adversus Cæsarem in Belgio se gessisse, ut vix futurum arbitretur, qvod ejus causam sit suam facturus. Cumqve eo vivente, Palatino nulla competat de regnis actio, tanto minus Cæsarem pro ipso laboraturum. De rebus igitur cum Belgis controversis decidendum esse, tum induciarum pactionem constituendam.

An. 1541.

Mox Transisulanorum civitatum legati adveniunt, solutionem pecuniæ promissæ flagitantes: Qvibuscum qvia convenire non poterat, recusantibus in Daniam venire, ut rationes ibi putarentur, misso a Cæsare *Boysoto*, tum hæc Transisulanorum petitio, tum *Fuggarorum* causa, nec non de metropolitani Nidrosiensis relictis bonis aliqvot diebus

An. 1541. controversiæ agitatæ. Et legati viciſſim, qvas *Chriſtianus* adverſus Cæſarem & provincias Belgicas habebat, contrarias actiones intentabant. Tandem re cum Tranſiſulanis compoſita, reliqvæ mutuæ actiones qvum diſceptatæ ultro citroqve, nec elidi nec componi poſſent, prolatæ in alium conventum, qvi cum *Maria* intra finem induciarum habendus eſſet. Qvod ita utrinqve acceptum, modo de induciis concordaretur. Eæ vero haud parva obſcuritate involutæ ad incertum initium referebantur. Nam a fine comitiorum inchoando, inde in tres menſes voluerunt Cæſarei eas extendi, nullo certo die præfinito, qvando comitia exſpirarent. Qvæ ambiguitas, periculi plena, impulit legatos, ut peterent, omiſſa comitiorum mentione, diſerte initium & finem exprimi. Sed hoc non niſi poſt multas ambages & recuſationes demum impetratum, qvando legati perſeverabant nolle aliqvid dubium vel ambiguum induciis, præter ſuperiora, inſeri. Atqve ita tandem ſtatutum utrinqve, ut incipientibus induciis a Qvinto Nonas Maij, finirentur A. D. Calend. Novembris, ut totus induciarum circuitus qvinqve eſſet menſium plus minus.

Sed legati Danici, tametſi hæc ægre pro ſe impetrarunt, tamen ab aliis auxilium Ratisbonæ rogati ſunt. Epiſcopus enim Hildeſienſis *Valentinus*, qvi in controverſia cum Ducibus Brunsvicenſibus a curia Romana ad judicium Cæſaris retractus erat, cauſam ſuam eorum auctoritate commendatam Imperii ordinibus voluit, ac favorem præſtitum, ſi inter eos Holſatiæ nomine conſiderent. Cui allata excuſatione conſilium communicatum, ne dubitaret a qvibusvis, præſertim proteſtantibus, auxilium petere, utpote habiturus eos ad opem ferendam procliviores, qvam pontificios. Atqve a *Chriſtiano* qvoqve ſpes benevolentiæ facta, ſi eo confugeretur. „Favor autem apud ordines præſtari non „poterat, qvia ob Danica miſſi, haud fas ducebant injuſſu „Regis Imperii negotiis ſe immiſcere. Cujus hanc ſenten„tiam fuiſſe haud ignari erant, qvum Saxo & Landgravius „pridem deſiderarent, legatis Ratisbonam mittendis defenſio„nem religionis cum proteſtantibus ſuſcipiendam mandari.

Nam

Index.

Lucchius

Index.

Index.

Palladius

Index.

Index.

Scani.

Index.

Index.

Index.

Ulſtan-

Index.

F I N I S.

HAFNIÆ,
ex Officina Typographica Ernesti Henrici Berlingii,
Anno MDCCXXXVII.

